NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
7 0
16 W

14 - 5. F. 31

SELECTA

CIRCA LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA SVBTILIORIS

doctrinę, quę in Cõplutensi Academia versatur, miro quodã ordine dispositа, & in dilucidam methodum redacta.

VNA CVM DISPVTATIONIBVS DE IMMORtalitate animæ, Appetitu in communi, & in particulari, de Dolore, Potentia motiua, Habitibus, & Actibus vitalibus.

PER *LICENTIATVM FRANCISCVM MVRCIA DE LA Llana in insigni eiusdem Academiæ Collegio Theologorum Collegam.*

AD D. IOANNEM DE AMEZQVETA Cameræ Regiæ meritissimum à Secretis.

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

Anno 1604.

CVM PRIVILEGIO.

Madriti, Apud *Ludouicum Sanchez.*

TASSA.

YO Francisco Martinez escriuano de Camara del Rey nuestro Señor, y vno de los que residen en su Consejo, certifico, y doy fe, que por los señores del dicho Consejo fue tassado a tres marauedis y medio cada pliego del libro intitulado, *De Anima*, y *De Cœlo*, compuesto por el Licenciado Francisco Murcia de la Llana, y al dicho precio, y no a mas mandaron que se venda, y para que se sepa el precio del, se ponga esta fe de tassa al principio de cada cuerpo del dicho libro. Y para que dello conste, di la presente en la ciudad de Valladolid a ventitres dias del mes de Octubre de mil y seiscientos y quatro años.

Francisco Martinez.

VIdi hoc volumen, & cum suo archetypo contuli, quod sacræ Cæsareæ M. Senatus approbauit, & eorum, qui typis excusi sunt, exemplar esse voluit; omniaque in eo sunt ita verè, & fideliter impressa, vt nihil notatu dignum inuenerim, quod suo exemplari non correspondeat. Datum in insigni, ac omnium florentissimo literarum Collegio Matris Dei Theologorum Academiæ Complutensis, die 14. Mensis Octobris, anno Domini 1604.

Licenciatus Franciscus
Murcia de la Llana.

CENSVRA

CENSVRA PETRI SANZ à Soria in celeberrima Pintiæ Academia facultatis Medicinæ primariã cathedram regentis.

IVSSV Grauißimi Senatus Regij Selecta in libros de Anima accuratè perlegi, nihilq; in eis non ſolùm dignum, vt typis mandetur, reperi, verumetiam omnia ſunt in eis adeò ſubtiliter, doctè diſputata, vt vniuerſis Philoſophis maximam vtilitatem, & fructum ex eorum lectione allatura pro certo ſperem. Datum Pintiæ 16. Idus Iulij, anno 1604.

D. Petrus Sanz à Soria.

EL

EL REY.

POR Quanto por parte de vos el Licenciado Francisco Murcia de la Llana, nos fue fecha relacion que vos auiades compuesto vnos Comentarios super vniuersam Philosophiam Aristotelis, y nos pedistes y suplicastes, que para que de semejante trabajo se viniesse a sacar el fruto q̃ cõ el auiades pretendido dar, vos mandassemos dar licẽcia para poder imprimir las dichas obras, no auiẽdo en ellas falta q̃ lo impidiesse, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, y como por nuestro mandado se hizieron las diligencias, que la prematica manda, por nos vltimamente fecha sobre la impresiõ de los libros: fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula por la dicha razon, y nos tuuimoslo por biẽ. Por lo qual os damos licencia y facultad, para que por tiempo y espacio de diez años cumplidos, primeros siguientes, que corran y se quenten desde el dia de la fecha desta nuestra cedula en adelante, vos, o la persona que para ello vuestro poder ouiere, y no otra alguna, podais imprimir el dicho libro que de suso se haze mencion. Y por la presente damos licẽcia y facultad a qualquier impressor destos nuestros Reynos, qual vos nombraredes, para que durante el dicho tiempo, le pueda imprimir por el original, que en el nuestro Consejo se vio, que va rubricado cada plana, y firmado al fin del de Frãcisco Martinez nuestro escriuano de Camara, y vno de los que residen en el nuestro Consejo, cõ que antes que se venda, le traigais ante ellos, juntamẽte cõ el dicho original, para que se vea si la dicha impresion està conforme a el, y traigais fè en publica forma, como por corretor por nos nombrado, se vio y corrigio la dicha impresiõ cõ el dicho original. Y mãdamos al impressor q̃ ansi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio y primer pliego, ni entregue mas d̃ vn solo libro al autor, o persona a cuya costa se imprimiere, para efeto de la dicha correciõ y

tassa

taſſa, haſta que antes y primero el dicho libro eſte cõregi-
do y taſſado por los del nueſtro Conſejo, y eſtandolo, y no
de otra manera, pueda imprimir el dicho libro, y ſu princi-
pio y primer pliego, en el qual inmediatamente ſe ponga
eſta nueſtra cedula y priuilegio, y la aprouaciõ taſſa y erra-
tas: y no le podais vender, ni vẽdais, vos, ni otra perſona al-
guna, haſta que eſtè el dicho libro en la forma ſuſodicha, ſo
pena de caer, e incurrir en las penas contenidas en la dicha
prematica y leyes de nueſtros reynos que ſobre ello diſpo
nen. Y mandamos que durante el dicho tiempo perſona al
guna ſin vueſtra licencia no le pueda imprimir ni vender,
ſopena q̃ el q̃ lo vendiere, e imprimiere, aya perdido y pier
da qualeſquier libros moldes y aparejos que del tuuiere, y
mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis por cada
vez que lo cõtrario hiziere, de la qual dicha pena ſea la ter
cia parte para la nueſtra camara, y la otra tercia parte para
el juez que lo ſentenciare, y la otra para el que lo denuncia
re. Y mandamos a los del nueſtro Cõſejo, Preſidente, e Oy
dores de las nueſtras Audiencias, Alcaldes, Alguaziles de
nueſtra caſa y corte y chãcillerias, y à otras qualeſquier ju
ſticias de todas las ciudades, villas, y lugares de los nueſtros
Reynos y ſeñorios, a cada vno en ſu juridicion, anſi a los q̃
agora ſon, como los que ſeran de aqui adelante, q̃ vos guar
den y hagan guardar y cumplã eſta nueſtra cedula y mer-
ced, que anſi vos hazemos, y contra ella no vayan ni paſſen
ni conſientan yr ni paſſar en manera alguna, ſo pena de la
nueſtra merced, y de diez mil marauedis para nueſtra cama
ra. Dada en Valladolid, a treinta y vn dias del mes de Iulio
de mil y ſeyſcientos y quatro años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nueſtro ſeñor.

Iuan de Amezqueta.

DOMINO D. IOANNI DE AMEZQVETA CAMERÆ REGIÆ à ſecretis meritiſsimo, Licentiaus Franciſcus Murcia de la Llana. S. P. D.

CVM Omnibus à natura inſitũ ſit, vir illuſtris, vt qui minùs poſsint, potentiorum fauorem, & auxilium inhiant, quibus ſibi prouidentes, res ſuas ab omni iniuria vindicẽt. Semper vnuſquiſq; pro ſuis viribus conatur, id totũ exhibere. Ita enim ſumꝰ à natura propenſi, vt res noſtras in ſublimi conſtitutas deſideremus. Sic enim rationis expertia Leonem in Regem aſciſcunt; aues aquilam ad principatum promouent, vt inſidias inimicorum effugere, illis liberum, & integrum ſit. Maris procellis ſe committentes, eũ præferunt nautam, qui ipſos è tẽpeſtatibus eripere valeat. Non aliter, illuſtris vir, cum ſæpiſsime cogitarem, quàm amulos hij labores ſint habituri, cũ videar iam multos turpia in me iaculari, acriterq; me accuſantes, vt hæc ſelecta ſolùm eo nõmine ediderim, vt Philoſophiæ facerẽ iniuriam, non alium ex multis, qui mihi occurrebãt, quàm te ipſum, in quem viſa eſt natura ex alijs hauſtas virtutum dotes transfudiſſe, cui præter generis nobilitatem, tantam authoritatẽ, & pruden-

dentiam, in te vno voluit esse conflatam; quantã testãtur ea, quæ humaniter, piè, & fideliter apud illustrissimum Comittem de Miranda Neapolitanum Regnum gubernantem gessisti, quantãque hodierna die apud Cameram Regiam in consilijs prætefers, eligendum proposui, cuius humanitate, fide, ac nomine tanquã Milciadis Clypeo intrepidè omnes aduersariorum ictus eluderem. Neque futurum spero, quenquam, qui sit te mihi operiq; meo defensorem audierit, non penitus obtumescere. Hos igitur quantuloscumque labores, tudes accipias, eosque pro tua nobilitate foue, vt qui me tui semper studiosissimum audierint, Ijdẽ intelligãt denuò te maiora apud me beneficia collocasse. Experientur enim, me communi vtilitati inseruisse, & ob eam rem faciliùs, quod à te postulo perpetrasse. Quod vt facias etiam, atq; etiã rogo, efficies enim, si hoc feceris, vt qui in puluere, & tenebris vixerit, excussis nũc, in loca clariora euadat, omnemque laborem contẽnat, si tibi gratum cognouerit. Vale decus, & ornamẽtum, Hispaniæque sydus.

COMMENTARIA IN LIBROS ARISTOTELIS de anima.

PROOEMIVM.

POST Quã Arist. egerat de principijs, & affectionibus communibus omni enti mobili, quod præstat in. 8. lib. Phys. & de ente mobili incorruptibili in libris de cœlo: deniq; de alijs entibus naturalibus, tam simplicibus quàm mixtis, vt in lib. de generatione, & in lib. Metheor. tamen agendum restabat de præcipuo ente naturali, quod est animatum; quod prestat in his lib. de anima, & de historia animalium, de longitudine, & breuitate vitæ: sed quia principium formale, & substantiale, quo animatum in suo esse constituitur, est anima, ideò hoc loco per tres lib. disputat de anima, & eius potentijs. Et quidẽ, vt moris est, circa obiectum horũ librorum autores non omnino conueniũt, quibusdã asserẽtibus obiectũ horũ librorũ esse corpus animatũ, qualis est Paulus Benetus com. 3. Iandunus. q. 3. Alijs vero asserentibus, tale obiectum esse animam, non verò corpus animatum. Quam sententiam vt long everiorem tenent hoc loco Albertus Mag. S. Thom. AEgid. & plures alij. Arist. enim hoc. 1. lib. de anima tex. 2 reddit rationem, quare agat de anima, quia scilicèt, est natura

tura quædam, cum ſit principium operationum animalis: idque ratio ipſa manifeſte oſtendit. Id enim eſt ſubiectũ alicuius ſcientiæ, cuius natura proprietates, & affectiones traduntur in tali ſcientia. In hac autem parte Philoſophiæ ex profeſſo agitur de natura, & quiditate animæ, & de eius potentijs, ergo reuera illa eſt ſubiectum horum librorum.

Addo tamen cum Apolinario hoc loco quęſt. 3. de corpore animato, & ſi hoc loco, ex profeſſo non egerit Ariſt. egiſſe tamen de illo in lib. de animalibus, de hiſtoria animalium, de lõgitudine, & breuitate vitæ, ac pluribus alijs: ac decuit ſane, cum inter omnia entia naturalia, de quibus ad Philoſophum agere ſpectat, animatum ſit perfectiſsimum, & de illo paſsiones eius propriæ demonſtrari poſsint. Ex quo etiam patet ad Philoſoph. ſpectare agere de anima: agit enim Philoſophus de natura, & ente naturali, anima autem, quædam natura eſt, quia eſt principium operationum vitalium ipſius viuentis, natura autem eſt principium motus.

Secundò id probatur in particulari, nam in primis, anima ſenſitiua, ſcilicèt, quæ eſt principium ſenſationis, & anima vegetatiua, ſcilicèt, quæ tantum eſt principium nutritionis, & augmentationis, ſunt quædam formę in ſuo eſſe materiales, quia à materia pendent, ſuntque generabiles, & corruptibiles: ergo earum cõſideratio propriè ſpetat ad Philoſophũ. De anima rationali etiam probatur, quia quãuis in ſuo eſſe ſpiritualis ſit, reſpicit tamen materiam phyſicam, affectam qualitatibus certis ſenſibilibus, ad eius introductionem neceſſarijs: ergo vt ſic, ad Philoſophũ pertinet diſputare de illa. Vnde perperam hoc loco Caiet. aſſeruit, animam rationalem, ſecundum gradum illius vltimum, ſcilicèt, qua intellectiua eſt, non pertinere ad Philoſophum: nam adhuc, vt intellectiua eſt, importat ordinem ad materiam Phyſicam affectã qualitatibus, ad eius introductionem neceſſarijs: ergo etiã vt ſic, ad Philoſophum ſpectat.

Dicendum tamen eſt ſecũdò: tractationem de anima rationali, quodam modo ad Methaphyſicum ſpectare, ſcilicet, in quantum eſt ſubſtantia quędam ſpiritualis per ſe ſubſiſtẽs, hac enim ratione Metaphyſicus

physicus disputat de substantijs separatis, scilicet de intelligentijs, eandem tamen in ordinem ad materiam Physicam considerat Physicus.

Difficilius tamen est, vtrum etiam anima rationalis separata à corpore, sit obiectum ad Philosophos pertinés. Et breuiter respondendum est, iuxta prædictam distinctionem, nã, in quantum anima separata, etiam importat ordinem ad materiam Physicam, quãuis actu illam non informet: hac ratione, pertinet ad Philosophiam: eadem verò, in quantum præcisse consideratur, vt substantia quædam spiritualis per se subsistens, ad Metaphysicum spectat; neque in his, cum facilia sint, opus est, longam texere disputationem.

LIBER PRIMVS DE ANIMA.

IN Hoc lib. qui quatuor capita continet, duo præstat Philoſ. nam in 1. cap. proponit dignitatem, difficultatẽ, atq; vtilitatem huius ſcientię de anima, in tribus verò poſterioribus varias reffert, & reijcit antiquorum ſententias, circa naturã animæ, vt deinde in 2. lib. propriam de hac re proferat ſententiam, & quia in. 2. lib. latiùs à nobis de natura animæ diſputandum eſt: vbi etiam prædictas antiquorum ſententias referam, hoc loco: ea ſolùm breuiter attingam, quæ Ariſt. de vtilitate, & dignitate huius ſcientiæ docuit. Dicit ergo in primis, ſcientiã de anima reliquis eſſe prę ſtantiorem, tum nobilitate obiecti, tum etiã certitudine demoſtrandi.

Docet præterea, vtilem eſſe ad omnes alias ſcientias, & ſic explicari poteſt: nã in primis, eſt vtilis ad Meta. anima enim, eſt quid medium inter ſubſtantias prorſus à materia ſeparatas, de quibus agit Meta. & inter formas prorſus materiales, atq; adeò non parum iuuat ad cognoſcendas ſubſtãtias ſeparatas. Eſt etiam vtilis ad Philoſophiam moralem: nã hæc agit de virtutibus moralibus, & earum actibus, quæ omnia, & ab anima rationali pendent, & in illa ſubiectantur, atq; adeò multùm conducit ad moralem Philoſophiã, cognitio animæ, & potentiarum eius, de quibus hoc loco agitur: eſt etiam vtilis ad logicam, hæc enim agit de operationibus intellectus, quæ ſunt actus ipſius animæ. Tandem eſt ad Mathematicas, quodã modo vtilis, & quaſcumque ſcientias, inquantum agit de anima rationali, & potentijs ſenſitiuis animæ, in quibus experientiæ, quibus Mathematici ducuntur, fundantur.

Ingerit tamen non paruam difficultatẽ ex Poſterioribus Ariſt. id quod primo loco docuit, ſcilicet ſcientiam de anima præſtare reliquas, & nobilitate

litate obiecti, & certitudine demõstrandi: nam vel comparat scientiam de anima cũ reliquis scientijs, & sic falsa videtur eius sententia: nam demõstrationes Mathematicę sunt omniũ certissimæ, atq; adeò, non potest excedere illas in certitudine demonstrandi. In nobilitate obiecti, no potest excedere Metaphisicã hęc enim agit de ente communissime sumpto, tum etiam de Deo, & intelligentijs, quæ animam longe superant in perfectione. Si autem comparet scientiam de anima cum reliquis Philosophię partibus, nõ minùs videtur, eius sententia difficilis, nam etiam Philoso. agit de primo motore, quo nihil potest esse nobilius, tum etiam, quiã omne totum prę stantius est sua parte: ergo ea Philosophię pars, quæ agit de anima, seu de animalibus, longe præstat istã nobilitate obiecti.

Respondetur tamen cũ S. Tho. & alijs hoc loco: prædictam comparationem, non esse inter scientiam de anima, & reliquas scientias, sed inter illam, & reliquas partes Philosophiæ: neq; enim est in Aris. fundamentum aliquod, quare etiam ad alias scientias prædicta comparatio extendatur, & difficile profectò saluari potest, vt argumentum probat, facta vero cõparatione ad reliquas Philoso. partes, facilius intelligitur: anima enim est præstantissima inter omnes naturas, quas Philoso. considerat, & ita dignitate obiecti reliquas antecedit, certitudine vero demõstrandi superat illas, non quidem in quibuslibet demõstrationibus, sed in demõstrationibus à posteriori: istæ enim in scientia de anima sumuntur ab operationibus ipsius animæ, quæ nobis maximè sunt notæ, vt potè, quas in nobis ipsis experimur, & ita quo ad nos certiores sunt prædictæ demõstrationes.

Vnde ad rationem factam respondetur. Philos. agere de primo motore, qui nobilior est anima, non tamen agit Philos. ita directè, ac de anima, de anima enim agit, vt de principio formali intrinseco alicuius entis naturalis, de primo verò motore, solùm in quantum est vniuersale principiũ operationum, & motuũ, quos Philoso. considerat, & ita consideratio de anima magis directè ad Philos. expectare videtur, quàm scientia de primo Motore.

Ad secundum respõdetur: ani-

animatũ excellentius esse obiectum quàm anima, Arist. tamen, non distinguit scientiam de animato à scientia de anima, cum pro eodem reputentur, sed loquitur de alijs partibus Philosoph. quæ nihil ad animam.

Hoc loco, quidam disputare solent, vtrum accidentia conducant ad cognitionem substantiæ, occasione sumpta, ex eo quòd Aristot. dicit, naturam animę ex eius operationibus, & accidentibus dignoscendam esse, dicam tamen ego de hac re commodius. 3. lib. de anima, dum examinabimus, an substantia cognoscatur per speciem accidentis: quare his, & alijs futilibus omissis, ad ea, quæ difficultatem habẽt, perueniamus opportet.

LIBER SECVNDVS DE ANIMA.

Caput primum, & secundum.

POstquã Arist. in superiori lib. varias de animæ natura sententias in mediũ adduxit, easdéq; reiecit, iam in his duobus capitibus, eius naturam & essentiam ex propria sententia explicat. Et quidem in primo capite duo agit: in priori parte, nonnulla supponit, in secunda vero parte adducit animæ diffinitionem, eãq; explicat. Primò ergo supponit, quòd ens, aliud est substantia, aliud accidens. Secundò, quòd substantia est triplex, scilicet, materia, quæ est quædam potentia, forma, quæ est actus & perfectio, & compositũ ex vtraq;. Tertiò supponit substantiam, aliã esse corpoream, aliam incorpoream: rursus corpoream, aliam animatam, aliam verò inanimatam. Quartò supponit, actum esse duplicem, alium primum, vt scientia, alium secundum, vt actualis cõtemplatio.

Denique in secunda parte, probat in primis, animam non esse corpus, quia corpus non est in alio, anima autẽ est in alio, scilicet in corpore: ergo anima nõ est corpus: vnde diffinit animã, dicens. *Anima est actus corporis Physici & organici potentia vitã habẽtis.* Explicat autem definitionẽ, dicens animam nõ esse quemlibet actũ, sed actum primum, quia sicut scientia respectu speculationis, est actus primus, quia ab illa procedit speculatio, ita vigilia, aut somnus ab anima procedunt, & ita anima est actus primus. Quod vero sit actus corporis Physici, & organici, probat à simili de anima arboris, nam in arbore sunt varia & diuersa organa, scilicet, folia, radices, & fructus. Et hæc de litera primi capitis.

In secundo capite, intentũ Arist. est, adducere aliã animæ definitionẽ, p quã demõstret primã, iã adductam: tria agit.

Pri-

Primò, nonnulla ſupponit. Secundò duas quæſtiones mouet, & ſoluit: Tertiò tandem colligit ſecundam animę definitionem, per quam demonſtrat priorem.

Primò ergo ſupponit, anima tũ differre ab inanimato per vitam, viuere tamen, inquit, multis modis contingit, quędam enim habẽt animam vegetatiuã, cuius operatio eſt nutritio, & augmentatio, quales ſunt plantæ, & hæc, inquit, ſeparatur à ſenſitiua: plantæ autem, non ſentiunt. Alia verò habent animam ſenſitiuam, qualia ſunt, quæ habent ſenſum, dicitque ſenſum tactus omnibus ineſſe animalibus. Alia tandem habent animam intellectiuam, ſeu rationalem.

Quibus ſuppoſitis, in ſecũda parte capit. dubitat primò: cum hęc omnia ſcilicet, vegetare, ſentire, & intelligere, poſſint in eodem animato inueniri, vt patet de homine: an proueniant ab eadem anima, & quia (vt Simpl. hoc loco aduertit) quæſtionis huius ſolutio adducta iam erat lib. 1. vbi docet in quouis viuenti, vnicam eſſe animam, per quod patet, omnes illas potentias ab eadem anima prouenire poſſe. Mouet ſecundam quæſtionem an tales potẽtiæ, ſint ſeparatę loco, ita vt diuerſę ſint in diuerſis partibus ſubiecti. Et dicit in primis, in quibuſdã animalibus huiuſmodi potentias non ſeparari loco, ſed omnes eſſe in eadẽ parte, qualia ſunt animalia ſectilia, nam huiuſmodi animalia adhuc diuiſa, viuunt, & in quauis parte ſipungantur, ſentiunt, & habent dolorem; ergo ibi etiam eſt appetitus. De intellectu vero, inquit, & cõtemplatiua potentia, an ſint diuerſę, & loco ſeparentur, dubium eſt: nihil enim hactenus determinauit.

In tertia parte cap. inquit Ariſt, quod ſicut duobus, ſumus ſani, ſcilicet corpore, vt materia: & ſanitate, vt forma: & ſicut duobus ſcimus, ſcilicet, ſcientia, vt forma, & intellectu, vt ſubiecto: ita duobus viuimus, ſentimus, & loco mouemur, ſcilicet, corpore, vt ſubiecto, anima vero, vt forma & actu: vnde inquit, anima eſt, quo primò viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus: ſed quia ſubſtãtia eſt triplex, vt præcedenti capite docuit, ſcilicet, materia, forma, & totum cõpoſitum, dicit animam non eſſe totum compoſitum, hoc enim potius eſt animatum, quàm anima: neque etiã eſt materia, quia materia,

ſeu

seu corpus, non est actus animæ, sed potius anima actuat corpus: ergo est forma, & actus, ergo id quo primò viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, est actus corporis Physici, & organici, potentia vitã habẽtis. Hęc de litera.

Disput. I. Huius libri de natura & essentia animæ.

PLacuit hac in re materiam vtriusq; capitis iam explicati, hac vnica disputatione cõplecti, id enim est vtriusq; intentum, scilicet, naturam, & essentiam animæ varijs definitionibus explicare, vt eius natura, & essentia cognita, de illius passionibus, & potentijs disputemus: & quidem meritò hac in re omittimus quæstionem, an sit, cum existentia animæ, tum experientia ipsa, tum etiam communi omniũ hominũ conceptione cõstet.

Quæst. I. Vtrùm anima sit actus corporis physici, & organici potentia vitam habentis.

CIrca naturam, & essentiam animæ, varias antiquorũ sententias refert Arist. supra lib. 1. Prima fuit Democriti, & Leucipi, asserentium, animã esse ignem, ac calorem quendam, membra corporis viuificantem, & mouentem. Secunda fuit Archelai magistri Socratis, asserentis corpora omnia viuentia ex atomis conflari, vnde principium illud, quo tales atomi mouentur, animam esse dixit.

Tertia fuit Platonis asserentis animam esse substantiam quandam per se subsistẽtem, ac se ipsam mouentem, ac tãdem, vt alios omittam Philosophos, quorum de hac re sententias late commemorat Plutarchus. lib. 4. de placitis Philosoph. c. 2. animam nihil esse præter naturale corporis temperamentum. Videtur sensisse Gale. lib. 3. de symptomate. Aristoteles vero omnium optime veritatis scopum attingens, dixit, animam esse formam quandam, seu actum corporis Physici, & organici, &c.

Sed quia prædicta definitio circa singulas eius particulas, plura scitu digna continet, eas sigillatim explicemus, oportet. Primò ergo dubitari potest, vtrum anima sit actus, seu forma quædam: quam dubitationem breuiter, & facile soluit Arist. capit. 1. huius libri, ostendens, animam esse

actum quendã, non verò ſubiectum receptiuum huius actus, quia actus eſt id, quòd eſt in alio, illiq; dat eſſe, ſed potiùs anima eſt in corpore, quàm corpus in anima: ergo anima eſt actus quidam, & forma.

Poteſt etiã id ſecundò probari ex definitione formæ adducta, ab Ariſt. 2. Phyſi. *Forma enim eſt ratio, & quod quid erat eſſe rei:* ſed anima eſt ratio cõſtitutiua animati: ergo eſt forma, & actus.

Tertiò tandem, quia materia communis eſt tã rebus animatis, quàm in animatis, anima verò ſolũ viuentibus conuenit: ergo anima non eſt materia, ſed forma quædam.

Secundò dubitari poteſt, vtrum anima ſit actus primus, & ſubſtãtialis. In qua reſuppo nenda eſt diuiſio actus, quam Ariſt. cap. 1. huius lib. adduxit: alius enim eſt actus primus, alias vero ſecũdus, tamẽ cũ eſſe primum, & ſecundum dicatur in comparatione ad aliud: actus primus duplex eſt, alius enim eſt primus ſecundũ quid, ſcilicèt, in cõparatione ad alium poſteriorem, qua ratione Ariſ. loco citato, ſciẽtiam appellauit actum primũ, quod in cõparatione ad contẽplationem, quæ eſt ſuus actus, prior eſt, non eſt tamen actus ſimpliciter primus, hic enim eſt forma ſubſtãtialis, & appellatur primus, vt vidimus primo de generatione diſputatione prima, non quidem ordine executionis, quia ſcilicet, prius actuet materiam quouis alio actu: nam ſaltem generatio productiua formæ, cum ſit via ad illam, prius natura actuat materiam, quàm forma ipſa producta, ſed appellatur primus ordine intẽtionis, ſeu perfectionis, eſt enim forma ſubſtãtialis perfectior quauis alia forma principaliùsque à natura intenta.

Caiet. tamẽ hoc loco, minus bene addit, q̃ quãuis actus prĩmus ſecundum ſuam entitatẽ ſit perfectior, actu ſecũdo, nõ tamẽ in ratione formali actus. Cuius fundamentũ eſt, nã ille actus eſt perfectior, in ratione actus, qui magis actuat ſubiectũ, & qui minꝰ relinquit ſubiectũ in potẽtia: ſed talis eſt actus ſecũdus: nã ſubiectũ habens actũ primũ, adhuc eſt in potẽtia vt actuetur magis per actũ ſecundũ: ergo in ratione actꝰ perfectior eſt actꝰ ſecũdꝰ.

Meritò tamẽ hæc ſententia Caiet. cõmuniter reijci ſolet: nã in primis, diſtinctio illa de actu conſiderato ſecundũ ſuã entitatem, & in ratione actus

fri-

friuola est: nã cũ tota entitas & essentia actus sit actuare, non quidem actu, vt patet de anima separata, sed potentia, id est, esse actuatiuum, ille actus, qui in ratione actuandi perfectior est, etiam debet esse perfectior in sua intrinseca entitate, nullam enim habet aliam entitatem.

Secundò: nam iuxta sententiam Caiet. actuatio (si est aliquid diuersum a entitate actus) oritur tamen ex ipsa entitate: ergo perfectior actus in ratione entitatis, etiã erit perfectior in ratione actuandi.

Tertiò etiã falsum est, actũ secundũ, etiam in ratione actuãdi esse perfectiorẽ primo nã actuatio formę substantialis, est actuatio substãtialis cõferens esse simpliciter: actuatio vero cuiusuis formæ accidẽtalis, est solum actuatio accidẽtalis, quæ solum dat esse, secundũ quid: ergo etiam in ratione actus perfectior est actus primus quàm secundus.

Neq; fundamentũ Caiet. aliquid probat, quia quãuis subiectum, habens actũ primũ, sit in potentia ad actũ secundũ, eo quod actus secũdus est noua quædã entitas, diuersa ab actu primo, & posterior illo, tamen, si quemlibet per se cõsideremus, & non in quantum secundus supponit primum, longe magis, & perfectiùs actuat potẽtiam actus primus, quàm secundus.

Et si inquiras, vtrũ actus primus, qui est forma substantialis, possit separari ab actu secundo, qui est operatio illius formæ, ita vt aliquãdo possit esse forma sine omni operatione. In primis, certũ est animã rationalẽ, cũ libere operetur, posse cessare ab aliquibus eius operationib', illis scilicet, quę subduntur imperio rationis, qualis est actio de ambulãdi, videndi &c. Alias tamen operationes habet minimè dependentes ab imperio rationis, qualiter, licèt in libertate hominis positũ sit, non assumere alimentũ, tamẽ semel illo suscepto, nõ est in sua potestate, non nutriri, medio illo, quia actio caloris naturalis in alimẽtum, prorsus naturalis, & necessaria est.

Dicendũ ergo est: ex natũra rei, & secluso miraculo, nullã formã substãtialem posse cessare ab omni operatione: vnde & Arist. 2. lib. de cœlo aperte docet, vnumquodque esse propter suã operationem, vt ibidem exponam, & quidẽ de formis, quę sunt animę, id patet, nam si alimentũ ad sit, necessariò erit actio caloris in

illud, ſi verò tale alimentum deficiat, adhuc calor naturalis non ceſſat ab actione, qua continuò agit in partes ipſius viuentis.

Nec placet eorum ſolutio, qui aſſerũt, calorem in actione, qua agit in alimentum, nõ operari, cum actuali concurſu animæ, ſed ſe ſolo, nam reuera ſicuti anima natura ſua ordinatur ad cauſandam nutritionẽ, ita etiã ad diſponendũ ad illam, & ita reſpectu talis actionis, eſt principium radicale concurrens cum calore: ſicut quia forma ignis, natura ſua ordinatur ad producendum ignem, etiam concurrit cum calore ad calefaciẽdum: potentiæ enim cum ſint inſtrumenta formę, ſunt id, quo ipſa forma operatur. De alijs verò formis inanimatis, etiam probatur. Vnumquodq; enim ad cõſeruationem ſpeciei intendit producere ſibi ſimile, & ita eam habet à natura inſitam inclinationem, vt continuò in paſſum proximũ agat.

His ſuppoſitis dicendũ eſt, animam eſſe actum primum, & ſubſtantialem. Quam ſententiam docuit aperte Ariſt. cap. 2. huius lib. dicens, animã eſſe id, quo primò viuimus; dixerat autem paulo anteà, viuere, duobus modis integri, corpore, vt materia, & anima vt actu: ergo ſi aliàs aſſerit animam eſſe id, quo primò viuimus, ſecundum illum anima actus eſt.

Et ratione probatur, nam vt. 1. lib. Phyſi. argumentabar, ad probandum diuerſitatem formarum ſubſtãtialium, euidens inditium eſt, quòd experimur in corporibus naturalibus, tantam proprietatẽ & paſſionum diuerſitatẽ: hoc enim indicat dari formas ſubſtantiales diuerſas, cum materia eiuſdem rationis ſit in omnibus generabilibus, & corruptibilibus: ſed ſimiliter in rebus animatis experimur varias, & cõtrarias proprietates, quę ſimili modo non poſſunt oriri ex diuerſitate materiæ, cũ eiuſdẽ rationis ſit in omnibus: ergo animata habent formas ſubſtãtiales diuerſas, quas nos animas vocamus: ergo anima eſt actus primus.

Tertiò dubitari poteſt in hac quæſtione, vtrum anima ſit actus corporis Phyſici, & organici, & quidẽ meritò Ariſt. dixit, animam eſſe actum corporis Phyſici, quod eſt corpus ſubſtantiale, ad excludendum corpus mathematicum, ſcilicet quantitatem, anima enim non actuat quantitatem: ſed immediate actuat materiã pri-

primam, cum qua vnum per se componit.

Est tamen adhuc dubium, quid intelligat Arist. per corpus Physicum, quod est corpus substantiale. Nam in primis Scotus, ponens in materia formam substantialem corporeitatis, illi coæuam, asserit animam esse actum corporis, id est, materiæ actuatæ iam forma corporeitatis, qua ratione efficit cum illa quoddam corpus: hæc tamen sententia falsum supponit principium, vt late ostendimus 1. Physi.

Quare secundò, alij asserũt, ibi nomine corporis intelligi materiam primam, non quomodocunq;, sed actuatam anima conferẽte gradũ superiorem corporis: cum enim anima conferat plures gradus, scilicet, esse corporis, viuẽs, &c. in quantum tribuit gradũ vniuersalem corporis, non appellatur anima, vt sic enim conuenit cum alijs formis non viuẽtium, & ita anima, secundum gradum vltimum animæ, est, inquit, actus corporis, id est, actus materiæ primæ actuatæ iam tali anima, cõsiderata secundum gradum vniuersalem formæ corporeæ: sic tenet Caiet. hoc loco.

Sed neq; hęc expositio placet. Ratio est, quia forma Physica debet realiter distingui, ab eo, quod informat, aliàs solum esset forma Meta. ratione tantum diuersa, qualis est differentia respectu generis: sed distinctio illa graduum satis metaphysica est, & per rationem: ergo forma, secundùm gradum inferiorem, non potest esse actus Physicus, re ipsa diuersus à corpore, prout dicit gradum Metaphysicum superiorem.

Tertiò, alij asserunt corpus in prædicta definitione sumi pro corpore animato, quod integratur ex anima, & corpore, ita vt sit sensus prædictæ definitionis; anima est actus corporis animati, & definiatur anima per suum effectum formalẽ, ac si quis diceret; albedo est actus albi. Sic docuit Auerroes hoc loco, & Tolet. eandemq; expositionẽ sequitur D. Tho. 1. par. q. 76. art. 4. ad. 1. & videtur probari ex eodem Arist. tex. 10. vbi explicans cuius corporis anima sit actus, ait; *non est autẽ quod abijcit animam, sed quod habet.*

Sed neq; hæc expositio placet, nam si anima est actus corporis animati, prout inuolũit animã, & per illud, vt sic, definitur: ergo loco illius licebit ponere in tali definitione eius definitionem, iuxta regu-

lam

lam Ariſt. 1. topicorum capit. 3. cũ autẽ animatũ definiatur, q̃ ſit illud, quod habet animã, iã liceret dicere, animam eſſe actũ eius, quod habet animã, & ita definiretur per ſe ipſam, & non per aliquid notius.

Neq; valet dicere, prædicta verba debere intelligi in his, quæ definiuntur per intrinſeca, non verò per extrinſeca, qualiter vnum relatiuum definitur per aliud, quod extrinſecum eſt illi: & ſimiliter anima per animatum qđ aliquid ab illa diuerſum eſt, ſaltem ſicut totum à parte. Hoc, in quam, non valet, nam Ariſtot. loco allegato, aperte etiam loquitur de his, quæ definiuntur per aliquid extrinſecum. Dicit enim malam eſſe diffinitionem ſolis, ſi dicamus eſſe ſtellam in die aparentem, quia, inquit, loco diei, licebit ponere eius diffinitionem, ſcilicet latio ſolis ſuper terram: vnde erit ſenſus: ſol eſt ſtella aparens in latione ſolis ſuper terram, atq; adeò idem definiretur per ſe ipſum, conſtat autem prædictam definitionem ſolis dari per extrinſecum, ſcilicet per diem, & etiam definitionẽ diei per terram: ergo adhuc Ariſtot. loquitur de his, quæ definiuntur per extrinſeca.

Secundò, quia ſemper definitio, & definitum ſunt idẽ, & ſemper definitio clarius explicat naturam definiti, quam eius nomen: ergo ſemper loco nominis definientis, licet ponere eius definitionem, & ita nos capite de ſpecie, talem regulam vniuerſaliter eſſe intelligendam docuimus.

Ex quo infertur, quod definitiones illæ: albedo eſt actus albi, aut; lux eſt actus lucidi, ſi ſumatur album, vel lucidum, prout intrinſece includit albedinem, vel lucem, vicioſæ ſint, quia loco illorum, ponere illorum definitionem licet; & cum lucidum ſit corpus, habens lucem, iam diceretur, lucem eſſe actũ corporis, habentis lucẽ: ſi tamen ſenſus ſit, lucem eſſe actũ illius corporis, quod lucidũ eſt, non tamẽ includẽdo intrinſece in lucido, lucẽ ipſam, vera eſt definitio illa: vnde quando Ariſ. loco cĩtato explicãs, cuius corporis anima ſit actus, dicit illũ non abijcire animam, nõ intendit animam eſſe actũ illius, prout includit illam, ſed dicit reuera, & in re ipſa non excludere animam, non tamen quod anima ſit actus illius, prout illam inuoluit, & fortaſſe S. Thom. loco citato, nihil aliud intendit.

His

His ergo ſuppoſitionibus relictis, dicendum nobis eſt, illã particulam, corporis, poſitam in prædicta definitione, ſignificare materiam primam, quæ diſponitur ad recipiendã formã viuentis, quanuis enim materia prima completè non dicatur corpus, ſicut neq; etiam eſt ſubſtantia completa, eſt tamen incompletè corpus, quia eſt ſubſtantia corporea incõpletè: & hanc fuiſſe mentem Ariſt. ex eo conſtat, nam dum probat, animã nõ eſſe corpus, inquit animam eſſe in corpore, corpus verò ſe habere vt ſubiectũ, & materiã: ergo aperte loquitur de materia prima. Tũ etiã, quia corpus, prout dicit animatũ conflatũ ex corpore, & anima, nõ eſt ſubiectũ animæ, ſed totum quoddã ex illa compoſitum.

Sed obijcies: nã Ariſ. dicit, animã eſſe actũ corporis Phyſici & organici, ſed materia ſolũ eſt organica, prout includit animã, ex ſe enim nõ habet organa, cum omnes eius partes ſint eiuſdẽ rationis: ergo prædicta expoſitio, non eſt iuxta mentẽ Ariſ. Reſpõdetur, illã particulam organici, non ſignificare organizationẽ ſubſtãtialem, in qua includitur anima, ſed ſignificare organizationem accidentalẽ, quæ dicit diuerſas diſpoſitiones prꝛeuias in diuerſis partibus quantitatis, aut materiæ, non quidẽ, ꝙ anima ſit actus talium diſpoſitionũ, anima enim, nõ recipitur ſubiectiue in diſpoſitionibus, ſed in materia taliter diſpoſita. Et ſi obijcias, nã Phyſicũ includitur in organico, per perã ergo Ariſ. dicit animã eſſe actũ corporis Phyſici, & organici. Ad hoc argumẽtũ cõmunis ſolutio eſſe ſolet, quod quamuis ſpecificatiue ſumptũ includatur in organico, etiam ſpecificatiue ſumpto: tamẽ organicũ reduplicatiue ſumptũ, ꝓ vltima differẽtia, qua in eſſe talis conſtituitur, nõ includit Phyſicũ reduplicatiue ſumptũ, pro vltima ſua differentia, quia differentiꝛ inferiores, nõ claudunt formaliter ſuperiores, dicunt ergo Phyſicum, & organicum in prædicta definitione, non ſumi ſpecificatiuè, ſed reduplicatiue, & ita neutrum ſuperflue poni, quia neutrum in alio includitur. Hæc tamẽ ſolutio plus ſubtilitatis, quã veritatis habet, anima enim non ſolum eſt actus corporis Phyſici, & organici reduplicatiue, ſumpti, ſed etiam ſpecificatiue, ſicut anima rationalis, non ſolũ eſt actus hominis reduplicatiue, vt rationalis eſt, ſed etiã ſpe-

ſpecificatiue, vt homo eſt: ergo ſi anima dumtaxat definitur per Phyſicum & organicũ reduplicatiue ſumptum, non definiretur per ſuum effectũ, quaſi adęquatũ, atq; adeò minus bene defineretur.

Quare facilius poteſt reſpõderi ex dictis, ibi organicum, non ſumi prout dicit organizationem ſubſtantialem, ſed accidentalem dumtaxat, & ita non includit Phyſicum ſubſtantiale.

Et ſi adhuc inſtes: nam ſaltem corpus includitur in Phyſico ſubſtantiali. Reſpõdetur, ita eſſe, tamen quia nomen Phyſicum, tam poteſt conuenire accidentibus phyſicis, quã ſubſtantiæ corporeæ phyſicæ, cuius anima eſt actus, ideo explicandum eſt, cuius entitatis phyſicæ anima eſſet actus, ſuper addere opportuit illam particulam corporis.

Quartò dubitari, poteſt, circa illam particulam potentia vitam habentis, quod ſignificet, vita enim, aut viuere, duobus modis vſurpari poteſt, ſcilicet, & pro eſſe ſubſtantiali viuentis, & pro operatione vitali: vnde plures accipiunt, illam particulam, vita, pro eſſe ſubſtantiali vitali, quod tamẽ eſt contra mentem Ariſt. dicentis: Vitam autẽ dicimus, nutritionem, accretionem, & decretionem: ergo aperte loquitur de operatione vitali, quaſi dicat, animam eſſe actũ eius corporis, quod eſt in potentia ad habendas operationes vitales. Ex quo rurſus colligitur, quod vt optime docuit S. Thom. Philoponus, & Tolet. hoc loco ſuper text. 7. particula illa. ***Potentia vitã habentis***, non pertinet ad neceſſitatem definitionis, ſed dũtaxat, ad maiorem illius claritatem. Ratio eſt, quia cum organizatio natura ſua ſit propter operationes vitales exercendas, ſufficienter hoc indicatum erat in particula, organici: ponitur tamen ad maiorem explicationem.

Ex dictis ergo colligitur, prædictam animæ definitionem vniuocè conuenire omni animæ informanti, omnibus enim æque, & principaliter conuenit, quòd ſint actus corporis, &c. Anima vero aſſiſtens, qualem, quidam exiſtimant eſſe intelligentiam reſpectu cœli, nulla ratione comprehenditur in hac diffinitione, neq; eſt anima, quia eius corpus, nempe cœlum, nõ eſt corpus organicum, quælibet enim pars cœli, eſt cœlũ. Vtrum autem cœlum ſaltem in diuerſis eius partibus habeat

qua-

qualitatis diuersę rationis, dicetur in lib. de cœlo.

Infert secũdò, hanc definitionem legitimam esse, in ea enim illa particula, Actus, ponitur loco generis, reliquæ vero particulæ loco differentiæ, ad distinguẽdam animã à reliquis formis per ordinem ad corpus organizatum, potẽtia vitam habens.

Vltimò tãdem restat dubiũ in hac quæstione vtrum hæc definitio sit essentialis, vel potiùs descriptiua. Auice. enim lib. 2. naturalium quæstionũ, quem plures sequũtur, existimat prædictam definitionem descriptiuam esse, & fundamẽtũ esse potest ex dictis: datur enim per operationes vitales, quæ potiùs sunt accidentia, quàm ad essentiã animę pertineant.

Alij vero ex eo existimant, descriptiuam esse, quia datur per ordinem ad corpus, existimãt autem nullam relationẽ, etiam secundum dici, posse esse de essentia absoluti: hoc tamen fundamẽtum falsum est, vt latiùs diximus capite de relatione. Quare dicendum nobis est cum ferè cõmuni omnium sententia: hanc animæ diffinitionẽ quiditatiuã esse. Ratio est, quia datur per verũ genus, & veram differentiam essentialem animę: ordo enim secundum dici ad materiam, generale est, & essentiale omnibus formis: ordo verò talis scilicèt ad materiam organizatam, est vera differẽtia animæ, qua ab alijs formis distinguitur, & ita hæc diffinitio essentialis est. Neq; fundamentum contrariæ sententiæ aliquid cõuincit. Vidimus enim, qualiter particula illa, *Potentia vitam habentis*, non sit de necessitate definitionis, sed dumtaxat addita sit ad maiorem explicationem.

Quæst. II. Vtrùm secũda definitio animæ legitima sit, & qua ratione per illam demonstretur prima definitio.

SEcũda definitio animę adducta ab Aristot. c. 2. huius lib. est quòd *Anima sit quo primò viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus*. Circa quã tria videnda sunt. Primò an sit legitima. Secũdò an sit quiditatiua, vel potiùs descriptiua. Tertiò tandem qua ratione per illam demõstretur prima definitio.

Circa primum fuit sententia Simplicij, hoc loco asserentis, hanc definitiónem, nõ cõ-

uenire ōmni animę, ſed dūtaxat animæ rationali. Cuius fundamentū eſt, quia de ſola illa verificatur, qđ ſit id, quo primò viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus, non vero de anima ſenſitiua, aut vegetatiua, qui nulla iſtarum eſt, ſaltem id quo intelligimus.

Secunda verò ſentētia fuit AEgidij aſſerentis, in prædictis verbis non contineri vnicam tantùm definitionem, ſed triplicem, ita vt anima vegetatiua definiatur illis verbis, id quo primò viuimus: ſenſitiua vero illis, quo ſentimus, & loco mouemur, & tandem intellectiua, illis verbis, quo intelligimus.

Tertia verò & cōmunis ſententia à nobis tenēda eſt, prędictā animæ definitionē vnicā tantū eſſe, conuenireq; animę in cōmuni, prout cōprehendit omnē animā, quod imprimis colligitur ex Ariſt. initio capitis ſecūdi, vbi dicit ſe intendere tradere, aliam animæ definitionē, qua priorē demōſtret: ergo eandem animam, qua priorem definierat, etiam definit poſtea: ſed prior definitio ex omnium conſenſu vnica dumtaxat eſt, conuenitque animæ in communi: ergo etiam ſecunda.

Prætereà quia quando Ariſtot. dicit animam eſſe, quo primò viuimus ſentimus, loco mouemur & intelligimus illa particula, Et, non debet ſumi copulatiue, qua ratione, ſolùm conuenit animæ rationali, ſed disiūctiue, prout idem eſt, quod, vel, ita vt ſit ſenſus, anima eſt id, quo primo viuimus, vel ſentimus, vel locó mouemur, vel intelligimus, & ita conuenit omni animę, ad modum, quo in definitione naturæ, quando dixit Ariſt. naturam eſſe principiū motus, & quietis (communis plurium expoſitio eſt, particulam, Et, non ſumi copulatiue, ſed disiunctiue: vel ſecundò dici poteſt, vt alijs placet, etiam poſſe ſumi illam particulam copulatiue, ita vt anima in cōmuni copulatiue habeat omnia illa, ſed non prout cōtracta in qualibet anima, ſed in pluribus, ſicut dicimus albedinem participari à pluribus hominibus, nō quidem, quia eadē numero albedo ſit in pluribus hominibus, ſed quia ratio albedinis in pluribus albedinibus contracta reperitur.

Et ſi obijcias contra prædictam definitionem. Nā omne quod ſentit viuit: ergo ſufficeret dicere, animā eſſe, quo primo

mò sentimus, absq; eo quòd adderetur illa particula quo primò viuimus. Similiter omne quod à se loco mouetur, sentit, ergo sufficeret dicere, quo loco mouemur, vt per inde intelligatur, etiam esse quo sentimus, & viuimus.

Respondetur tamẽ, nullam ex prædictis particulis frustrà poni, nã Arist. intendit hac definitione explicare varias, & diuersas operationes animæ, & ita per illam particulam, viuimus (vt notauit hoc loco Caietan.) nõ intelligit, quodlibet opus vitæ, sed operationes animæ vegetatiuæ, nam capit. 1. huius libri, explicans particulam illam, *Potentia vitam habentis*, dicit, Vitam autem dicimus nutritionem, & accretionem, & ita diuersa sunt hoc modo, viuere, & sentire, quanuis vnum supponat aliud. Similiter particula illa, loco mouemur, præcipuè sumitur pro loco motiuo motu progressiuo, & hac ratione non omnia, quæ sentiunt mouentur: conchilia enim, quæ sunt animalia quædam affixa petris sentiunt, nõ tamen mouẽtur localiter hoc modo, nisi secundum partes, quibus augentur: ad explicãdas ergo omnes operationes animæ, meritò positæ sunt, omnes illæ particulæ in tali definitione.

Circa secundum, quod inquirebat quæstio, scilicet vtrũ hæc definitio sit quiditatiua, seu descriptiua, placet ferè communis sententia asserentium, descriptiuã esse. Ratio est quia anima ex se, & seclusis potentijs, non est sufficiens principium ad exercendas operationes vitales, sed solum radicale, & ita simul cum potentia constituit principium quoddam sufficiens ad operandum. Quemadmodum homo prout habens risibilitatem est principium sufficiens actus ridẽdi: ergo definitio, quæ explicat animam esse principium viuendi, sentiendi, &c. explicat naturam animæ descriptiuè per eius potẽtias, à quibus habet quod sit principium sufficiẽs ad operandum, sicut quando definitur homo, quòd sit animal aptum ad ridendum.

Secundò probatur ab inconuenienti, quia eiusdẽ essentiæ, nõ possunt dari duæ definitiones essentiales, eo quod res tãtum habet vnicã essentiã: sed prior diffinitio animę, vt vidi m' quiditatiua est: ergo hęc secunda debet esse descriptiua. Patet cõsequentia, quia vtraq; definitio explicat natu-

ram animæ, vt anima eſt, licèt diuerſimode, nam vna definitio id explicat quidditatiue, alia vero deſcriptiue.

Addo tamen, vt bene notauit Fonſeca. 3. Met. c. 3. bene poſſe eandem eſſentiã definiri duplici definitione eſſentiali, altera Phyſica, altera vero Metaphyſica, vt ſi definias hominẽ, quòd ſit corpus conſtans corpore, & anima rationali: & rurſus, quòd ſit animal rationale, vtraque definitio quidditatiua eſt, tamen prior eſt Phyſica, poſterior vero Metaphyſica, non tamen poteſt eadem res quidditatiuè definiri duplici definitione Phyſica, aut duplici Metaph. & ita Phyſicus non poteſt definire animã duplici definitione eſſentiali.

Sed obijcies; animæ eſſentiale eſt quod ſit id, quo primò viuimus, &c. ergo hæc definitio explicat quidditatem animæ: ergo eſt quidditatiua. Reſpondetur, quod quanuis in anima vnica, & eadem entitas ſit ratio formæ, & ratio principij operationum vitaliũ animalis, tamen prius concipitur ratio informandi, quã ratio principij operandi, & ita ſaltem in noſtro modo intelligendi, non explicat hæc definitio eſſentiam, qua primò conſtituitur anima, licèt in re vtrumq; ſit idem.

Circa vltimum, quod inquirebat quæſtio, ſcilicet, vtrum hęc poſterior definitio animę demonſtret primam, S. Tho. quem plures hoc loco ſequũtur, aſſerit priorem definitionem demonſtrari per hanc à poſteriori, quia hæc poſterior animæ definitio datur per operationes, quę ſunt poſteriores anima, vt potè quæ ſunt effectus illius: tamen reuera, non eſt ad mentem Ariſt. ipſe enim in principio capitis ſecundi aperte dicit, ſe velle tradere aliam animæ definitionem, quæ cauſam contineat: ſed demonſtratio per cauſam eſt à priori: ergo reuera intendit demõſtrare à priori primã definitionem.

Quare magis ſentẽtia placet Themiſtij, Philoponi, & Tol. hoc loco aſſerentiũ hãc definitionem demonſtrare priorẽ, à priori in genere cauſæ finalis, ſunt enim operationes finis animæ, & ita demonſtratio, quæ datur per eſſe principium operandi, eſt à priori, ſaltem in genere cauſæ finalis: qua autem ratione Ariſt. conficiat demonſtrationẽ, explicuimus iã in fine literę capitis ſecundi: debet enim cõfici hac ratione. Id, quo primò vi-

viuimus', sentimus, loco mouemur, & intelligimus, est actus corporis Physici & organici, potentia vitam habentis: sed anima est id, quo primò viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus: ergo anima est actus corporis Physici, &c.

Sed obijcies primò: nã Arist. hoc lib. cap. 3. dicit, animã esse causam finalem potentiarum, ergo etiam est causa finalis operationis illarum, ergo impossibile est, quòd operationes ipsæ sint causa finalis animę, aliàs idem, & in eodem genere esset causa & effectus, & ita prius, & posterius.

Secundò, nam finis præstãtior est his, quæ sunt ad finẽ, sed operationes longè in perfectiores sunt anima, ergo nõ sunt causa finalis illius.

Ad primum respondet optime Niphus hoc loco: finem esse duplicem, alius est finis quo, scilicet quo finis consequitur, ad modum, quo Theologi dicunt visionem beatificam esse finem, quo, hominis, ideſt, quo cõstituitur beatus, dum per illam consequitur finem suum vltimum; alius vero est finis cui, & est res illa, cui finis aliquis desideratur: quãuis ergo anima sit finis cui, respectu suarum operationũ, quia anima est id, cui datę sunt operationes, vt meliùs se habeat, ac magis perficiatur: operationes tamẽ sunt finis, quo ipsa anima perficitur, & ita quodam modo habent rationem causæ finalis respectu illius, saltem tanquam finis minùs principalis, anima enim, ordinatur ad operandum medijs potentijs, & in quantum hæc demonstratio quodammodo procedit à causa finali, dici potest à priori.

Ad secundum respõdetur, eum finem esse præstantiorẽ, quàm ea, quæ ad ipsum ordinãtur, qui est absolute, & simpliciter finis, operationes autem non sunt finis absolute, & simpliciter vltimus, cũ rursus ordinentur ad ipsam anĩmam, tanquam ad finem, nempe vt illa meliùs se habeat, sed solùm habent rationem finis, quo, & ita hac tãtum ratione, est hæc demõstratio à priori.

Quæst. III. Vtrum in eodem viuenti reperiantur plures animæ.

IN hac re imprimis vitãdus est eorum error, qui asserue runt in omnibus viuentibus, vnicam dumtaxat animam numero reperiri, simul omnia illa viuificantem, quẽ refert Alber-

bertus in ſumma de homine, aſſerebant enim, quòd quemadmodum eadem numero anima rationalis varias & diuerſas informationes tribuit diuerſis organis noſtri corporis, pro eorum diuerſitate, ita vnica eadem numero anima informat omnia viuentia, diuerſimodè tamen pro varia eorum diuerſitate. Qui tamen error, aperte pugnat cum principijs noſtræ fidei, qua credimus, in pluribus hominibus plures dari animas rationales, ex quibus, quædam beatæ futuræ ſunt, aliæ vero damnandæ, & ita error iſte damnatus eſt in Cõcilio Vienenſi ſub Martino. 5. & in Lateranenſi ſeſsione octaua.

Et ratione impugnari poteſt. Primò quidem argumento ſimili, quo Auguſtinus argumentatur contra Auer. ponentem intellectum vnum numero eſſe omnibus hominibus, quia impoſsibile eſt in eodem intellectu, aut in eadem anima eſſe ſimul ſcientiã & errorem de eadem propoſitione: ſed ſæpe contingit in vno homine eſſe errorem de propoſitione aliqua, in alio vero ſcientiam de eadẽ: ergo nõ eſt in omnibus idem intellectus, aut eadem anima.

Secundò, quia omnia eſſent vnum ſubſtantialiter, quia ab vnica, & eadem anima omnia habent eſſe.

Quare maior eſt difficultas, an in eodẽ viuẽti ſint plures animæ. In qua re omiſſo Manichęorũ errore, qui in homine duas animas eſſe aſſeruerunt, alteram bonam, quam à Deo bono conditam eſſe aſſeruerunt, alteram verò malam à malo Deo procedentem, contra quem latè diſſerit Auguſt. de vera, & falſa religione cap. 1. & lib. de duabus animabus, & plures alij Theologi. Inter noſtros Philoſophos Plato in viuenti plures animas poſuit, vt refert Auicen. 6. lib. naturalium quæſtionum parte. 5. & S. Thom. 2. contra Gent. cap. 58. & ſæpe alibi, aſſeruit enim hominem tres animas habere non ſolum natura, ſed loco diſsidentes: alteram inmortalem in cerebro, veluti in arce conſtitutam, ne reliquarũ conſortio, & fatuitate polluretur: alteram, quam irascibilem appellabat, quam aſſerebat in corde reſidere: tandem aliam concupiſcibilem, quam in ea corporis parte reſidere aſſerebat, quam Medici ſeptum tranſuerſum vocant. Quæ ſententia in eo vi-

videtur posse fundari : quia contraria non possunt ab eodem principio prouenire: sed in vno, & eodem viuẽti experimur contrarias operationes: ergò non possunt ab eadem anima prouenire.

Secundò, quia vt docuit Aristot. 2. de generatione animalium cap. 3. homo prius viuit vita plantæ, postea vita animalis, & tandem vita hominis: ergo habet tres illas animas.

Tertiò, quòd saltem diuersis partibus organicis eiusdẽ corporis debeant concedi animæ diuersæ rationis. Probatur, quia non aliunde colligimus animam equi, & animam plantæ esse diuersæ rationis, nisi quia præstant informationes diuersę rationis, postulantes diuersas dispositiones: sed similiter partes organicæ eiusdem corporis, diuersam longè recipiunt informationem, vt caput, & brachium, & ita contrarias postulant dispositiones: ergo nõ possunt omnes informari ab anima eiusdem rationis, atque adeò, in eodem viuenti concedendæ sunt plures animæ.

In hac re dico primò. In quolibet viuenti non sunt plures animæ, sed vnica dumtaxat. Quam sententiam tenent hoc loco comuniter interpretes Aristot. vt iam hoc tempore indubitata, & certa habeatur, eamque tenet Arst. 1. lib. de anima capit. 4. vbi dicit, gaudere, ratiocinari, & moueri ab eadem anima prouenire, & secundo lib. de anima text. 31. docet, quod sicut triangulus est in quadrangulo, ita vegetatiuum est in sensitiuo: ergo sicut quadrangulus vnica dumtaxat figura est, ita ab eadem anima, à qua prouenit sensitiuum, prouenit etiam vegetatiuum.

Et quidẽ vt rationibus vtar, præter principia illa generalia quibus. 1. lib. Physic. disputa. 6. ostendimus, plures formas substãtiales esse ex natura rei incompossibiles in eadem materia, possumus etiam ex proprijs argumẽtari, quia si verbi gratia, in homine operationes animæ intellectiuę procederẽt à diuersa anima, ab illa, à qua procedunt operationes animæ sensitiuæ, non esset cur homo nimis quibusdã occupationibus intẽtus, ab alijs distraheretur. Quod tamen, ita esse experimur. Patet consequentia, quia haberet animas diuersas, quarum quælibet suarum operationum est principium : vnde non esset

cur

cur operationes vnius impedi rentur ab operationibus alterius.

Secundò, quia quęlibet anima ex illis, apta esset tribuere effectum formalem sibi proprium: ergo iam per animam rationalem esset in specie hominis, per sensitiuam in specie bruti, & tãdem per vegetatiuam in specie plãtæ, quod est absurdum.

Dico secundò: partes organicas eiusdem corporis quãtumuis sint diuersæ rationis informantur ab vna, & eadem anima. Hanc conclusionẽ docuit imprimis Arist. cap. 1. huius libri, dicens, animam esse actum corporis Physici, & organici: ergo vna, & eadem anima informat organa diuersæ rationis.

Et ratione probatur, quia vel partes organicæ habẽt diuersas animas totales, vel partiales diuersæ rationis: non tales, ostendimus enim nõ dari in eodem composito plures animas totales: neq; etiã partiales diuersæ rationis, quia vel illæ animę partiales diuersæ rationis specificæ, cõstituerẽt vnicam totalem animam, tamquam actus, & potentia, ad modũ, quo materia, & forma, quæ differunt specie partiali, constituunt totum compositum: & hoc non, quia vna pars animæ, non est subiectũ alterius, sed potiùs quælibet est actus materiæ primæ: vel constituerent vnicam totalẽ animam per continuationem: & hoc etiam nõ, quia ea, quę specie differunt, non possunt continuari inter se: ergo impossibile est partes organicas informari à partibus animæ diuersæ speciei.

Sed statim oritur dubitatio, qualiter organa sint diuersæ rationis, si verũ est ab vnica, & eadem anima secundũ speciem informari. In qua re cõmunis Thomistarum sententia est: organa viuentis nullã prorsus diuersitatem substantialem habere, nisi solùm accidentalem eo quòd habent diuersa accidentia: qualiter ex eo precisse, asserunt os differre à carne, quia habet duritiẽ frigiditatem, & siccitatem, è cõtra vero caro. Sic tenet Bañez. 1. de generat. cap. 4. q. 8. ar. 4. Sotus. 5. Phys. q. 3. ad. 8. Sõcin. 8. Meta. q. 10. Capreol. in. 2. d. 15. q. 1. ad. 6.

Dicendum tamen est, partes organicas habere aliquam diuersitatem substantialẽ, ita quòd quanuis partes animæ, quæ correspondẽt talibus organis, habeant eandem essentiam, & perfectionem specifi-

cam;

eam; tamen in perfectione indiuiduali sint diuersæ rationis, vt in simili dicebã de gradibus qualitatis. 1. lib. de generat. cap. 4. ita vt etiam anima, quodammodo in suis partibus sit æterogenea, quod ita esse dicendum, probatur, nam exigentia diuersarum dispositionum, & qualitatũ, reuera debet oriri ex diuersitate aliqua substãtiali partium: quę enim causa reddi potest, quare tales dispositiones petat, quas aliæ partes non exposcunt, nisi in suo esse substantiali aliquid peculiare haberet, quod non habent alię partes: sed illa diuersitas substantialis non potest attendi ex parte materiæ, materia enim est eiusdem rationis, adhuc in compositis diuersæ speciei: neq; etiam potest attendi ex diuersitate specifica partium formæ, vt ostensum est: restat ergo, quod attendatur ex diuersitate in perfectione indiuiduali partium ipsius formę.

Addo: in formis indiuisibilibus, qualis est anima rationalis, aut si quæ est alia, de quo postea, cũ partes nõ habeant, id referendum esse ad partes diuersæ rationis, quæ sunt in modo informationis, saltem enim modus informationis, qui vt. 2. Physic. vidimus, est modus substantialis, est diuisibilis in partes, quas informatio ab anima procedens, diuersæ rationis habet, eo quod est actus corporis organici.

Et si obijcias, quare sicut informationes partiales diuersę rationis intelliguntur procedere ab eadem indiuisibili anima rationali, ita etiam, nõ possit intelligi accidentia diuersę rationis ab eadem anima procedere, absque eo quòd opus sit præcedere, illam in se habere partes diuersę rationis. Respondetur, non quidquid animæ rationali propter suã perfectionem tribuitur, tribuendum esse alijs formis diuisibilibus: nam vt habet commune axioma, *Quæ in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sũt vnita*, & ita informationes diuersæ rationis, quæ in animabus diuisibilibus, quasi dispersæ oriũtur à pluribus earũ partibus, nihil mirum, quod in formis indiuisibilibus, quę lõge perfectiores sunt, ab eadẽ indiuisibili entitate oriantur.

Ad argumẽta superius adducta respõdetur, ad primũ falsum esse operationes contrarias non posse ab eadem re oriri, voluntas enim modo rem aliquam amat, postea vero eãdem odio prosequitur, viuentia etiam contrarijs motibus

ſin contrarias partes pro ſua ſponte mouentur.

Ad illum locũ Ariſt. quod ſcilicèt homo prius viuit vita plantæ, deinde vita animalis, ac tãdem vita hominis, variæ ſunt interpretum expoſitiones. Nam Albertus in ſumma de homine, & Philoppo. ſuper illum locũ aſſerunt reuera in materia ſeminis nõ introduci formam aliquã animalis, aut plantæ, antequã adueniat anima rationalis, ſed immediate ſin ſemine diſpoſito aſſerũt introduci animam rationalẽ; dicunt tamen illam in tali cõpoſito prius præſtare opera vitæ vegetatiuæ, in quibus conuenit cum plantis, deinde opera vitæ ſenſitiuæ, in qnibus conuenit cum brutis, ac tandem poſtquam ad perfectiorem ſtatum peruenit, præſtare opera propria hominis: vnde notant verba Ariſto. qui non dixit, prius eſſe plantam, deinde animal, &c. ſed hominem, prius viuere vita plantę, deinde vita animalis, ac tandẽ vita hominis,

Vel ſecũdò reſpõdetur cũ communi medicorũ ſentẽtia in materia ſeminis, non introduci immediate animã rationalẽ, ſed poſt formã ſeminis introduci in materia illa quãdam animã vegetatiuã, deinde aliam ſenſitiuã, quouſq; tãdẽ adueniat anima rationalis. Quã ſententiã præter Medicos ſequitur D.Th.1.p.q.118 ar.2.ad.2.&.q.66. art.3.ad.3. non eſt tamen intelligendũ, priores formas adhuc remanere, adueniẽte anima rationali, quin potius per aduẽtũ vnius, alia præexiſtẽs expellitur. Vtrũ autẽ, quando materia ſeminis habet formã vegetatiuam, reuera ſit planta, & quãdo habet animã ſenſitiuam, reuera, ſit brutũ. Reſpõdetur abſolute, id non eſſe concedendũ, quia pláta, aut brutũ ex cõmuni vſu vocabuli ſignificãt ſpecies quaſdã ſubſtãtiales, ex natura rei independẽtes ab anima rationali, neque ordinatas ad illius introductionẽ: illę autem animę, quas embrio recipit, antequã informetur anima rationali, ex natura rei ordinantur, tanquam via quædam, ad generãdum hominẽ, & ita non appellantur planta, aut brutum, tamen reuera, prior anima eſt vegetatiua, ſecunda vero ſenſitiua, quouſque tandẽ adueniat anima rationalis.

Ad vltimum vero argumentum reſpondetur bene à Toleto. q.7.huius lib. ſuppoſita ſuppoſitorũ diſtinctione, operationes diuerſæ rationis ab illis

lis prouenientes, optime indicare diuerſitatem animarum, non tamen in eodem ſuppoſito, quia ab anima perfectiori etiam oriri poſſunt operationes animæ imperfectioris & ita ab anima rationali non ſolum oriuntur operationes rationis, ſed etiam ſentiendi, & vegetandi, ita vt ſingulæ reſpectu illius propter ſuam perfectionem ſint in adæquatæ.

Quæſt.IIII. Vtrùm omnes animæ ſint diuiſibiles.

IN hac re, vt à notioribus incipiamus, certũ debet eſſe, animam rationalẽ indiuiſibilẽ eſſe, ita quod non cõponatur ex pluribus partibus formæ. In quo turpiter errarunt plures ex Stoicis, vt refert Greg. Niſe.2.de anima cap.2.nec mirum ſane, cum aſſeruerint animam rationalem mortalem, ac corporeã eſſe, ſicut omnes alię formę. Et imprimis ex his, quæ fide credimus aperte probatur animam rationalem indiuiſibilẽ eſſe, credimus enim illam ſpiritualem eſſe ex illo Lucæ.23. *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, & ad Galatas. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*, cuius rei plurima extant Scripturæ teſtimonia, conſtat autem ſpiritualia indiuiſibilia eſſe, ob ſuam enim perfectionem carent partium integralium compoſitione. Et ratione etiam probatur ſuppoſita immortalitate animæ rationalis, quã infrà oſtẽdemus, quia quando abſcinditur manus ab homine, ſi ibi erat ſua anima partialis, nõ poteſt talis anima corrũpi, ſupponimus enim eſſe immortalem, ſi autem non corrũpitur pars illa animæ, vel manet in manu, & hoc non, tum quia requirit ob ſuam perfectionem varium organorum apparatum, atq; adeo in ſola manu abſciſſa cõſeruari nõ poterit: tum etiã, quia iam ibi eſſet alius homo, quia ibi eſſet cõpoſitũ ex corpore & anima, q̃ tamen eſt abſurdum: ſi tamen pars animę, quę erat in manu, manet in alijs partibus reſtantibus hominis: tunc vel illa pars animæ informat partem aliquam materiæ, quam etiam informat anima, quæ reſtat in ipſo homine: vel nullam partẽ informat. Si dicas nullam partem informare, eſt abſurdum, impoſsibile enim eſt, vt vidimus. 1. lib. Phyſi. naturaliter dari formam diuiſibilem ſine materia, ad quam actuandã ex natura rei ordinatur. Si autem dicas informare partẽ

aliquam materiæ informatam ab alia parte animæ reſtantis: ergo dantur per naturam duę formæ partiales in eadem parte materiæ, quod non minus repugnat per naturam, quàm dari duas formas totales in eadem materia totali, quia ex natura rei ſunt incompoſsibiles: dicendum ergo eſt, animam rationalem eſſe indiuiſibilẽ, ita vt ſit tota in toto corpore & tota in qualibet eius parte.

Addo tamen, quod quãuis anima rationalis indiuiſibilis ſit, modus tamen informationis, qua corpus informat, diuiſibilis eſt, ita vt diuerſis partibus materię diuerſæ partes informationis correſpondeant. Ratio eſt, quia quando aliqua pars abſcinditur ab homine, pars informationis, quæ erat in illa parte, iam non eſt, cum tamen partes informationis, quæ ſunt in alijs partibus materiæ nondum diuiſis, adhuc remaneant, ergo informatio illius partis diuerſa erat ab informatione aliarum. Neq; enim dici poteſt, informationem illam partialem ad alteram partẽ materię fuiſſe tranſactam, quia cum modus, qualis eſt illa informatio per ſuã eſſentiam pendeat à ſubiecto, quod modificat, non poteſt migrare de ſubiecto in ſubiectum.

Poſſunt tamen duo obijci contra hanc ſententiam. Primò, quia experientia compertum eſt caput hominis abſciſum per ſaltus moueri à ſe ipſo: ergo habet animam, non aliam, niſi rationalem, quam antea habebat: ergo talis anima diuiſibilis eſt.

Secundò, quia ſaltẽ per naturam repugnat, idem corpus totaliter eſſe in diuerſis locis: ergo ſimiliter repugnabit, eãdem animam rationalẽ totã, & indiuiſam eſſe in diuerſis partibus corporis, loco diſtantibus. Reſpõdetur tamẽ ad primũ illud prouenire ex ſpiritibus vitalibus aliquãtulũ permanẽtibus in capite abſciſſo, ex quorũ reuolutione facta ex impetu abſciſionis, contingere poteſt ille motus.

Ad ſecundũ reſpõdetur, eſſe longe diuerſam rationem, nam corpus eſt in loco circũſcriptiue, & diuiſibiliter per proportionem ad locum, ita vt totum correſpondeat toti loco, & pars parti, anima autem rationalis, quia ſpiritualis eſt, habet præſentiam definitiuã, ſicut Angelus, & ita eſt tota in toto, & tota in qualibet parte.

Secundò conueniunt fere om-

ōmnes autores in hac quęstione quòd animę vegetatiuę plãtarum sint diuisibiles, experimur enim virgam ab arbore abscissam, si plantetur germinare, quod indicium est partẽ illam, suam partialem formam retinere, quia cum non sit semen arboris, necessarium est germinet, tamquam aliquod actu animatum. Et propter similem rationem tertiò conueniunt omnes, animas sensitiuas imperfectorum animaliũ, qualia sunt reptilia, & plures vermiculi, etiam esse diuisibiles, quia huiusmodi animalia, diuisa viuunt, & mouẽtur: vnde Augustꝰ. de quantitate animæ.c.31. narrat, se vidisse lõgum vermiculũ diuissim, cuius vtraq; pars tanta agitabatur velocitate, ac si esset totũ quoddam animal, omnino ab alio distinctum.

Nec valet si dicas, ibi per diuisionem, produci nouam animam totaliter diuersam à priori in parte illa. Ratio est quia ad formam viuentis, potius consequitur forma cadaueris, quã alia anima similis: ergo in illa parte abscissa, quę antea erat informata forma viuentis, non potest cõsequi de nouo alia anima similis: sed si aliqua forma de nouo produceretur proculdubio esset forma cadaueris, sicut ad formã mam embrionis nõ consequitur nisi forma viuentis, ex naturali subordinatione harum formarum. Neq; enim potest dici illas partes diuisas moueri ab spiritibus, ibi remanentibus, vt in simili diximus de manu abscissa. Ratio est quia motus causatus ab spiritibus remanẽtibus paruo tẽpore durat: neq; enim manus abscissa, mouetur per multũ tempus, quia illa commotio spirituũ, statim finitur, at vero huiusmodi reptilia diuisa multùm tempore durant: ergo signum est, quamlibet ex illis partibus retinere partialem animam, quam ante diuisionem habebant, atq; adeò tales animę dīuisibiles sunt.

Solum ergo supereſt difficultas in hac quæstione. Vtrũ animæ sensitiuæ animalium perfectorum, sint etiam diuisibiles, vt anima equi, & leonis. In quare prima sententia est, asserentium huiusmodi animas, tametsi materiales sint esse tamen indiuisibiles, ita vt sint totę in toto, & totę in qualibet parte, quæ sententia tribuitur D. Thom. q. de anima ar.10, & in.1 d.8.q.5.&.2.cõtra Gen.c.72.&.1.p.q.76.ar.8. Tenet etiã Albertus Mag.1. lib.de anima, c.vlt. Bonauen.

in

in. 2. d. 8. Bañez. 1. de gener. c. 5. quæſt. 5. &. 1. par. quæſt. 76. ar. 8. dub. 2. & plures alij. Quę ſententia videtur poſſe probari. 1. ex Ariſt. lib. de longitudine, & breuitate vitæ, vbi dicit animalia perfecta ideo diuiſa non viuere, quia eorum anima eſt magis vna, & ſimplex.

Secundò quia experimur in animalibus perfectis quòd ſtatim ac per imaginationem aliquid nociuum eſſe apprehendunt, ſtatim reliquæ corporis partes mouẽtur ad fugiendũ illud, ergo ideo eſt, quia eadem indiuiſibilis anima, quæ eſt in organo imaginationis, eſt in reliquis partibus corporis, & ita ſtatim illas mouet, ita vt tota ſit in qualibet parte.

Tertiò, quia cum ratione formæ materialis non repugnat quòd ſit indiuiſibilis: ergo ex eo quòd animæ animalium perfectorum ſint materiales, non eſt illis denegandum quòd ſint indiuiſibiles. Antecedens probatur, quia forma aliqua, ideo eſt materialis, quia in ſuo eſſe pendet à materia, & ex eius potentia educitur: ſed nõ repugnat educi totam de tota materia, & totam de qualibet eius partę: ergo non repugnat cũ materialitate formæ, quod ſit indiuiſibilis.

Quartò: quia ſi animæ perfectorum animalium ſunt diuiſibiles, ita vt cuilibet parti materiæ correſpondeat ſua pars formæ: ergo in augmentatione talium viuentium, ſicut additur noua pars materię, ita debent augeri per additionẽ nouæ partes formæ.

Ex quo vlteriùs ſit, quòd talia viuentia, quò magis augentur eo fierent fortiora, ſicut non viuentia, vt ignis, quò magis augetur fortior fit, cõſequens autem eſt falſum, nã plura animalia, ex eo quod multum creſcunt, fiunt imbecilliora: ergo ideo eſt, quia indiuiſibilis eadem anima extenditur ad informandam materiam, quaſi ſuperantem ſuã virtutem; nam ſi cum noua parte materiæ aduenire noua pars formæ, non eſſet cur talia animalia per nimiam augmentationem fierent imbecillia.

Quintò, quia ſi huiuſmodi animę ſunt diuiſibiles, nõ minus quàm animæ animalium perfectorũ: ergo ſicut animalia imperfecta diuiſa viuunt, & diù conſeruãtur, ita animalia perfecta, vt equus, diuiſa poſſunt viuere, quod eſt contra experientiam.

Di-

Dicendum tamen est, verisimilius esse, animas perfectorum animalium esse diuisibiles, quanuis oppositam sententiam non reputēt probabilem. Tenet Caprel. in. 2. distin. 15. quæstion. 1. ad vltimum Sancin. 8. Metaph. q. 11. Iauellus. q. 4. Palatius. 2. de anima. c. 20. Scot. in. 4. dist. 44. q. 1. Iandu. 2. de anima. q. 7. Tolet. q. 5. Ratio autem huius est, quia iuxta hanc sententiam longe propriùs saluatur materialitas formæ animatorũ, ex eo scilicet, quod ita sit immersa materiæ, vt singulis partibus materiæ correspondeant singulæ partes formæ.

Secundò, quia non alia ratione omnes Philosophi colligunt formas accidētales materiales esse diuisibiles ad diuisionem subiecti, nisi quia ab illo pendent in suo esse, & ex eius potentia educuntur, sed similiter animæ perfectorum animalium educuntur ex potentia materiæ, & in suo esse pendent ab illa: ergo sicut formæ accidentales educuntur totæ de toto subiecto, & pars de parte, ita formæ omnes substantiales materiales, aliàs etiam posset quis facile dicere, aliquas formas accidētales materiales esse indiuisibiles, ita vt educantur totæ de qualibet parte subiecti, q̃ nullus dicit. Omitto hac in re plures rationes satis inefficaces, quæ ad hanc rem probandam adduci solent.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ respondetur. Et in primis. S. Thom. (vt Thomistæ pro nostra sententia allati volunt) non sentit contrarium, quando enim dicit, animas perfectotum animalium, non posse diuidi, loquitur de diuisibilitate per separationem, ita vt in qualibet parte diuisa, maneat anima, vt in reptilibus, hoc enim est impossibile, vt patebit ex solutione ad quintum, non tamen loquitur de diuisibilitate in partes intrinsece diuersas siue separatæ possint conseruari, siue non, & eodem modo loquitur Aris. loco citato.

Ad secundum respondetur argumentũ illud nihil probare, aliàs etiã probaret animas animalium imperfectorũ esse indiuisibiles, nam etiam in illis, quãdo vna pars sentit obiectũ disconueniens, aliæ partes fugiunt, & mouẽtur. Quare dicendum est, huiusmodi cõsensum partiũ animæ, prouenire ex naturali cõnexione, & sympatia partium organicarũ illius, ita vt dũ vna pars percipit obiectum disconueniẽs, etiam

etiam aliæ fugiant ex mutua conexione partium organicarum animæ. Verum eſt partẽ illam animæ, cui non applicatur ſenſibile aliquod, verbi gratia, frigus ſi applicetur pedi, & non brachio, non ſentiri ab illa parte animæ quæ eſt in brachio.

Ad tertium reuera, vt argumentum oſtendit, non repugnare per diuinam potentiam, quod detur forma aliqua materialis indiuiſibilis, licèt tamen cõiectari, talem formam eſſe per naturam impoſsibilẽ, cũ nulla alia ratione colligamus, formas omnes accidentales eſſe diuiſibiles, niſi quia recipiuntur in ſubiecto quãto, & extenſo, ex cuius potẽtia educuntur, & ita modus ille eductionis formæ, ita quod tota anima educatur ex quauis parte materiæ non probatur poſſe per naturam dari.

Ad quartum, verum eſſe alia omnia, homine excepto, augeri per aduentum nouæ partis formæ cum noua parte materiæ, ſi tamen contingat animalia aliqua ex nimia augmẽtatione imbeciliora reddi, hoc eſt, quia requirunt debitã commenſurationem, & proportionem organorum, vt organa ſibi inuicẽ inſeruire poſſint, & ita minus apte conſeruantur ex nimia augmẽtatione, quod non ſolum in viuentibus perfectis verum etiam in plantis contingere experimur, cum tamen animæ plantarum diuiſibiles ſint.

Ad quintum, eſſe diuerſam rationẽ de animabus animaliũ perfectorum, & imperfectorum, quãuis omnes ſint diuiſibiles, nam animalia perfecta propter ſuam perfectionẽ nõ poſſunt conſeruari in qualibet parte, quia requirunt plurium organorum apparatum quem tamen animalia minus perfecta, non requirunt, & ita in partibus diuiſis adhuc conſeruantur.

Quæſt. V. Vtrũ anima informet omnes, & ſingulas partes corporis.

IN hac re tãquam certum apud omnes ſuppono, quod tametſi anima reperiatur in pluribus partib' corporis quãtum ad ſuam ſubſtantiam, & entitatem animæ, non tamen quantum ad omnes eius potẽtias, & operationes, in quo differt ab alijs formis, quæ non ſunt actus corporis organici, qualiter forma ignis eſt in quauis parte illius, non ſolum ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum omnes

ſuas

suas potẽtias,& operationes, quia in qualibet parte habet calorem, & siccitatem, quibus operatur, tamen anima cũ ad diuersas potentias requirat varia organa, diuersis qualitatum temperamentis affecta, non habet in qualibet parte omnes suas potentias,sed iuxta diuersitatem organorũ, & ita in organo visus, habet potentiam visiuam,in auditu auditiuam,& sic de reliquis.

Solùm ergo est dubium,vtrum anima saltem quantum ad suam entitatem, & substãtiam,sit in quauis parte corporis, licèt non sit secundũ omnes eius potentias. Secundò supponendum est falsam esse quorundam sententiam asserentiũ, animam solùm residere in corde secundum suam entitatem, in alijs verò partibus corporis tantùm secundùm suas virtutes & potẽtias, quibus fortasse tribuit fundamentum Arist.lib. illo de cõmuni animalium notione,vbi dicit, ꝙ sicut Princeps nõ est in tota ciuitate, quam gubernat, sed in vna dũtaxat parte, indeq; omnia gubernat, ita anima,non est in quauis corporis parte, sed in præcipua,scilicet in corde, in illaq; omnes alias partes regit.

Ratione etiã videtur posse probari,quia forma vbicumq; sit,tribuit omnem suum effectum formalem : ergo sic anima est in quauis corporis parte,sequitur quòd manus dicatur homo, & sic de reliquis. Similiter manus hominis diceretur intelligere, quia ibi est tota anima rationalis, in qua residet potentia intellectiua.

Hæc,inquam,sententia falsa est:nam si anima tãtum residet in vna parte corporis: ergo in alijs partibus debet dari alia formã, & ita viuens nõ esset aliquid vnum per se, sed per accidens, integratum ex pluribus compositis, diuersis formis constitutis.

Secundò, quia potentiæ oriuntur ab anima : ergo si anima in vna tantùm parte residet,non possent potentiæ vitales residentes in alijs partibus corporis ab illa effectiue oriri, vt pote, quæ distaret ab illis partibus: vnde quãdo Arist.loco citato, dicit animam solùm residere in corde, non loquitur de illa quantùm ad suam entitatem & substantiã, sed secundum virtutẽ gubernatiuam reliquorum membrorum, hanc enim virtutẽ principaliter docet, residere in corde.

Ratio autem contrariæ sen

de generat. c. 4. q. 8. ar. 4. & est expressa sententia S. Thomæ in. 4. d. 44. q. 1. art. 2. quæstiũcula. 3. ad. 3.

Quartò cõueniunt omnes; ossa, cartilagines, & similia reuera viuere, & informari anima, quia quamuis anima in illis non exerceat sensationem, saltem est in illis augmentatio, quæ est propria viuentiũ, augẽtur enim per intus sumptionem, & ita reuera informãtur, quia vt dictum est, cum anima sit forma corporis organici, non debet in qualibet parte suas omnes operationes exercere, sed pro diuersitate organorum, & ita vngues, non minus quam ossa & cartilagines informantur anima. Experimur enim eas augeri per intus sumptionem. Neq; oportet distinguere de partibus illis, quæ supereminẽt supra digitos, & de alijs inferioribus, vt quidam sine fundamento volunt: eadem enim est ratio de omnibus. Tandem de dentibus communis sententia est informari anima, sunt enim ossa quædam ad masticationẽ efficiendam, à natura ordinata.

Solum ergo est dubiũ apud authores de quatuor humoribus, qualis est sanguis aut pituita, an scilicet viuãt, quæ difficultas præcipue controuertitur ab authoribus de sanguine, & idem reuera est de alijs humoribus, nam ex cõmuni Medicorum sententia, contingere potest, quod viũs ex alijs humoribus nutriatur, verbi gratia, expituita, ex defectu sanguinis, licèt nõ ita facile, & bene, sicut ex sanguine. Et quidem prima sententia est asserẽtium, sanguinem reuera informari anima, distinguit enim hæc sententia duplicem sanguinem, alterum, quem appellat nutrimẽtalem, eo quòd nutritioni deseruiat, sitq; alimentum viuentis, alterũ vero animalem, qui lõgè magis depuratus est, & hunc dicũt informari anima viuenti. Tenet Caiet. 3. part. quæst. 5. art. 2. & quæst. 54. art. 2. Conrad. 1. 2. quæst. 54. Tolet. quæst. 2. de anima. q. 4. Bañez. 1. de gene. c. 4. q. 8. art. 5. Et probari potest. 1. ex Arist. 2. de partibus animalium. c. 2. & lib. de historia animalium cap. 19. vbi ait, *Quod dum animal viuit, sanguis animatur, & feruet.*

Secundò, quia ex apprehẽsione aliqua, aut subito motu sentimus sanguinem moueri ad cor, aut ad faciem, vt contingit ex verecundia, qui modus mouẽdi videtur proprius rei animatæ.

Tãdem tertiò, quia sanguis

& reliqui humores ſunt de integritate noſtri corporis, & ita ex recepta omniũ Theologorum ſententia aſſumptus fuit à Verbo diuino, imò vt Scriptura ſæpe docet, fuit pretium noſtræ redemptionis: ergo reuerà animatus eſt, nõ minus, quàm aliæ partes viuẽtis.

His tamen non obſtãtibus: dico primò in hac quæſtione ſanguis & reliqui humores, nõ viuunt, & ita non informantur anima, ſed alia forma diuerſa, quæ ſententia hoc tempore communior eſt. Tenet Alexander Alenſis. 2. p. q. 92. mẽbro. 7. Scotus in. 4. diſt. 10. q. 1. ar. 2. Valleſ. l. 2. contro. Medica. c. 4. & videtur mihi expreſſa ſentẽtia S. Tho. 3. p. q. 31. ar. 5. ad. 1. vbi dicit: *Carnẽ & oſſa, eſſe actu partes viuentis, ſanguinem verò minimè*, ſentit ergo actu non informari anima, ſicut aliæ partes viuentis, ſed ſolùm in potentia, in quãtum eſt alimentum, quod poteſt conuerti in ſubſtantiam aliti. Idem etiam videtur ſentire Ariſ. 2. de partibus animalium. c. 3. vbi dicit. *Sanguinem debere eſſe alimentũ*, ſed alimẽtum debet eſſe diuerſæ rationis, ac carere forma, quam poſtea per ſubſtantialẽ tranſmutationẽ recipit, ſcilicet formã viuentis: ergo ſentit ſanguinẽ inanimatum eſſe, vbi Ariſtot. reuera abſolute loquitur, & ita diſtinctio illa de ſanguine nutrimentali, & animali, neque ſufficienti ratione probatur, neq; reuera verum habet: nam quòd quædam pars ſanguinis contingat eſſe magis depurata alia, ſolùm arguit diuerſitatem quandã accidentalem intra eandem ſpeciem. Et ratio ad probandam concluſionem ſumitur ex dictis, nam alimentum, vt corrũpatur in ſubſtantiam aliti per ſubſtantialem tranſmutationem debet formam præcedentem amittere, & aliam de nouo acquirere, ſed quando ſanguis in carnem, aut aliam ſimilem partem viuentis conuertitur, acquirit formam viuentis: ergo antea carebat tali forma.

Neq; ſatisfacit eorum ſolutio, qui aſſerunt, ſanguinẽ per nutritionẽ, qui eſt actio ſubſtantialis, non acquirere formam aliquam ſubſtantialem, quam antea non haberet, ſed mutare modum quendã ſubſtantialem eſſendi, ex eo ſcilicet, quod ex ſanguine fiat caro, vel quid ſimile. Nam contrà eſt, quia de ratione modi ſubſtãtialis eſt, quòd ordinetur ad integrandam ſubſtantiam in ſuo eſſe ſubſtantiali,

vt

vt ostendimus.1.Physic. ergo si sanguis antequam nouũ illum modum acquireret, idem numero est, ac postea substantialiter, iam ille modus aduenies est extra essentiam substantiæ præexistentis sanguinis, & ita potiùs esset modus accidentalis, quàm substãtialis, atq; adeo nutritio, quę iuxta hanc sententiam ad illum terminatur, potius esset mutatio aliqua accidentalis, quã substantialis.

Secundo, quia reuera incredibile est, sanguinẽ iam extra ctũ à corpore viuere: sed sanguis extractus à corpore cõtinuari potest, cum eo, qui est intra corpus per intermedũ sanguinem fluentem: ergo etiam sanguis existens intra venas est inanimatus.

Tandem tertiò, quia in sanguine nullam vitæ operationem experimur, qua probari posset illũ viuere, neq; enim sentit, neque augetur modo proprio viuentis, sed potiùs per iuxta positionem, sicut vinum augetur in dolio per nouam infusionem, neq; augetur secundum proportionem quandam, sicut reliquæ partes viuentis: ergo non informatur anima.

Dico secundò: quanuis sanguis & reliqui humores non viuant, sunt tamen de integritate ipsius viuentis, non quidem, vt quibusdã placet, quia sanguis sit alimentum necessarium ad vitæ conseruationem, nam post resurrectionẽ corporum, nulla erit nutritio, aut augmentatio, cum tamen ex communi Theologorum sententia corpora post resurrectionem habitura sint sanguinem. Dicitur ergo, sanguinem & reliquos humores esse de integritate naturæ, quia in sanguine residet calor, quo conseruatur vita animalis, & in alijs humoribus sunt etiam qualitates prorsus necessariæ, ad esse ipsius viuentis.

Præterea, quia sanguine cõficiuntur spiritus vitales, & animales, qui prorsus sunt necessarij ad vitæ conseruationem.

Tandẽ ad fundamenta cõtrariæ sententię respondetur. Ad Aristotelem ideo loco allegato dixisse, *Sanguinem quãdiu animal viuit, animari*, quia continuò conuertitur in substantiam aliti, & tunc animatur, non vero ante talem cõuersionem.

Ad secundum respõdetur, sanguinem non moueri subitò ad cor, vel ad faciẽ per virtutẽ propriã, qua se moueat, sed per attractionẽ, qua à parti-

tibus ãttrahitur, aut expellitur ab vna parte, vt ad aliam perueniat.

Ad vltimum sanguinem esse de integritate nostrę naturę, non quidẽ ex eo q̃ sit pars viuẽs, sed propter rationes dictas. Sanguis autẽ vt dicatur pretium nostræ redẽptionis, non opus est vt reuera sit pars viuens: sufficit per Christi Domini passionem pro nobis effussum fuisse, vt dicatur pretium redẽptionis nostræ: qua autem ratione, sanguis assumptus fuerit à Verbo diuino, disputant Theologi in materia de Incarnatione.

Quæst. VI. Quot sint genera animarum, & animatorum.

DE hac rẽ disputat Arist. c. 3. &. 4. sequenti, quia tamẽ præsens quęstio ad disputationẽ de essentia, & natura animæ conducit, placuit eam hoc loco disputare, docet autem Arist. loco citato, tria esse animarum genera, scilicet, vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, quatuor vero esse gradus viuentium seu animatorum, scilicet vegetatiuum sensitiuum, loco motiuum, & intellectiuum. Quæ doctrina, nõ caret difficultate: quia animatum, vt sic, cõstituitur per animam, ergo si tantum sunt tria genera animarum, tantùm debent esse tria genera animatorum. Patet consequentia, quia tot sunt constituta, quot sunt constitutiua, sicut tot erunt genera coloratorum, quot sunt genera colorum.

Tamen dico primò tria tantùm esse genera animarum, scilicet vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem. Quam conclusionem cum Aristot. omnes eius interpretes recipiunt, & ratio, quæ communiter adduci solet, ea est, quia anima est quædam forma altioris ordinis, atque adeò eleuata supra alias formas pure materiales: sed huiusmõdi modus eleuationis supra formam pure materialem, tantùm est triplex: ergo etiam tantum est triplex anima. Probatur minor: nam primus modus eleuationis, est omninò eleuatus supra materiam, qua ratione anima rationalis in se spiritualis est, & omnes alias res in se habet modo spirituali, scilicet, per species intelligibiles spirituales omniũ rerum.

Secundus modus eleuationis conuenit animæ sensitiuæ, hæc enim, quamuis in se mate-

materialis sit, & res per species materiales cognoscat, tamen tales species, minùs materiales sunt, & magis depuratę, quàm obiecta, à quibus procedunt, qua ratione, minùs materialis est species coloris, quã color ipse. Tandem tertius gradus eleuationis supra alias formas conuenit animæ vegetatiuæ, hæc enim acquirit suã perfectionem, modo quodam vitali, scilicet, per operationes vitales, quod aliæ formæ puræ materiales non habent: ergo tantùm sunt tres animę.

Dico secũdò: quatuor sunt gradus animatorum, scilicet, vegetatiuum, sensitiuum, loco motiuum, & intellectiuũ. Quam etiam conclusionẽ omnes vnanimiter amplectũtur, intelligunt enim per gradus animatorũ ea genera animatorũ, in quibus potentiæ animæ reperiũtur separatæ: huiusmodi autem tantùm sunt quatuor. Ratio est, nam in primis sunt qũædam animata, quæ tantum habent potentiam vegetatiuam, quales sunt plantæ, aliæ vero sunt, quæ habent potentiam vegetatiuam, & sensitiuam simul, non vero loco motiuam, & intellectiuam, qualia sunt cõchilia affixa petris, illa enim augentur, & sentiũt, nõ tamẽ mouẽtur motu progressiuo, de quo nũc loquimur, hoc enim intelligunt authores per loco motiuum.

Tertiò, sunt alia animalia, quę prętер potentiã vegetatiuam, & sensitiuã, habent etiã potentiã loco motiuam, vt equus, & leo, non tamen habẽt potentiã intellectiuã: ac tandẽ, quartò sunt alia animalia, quæ habẽt hæc omnia simul, vt hõmo: ergo tantùm sunt quatuor gradus viuentium.

Ex quo patet quòd appetitiuum, quanuis sit diuersa potẽtia à loco motiuo, vt infra dicam, tamen non constituit diuersum gradum viuentis à loco motiuo, quia omnibus, quibus inest loco motiuũ, inest etiam appetitiuũ, & è contra, ita vt vnum nõ separetur ab alio, atq; adeo nõ constituunt diuersum gradum viuentis.

Vnde ad rationẽ dubitandi respondetur reuera tantũ esse tria genera animatorum, sicut & animarũ, si in communi loquamur, tamen per gradus animatorum intelligunt communiter Philosophi ea genera animatorum in particulari, in quibus separantur potentię animæ, hæc autem sunt quatuor, vt explicatum est.

Tandem hoc loco dubitarĩ potest. Vtrũ omnes prædictæ ani-

animæ sint formæ informantes, vel tantum assistentes, vt de intelligentia respectu cœli plures docent. Quæ difficultas præcipue videtur habere posse locum in anima rationali, illa enim, vt vidimus. 1. Physi. est per se subsistẽs. Respondetur tamen omnes prædictas animas esse actus vere informantes, & non assistentes, neq; oppositum vnquam docuit Arist. imò hoc plane indicauit hoc lib. c. 1. vbi dicit, animam esse actum primũ vt scientiam, constat autem, sciẽtiam esse actum informãtem, & cap. 2. dicit quòd sicut duobus sumus sani, scilicet corpore, vt materia, & sanitate vt forma, ita duobus viuimus, scilicet corpore, vt materia, & anima, vt forma, constat autem, sanitatem etiam esse actum informantem.

Et ratione probatur, quia ex anima, & corpore, fit vnum per se subsistãtiale, ergo anima debet habere veram, & Physicam vnionem cum corpore, vt ex illis aliquid vere vnum coalescat: ergo anima potiùs est actus informans, quàm assistẽs, fateor nullam implicare contradictionem, quòd anima, & corpus ex eo existant simul localiter, absque eo tamen, quod anima sit physice vnita, per informationem cũ corpore: sed quodlibet sit per se subsistens, absq; dependentia ab alio, quia modus vnionis cũ sit entitas diuersa à materia, & forma, indiget noua actione, vt producatur, & tũc anima potius haberet rationẽ assistentis, quàm informãtis, respectu corporis.

Quæst. VII. Vtrũm anima rationalis sit formaliter sensitiua, & vegetatiua.

IN hac re conueniũt omnes, sensitiuum, & vegetatiuum, posse tribus modis sumi, scilicet, pro potẽtia, quæ est principium proximum vegetãdi, & sentiẽdi, & pro gradu substantiali superiori, qui est gradus sensitiuus, & vegetatiuus, ac tandem tertiò pro anima sensitiua & vegetatiua: vnde conueniunt omnes hominem formaliter esse sensitiuum, & vegetatiuum, si sumatur pro potentia. Ratio est, quia potẽtia sensitiua, & vegetatiua, formaliter reperiũtur in homine.

Secundò conueniunt omnes, gradum superiorẽ substãtialem vegetatiui, & sensitiui, formaliter esse in homine, nó secus, ac esse animal vel corpus. Ratio est, quia non minus est de essentia hominis, gradus

dus substantialis essendi sensitiuum, aut vegetatiuum, quã gradus animalis, aut corporis, & ita sicut formaliter est animal, ita etiam formaliter est sensitiuus, & vegetatiuus.

Solum ergo est dubium, vtrum anima rationalis sit formaliter anima vegetatiua, & sensitiua, quod alijs verbis, alij inquirere solent, qua ratione anima vegetatiua, & sensitiua contineantur in rationali.

In quare, prima, & communis sentẽtia satis in scholis nostris recepta, asserit animam sensitiuam, & vegetatiuam eminenter contineri in anima rationali, id est, tanquã in forma perfectiori, & eminentiori, quæ præstat effectus omnes, qui prouenire possunt ab anima vegetatiua, & sensitiua, non tamen cõtineri in illa formaliter. Quam sententiam tenet Tolet. hoc lib. c. 3. q. 7. Caiet. 1. p. q. 76. art. 3. & videtur modus loquẽdi S. Thomę eodem art. 4. & 2. in corpore. Et probari potest. primò ex Aristot. hoc lib. cap. 3. vbi dicit, quòd sicut triangulus est in quadrãgulo, ita vegetatiuum in sensitiuo, & vtrumq; in rationali, sed triangulus, nõ potest esse formaliter in quadrãgulo, quia sunt diuersæ species figuræ, impossibile autẽ est, vnam speciem formaliter componere aliã: ergo sentit, animam rationalem, non esse formaliter sensitiuam, & vegetatiuam, sed solũ virtualiter, inquantum continet earũ potentias, seu virtutes.

Secundò, quia anima sensitiua, & vegetatiua sunt quædam formæ materiales, & corruptibiles, vt patet, de anima plantæ & bruti: sed anima rationalis est formaliter spiritualis, & incorruptibilis: ergo anima rationalis, nõ est formaliter sensitiua, & vegetatiua.

Tamen dico primò in hac re: quanuis possibile sit vnam formam continere aliam virtualiter in genere causæ efficientis, eo quòd possit producere illam, tamen impossibile est, vnam formam continere aliam eminenter seu virtualiter in genere causæ formalis, ita quòd tanquam causa formalis possit illam causare, & ita impossibile est proprie & in rigore loquendo, animã vegetatiuã, & sensitiuã, virtualiter contineri in anima rationali, veluti in causa formali. Ratio est, quia causa efficiens, non est causa intrinseca, quæ causet exhibẽdo suammet entitatẽ, quin potius causat producendo aliquid à se diuersum:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſum: vnde, cum nó repugnet vnam formam habere virtutẽ ad producendam aliã, neq; etiam repugnat, vnam formam continere aliam eminenter in genere cauſæ efficientis, qua ratione lumen continet eminenter calorem: at vero cauſa formalis cauſat exhibendo ſe ipſam ſubiecto, quod informat, & ita, vt cauſa formalis, nó poteſt dare ſubiecto aliam entitatem præter ſuam: ergo non poteſt cauſare alterã formam diſtinctã in genere cauſæ formalis, atq; adeò impoſſibile eſt, vnam formam contineri in alia eminenter in genere cauſæ formalis.

Dico ſecundò: animã rationalẽ eſſe formaliter ſenſitiuã & vegetatiuam, & ſimiliter animam ſenſitiuã eſſe formaliter vegetatiuam, ita vt anima vegetatiua & ſenſitiua ſit ſuperior ad rationalem, & diuidatur in animam vegetatiuam & ſenſitiuam materialem, & in animam vegetatiuã, & ſenſitiuam ſpiritualem, qualis eſt anima rationalis. Hanc ſententiam videtur innuere S. Tho. quæſt. de anima ar. 11. Et probatur euidenter. Primò, quia anima vegetatiua eſt quædam forma ſubſtantialis, quæ eſt principium vegetandi, & ſimiliter anima ſenſitiua eſt quædam forma ſubſtantialis, quæ eſt principium ſentiendi: ſed anima rationalis formaliter habet, quòd ſit forma ſubſtantialis, & formaliter habet quòd ſit principium vegetandi & ſentiendi, quia non minùs præſtat ſuum concurſum ad huiuſmodi operationes, quàm ad intelligendum: ergo anima rationalis formaliter eſt anima vegetatiua, & ſenſitiua.

Secundò, quia homo, vt homo eſt ſpecificatiue, eſſentialiter, & formaliter includit eſſe ſenſitiuũ & vegetatiuum: ergo non minus habet formaliter eſſe vegetatiuũ, aut ſenſitiuũ, quam eſſe hominẽ: ergo ſicut habet hominem eſſe formaliter, id eſt, per formã in ipſo formaliter exiſtentẽ; ita debet habere eſſe vegetatiuũ & ſenſitiuũ à forma ſibi formaliter inhærenti: ſed forma quæ tribuit eſſe vegetatiuũ, & ſenſitiuũ eſt anima vegetatiua, & ſenſitiua: ergo anima rationalis, à qua omnia hęc habet, nó ſolum eſt formaliter anima rationalis, ſed etiam eſt formaliter anima ſenſitiua, & vegetatiua, & ſimili modo anima ſenſitiua erit formaliter vegetatiua.

Et cõfirmatur, quia homo non minus propriè eſt ſenſitiuus,

uus, quam equus, & vegetatiuus, quã planta, ſed iſta ſunt formaliter talia per animã formaliter vegetatiuam, & ſenſitiuam: ergo id etiam habet homo, aliàs ſicut ſol, non denominatur formaliter calidus, quanuis habeat calorem eminenter, neq; diceretur homo formaliter ſenſitiuus, & vegetatiuus, ſi ſolum eminẽter habet animã vegetatiuam & ſenſitiuam.

Et ſi inquiras, qua ratione anima rationalis, contineat animam vegetatiuam materialem, & ſenſitiuam materialẽ, quæ ſunt ſpecies animæ condiſtinctæ contra illam. Reſpondetur continere illas eminenter non quidem proprie, & in rigore, vt iã oſtendimus, quia non poteſt, vt cauſa formalis illas cauſare, ſed ex eo quod tribuit effectus formales illarum, ſcilicet eſſe ſenſitiuum, & vegetatiuũ ſimiliter que potentias & virtutes illarum animarũ. Et iuxta hanc doctrinam interpretandus eſt S. Tho. loco citato, cum aſſerit, animam vegetatiuã, & ſenſitiuam, eminenter ſeu virtualiter contineri in rationali, ita vt loquatur non quidem de anima ſenſitiua, & vegetatiua generice ſumpta, qua ratione comprehendit tam animã materialem, quàm immaterialẽ, ſed de illa, quæ materialis eſt eſt ſpecie condiſtincta contra animam rationalẽm. Hac etiam ratione interpretandus eſt Ariſtot. loco allegato, cũ dicit ita ſenſitiuum contineri in intellectiuo, ſicut triangulus in quadrangulo, atque adeò non formaliter.

Tandem, ad rationem contrarię ſententiæ reſpondetur facile, quòd quãuis anima ſenſitiua, & vegetatiua materialis corruptibilis ſit, non tamen anima ſenſitiua & vegetatiua ſpiritualis.

Quæſt. VIII. Vtrùm omnes animæ habeãt eandẽ perfectionem.

IN hac re cõueniunt omnes, animas diuerſę ſpeciei habere inæqualem perfectionem eſſentialem, ſicut quæcunque aliæ ſpecies eſſentialiter diuerſæ: ſpecies enim vt ſæpe docuit Ariſt. ſunt ſicut numeri, qui diſtinguũtur, ſicut magis & minus perfectum, & ita anima ſenſitiua eſt perfectior, quàm vegetatiua, quia pręſtat quidquid illa efficit, & aliquid aliud, & intellectiua propter eandem rationem eſt perfectior omnibus.

Solũ ergo eſt dubiũ de anĩ

mabus eiuſdē ſpeciei, an omnes habeant æqualem perfectionem indiuidualem.

In quare prima ſententia eſt aſſerētium, omnes animas eiuſdem ſpeciei æqualem habere prorſus perfectionē indiuidualem. Tenet Duran. in. 2. d. 32. q. 3. Sōci. 8. Metaph. q. 26. Sotus. c. de ſubſtantia. q. 2. Tolet. 3. de anima. q. 18. & videtur ſententia S. Thom. 1. p. q. 93. ar. 3. vbi ait, ſpeciem, non participari diuerſimode à ſuis indiuiduis.

Et probari vidētur hęc ſententia, primò ex Ariſt. 3. Met. c. 3. vbi ait in indiuiduis eiuſdem ſpeciei, neq; eſſe prius, aut poſterius, nec melius, aut deterius.

Secundò, quia ſequeretur ſubſtantiam ſuſcipere magis & minus, non ſolum extenſiue, quod nō oſtēdimus, probantes ſubſtantiā ſecluſa quātitate habere partes integrales, ſecūdum quas poſsit dici maior aut minor, ſed etiā intenſiue. Et probatur, quia illa maior, & minor perfectio animarum eiuſdem ſpeciei ſubſtantialis eſt, cum tales animæ ſint ſubſtantiæ quædā, & eſt perfectio veluti intenſiua: ergo iam ſubſtantia ſuſciperet magis, & minus contra Ariſt. c. de ſubſtantia.

Tertiò, quia ſpecies non alia ratione diſtinguntur eſſentialiter, niſi quia ſecluſis omnibus accidentibus habent inęqualem perfectionem eſſentialem, & ſubſtantialem: ergo ſi hoc idem habent animæ eiuſdem ſpeciei, ſequitur quòd ſpecie differant.

Quartò, quia non eſt vnde colligatur talis inęqualitas animarum ſecundū perfectionem indiuidualem; neq; enim poteſt attendi ex parte materiæ, quia omnes materię ſunt eiuſdem rationis, ſolùm differunt ſecundum magis, & minus extenſiue, quia ſcilicet vna ſit maior alia extenſiue, in perfectione vero intēſiua nulla eſt prorſus differētia. Neq; etiam ex parte agētis, quia plures animæ eiuſdē ſpeciei poſſunt ſucceſsiue produci ab eodem agēte, neq; etiam poteſt id colligi à poſteriori ex perfectioribus operationib⁹, quia maior perfectio operationum poteſt reduci ad maiorē perfectionem organorum, quibus anima operatur, & ad perfectius temperamentum qualitatum, quod in talibus organis requiritur: ergo ex nullo capite poteſt colligi talis inæqualitas animarum ſecundū perfectionem indiuidualem.

Quinto, quia in materijs

ciuſ-

eiusdem speciei, non datur talis inæqualitas, quia nullũ est inditium, vnde colligamus, vnam materiam esse perfectiorem alia, nam siqua esset, maxime quia informatur perfectiori forma: hæc autem ratio nulla est: eadem enim prorsus materia, quæ modo habet formam perfectiorem, verbi gratia animam rationalem, ante habuit formam imperfectam embrionis: ergo si in materijs nulla talis inæqualitas potest reperiri, neq; in formis debet poni.

Dicendum tamẽ nobis est: animam eiusdem speciei habere inæqualem perfectionẽ secundum differentiam indiuidualem, estque expressa sent. S. Tho. 1. p. q. 85. ar. 7. asserentis, maiorem, aut minorẽ perfectionem operationum viuẽtium eiusdem speciei prouenire ex inæqualitate animarũ. Tenet etiam Scot. 8. Meta. q. 1. Ferrara. 1. contra Gen. c. 3.

Et ratione probatur: quia non ex alio capite colligimus viuentia specie diuersa habere animas inæqualis perfectionis specificæ, nisi ex accidentibus longe diuersæ rationis, quæ in illis experimur, sed etiam intra eandem speciẽ, non omnia indiuidua habent similia prorsus accidentia, in quibusdam enim temperamentũ qualitatum, & reliquæ dispositiones animæ sunt perfectiori modo, quàm in alijs, neque enim tale temperamentum in indiuisibili consistit, & ita Arist. hoc lib. tex. 94. dicit eos, qui sunt boni tactus, & molles carne melioris ingenij esse: sed talis inæqualitas temperamentorum, & reliquorũ accidentium in nullam aliã causam reuocari potest, nisi ad inæqualitatem animarum. materia enim ex se est indifferens ad quæcunq; accidẽtia, sicut est indifferens ad quamcunq; formam substantialem: ergo in viuẽtibus eiusdem speciei, non omnes animæ habent æqualem perfectionem indiuidualem.

Et si inquiras, quæ ratio assignari possit, quare ab agentĩ naturali, potius inducatur in materia quædam anima magis perfecta, quã alia minoris perfectionis. Respondetur, causam huius petendam esse ex dispositionibus præuijs, quibus materia disponitur ad recipiendam animam: nã quãtò illæ dispositiones perfectiores sunt in proportione, & tẽperamẽto requisito, tãto perfectiorem animam postulant: & ita inde oritur inæqualitas in perfectione indiuiduali ani-

ma:

marum. Quæ doctrina etiam habet verum in anima rationali. Quamuis enim hæc forma ſpiritualis ſit, quia tamen natura ſua eſt actus corporis organici, poſtulat in materia ad ſui introductionem, varia & diuerſa accidentia, ad diuerſitatem organorum accómodata, quorum proportio, & temperamentum, cum non conſiſtat in indiuiſibili, non reperitur æque perfecte in omnibus indiuiduis hominis, & ita non omnes animæ rationales habent æqualẽ perfectionem indiuidualem.

Deniq;, quod hoc nõ repugnet ratione Meta. coniectari poteſt. Nam quemadmodum genus contrahitur per differentias ſpecificas, ita ſpecies per differentias indiuiduales: ergo ſicut non repugnat, genus contrahi per differentias ſpecificas inæqualis perfectionis ſpecificæ: neq; debet repugnare ſpeciẽ contrahi per differentias indiuiduales inæqualis perfectionis indiuidualis: ergo poteſt optime intelligi, animas eiuſdẽ ſpeciei habere inæqualem perfectionem indiuidualem.

Tandẽ ad fundamenta contrariæ ſententiæ reſpõdetur: imprimis ad D. Tho. reſpõdetur potius docuiſſe expreſſe noſtrã ſentẽtiam loco citato: vnde quando aſſerit, ſpeciem participari æqualiter ab indiuiduis, non loquitur de æqualitate ſecundum differentiam indiuidualem, ſed de æqualitate ſecundum rationem ſpecificam: ſicut etiam, genus cũ vniuocum ſit, debet æqualiter participari ab ſpeciebus, cum tamẽ vna ſpecies eſt perfectior alia, ratione ſpecificæ differentiæ.

Et quid ſimile dici poteſt ad Ariſto. quòd ſcilicèt in indiuiduis eiuſdẽ ſpeciei, nihil ſit perfectius, aut deterius ſecundum differentiã eſſentialem, non tamen ſecundũ differentiam materialem.

Ad ſecundũ, ſubſtantiã non recipere magis & minus intẽſiue, non quidẽ, quia vna ſubſtantia, non poſsit eſſe perfectior alia, ſed quælibet ſubſtãtia in ſe ipſa, non poteſt ſuſcipere maiorem, & minorẽ perfectionem, & ita in ſe ipſa, nõ ſuſcipit magis, & minus, vna tamen in comparatione alterius ſubſtantię, poteſt eſſe magis aut minus perfecta.

Ad tertium eſſe longe diuerſam rationem de differentijs ſpecificis & indiuidualibus: differẽtiæ enim ſpecificę ſunt principia proprietatũ, & operationũ maxime diuerſa-

ra-

rationis, & ita dicuntur diſtinguere ſpecie res, quas conſtituunt: differentiæ tamen indiuiduales ſunt principia proprietatum, & operationum eiuſdem rationis, quanuis intra eãdem rationem ſpecificam, vna ſit perfectior alia, & ita nõ ſufficiunt ad diſtinguẽdas varias ſpecies.

Ad quartũ, q̃ vt vidimus talis inæqualitas animarũ eiuſdem ſpeciei à poſteriori optime colligitur ex inęqualitate operationũ, quãuis immediata, & proxima cauſa perfectiorum operationũ, ſit melius tẽperamẽtum qualitatum, tamẽ quod vna anima poſtulet melius temperamentũ alia, ad ipſam inęqualitatem animarum reducendum eſt.

Et ſi dicas, ſatis eſſe quod hoc reducatur in ipſum generãs, quod nõ repugnat tribuiſſe meliorem diſpoſitionẽ vni animæ, quàm alteri. Cõtra eſt quia melior diſpoſitio naturæ ſua ordinatur ad inducendam meliorem formã, & ita à priori in genere cauſæ diſpoſitiuę, inæqualitas diſpoſitionũ, quæ præcedunt in materia, arguit inæqualitatem animarum, ex parte differentiæ indiuidualis.

Ad vltimum, eſſe diuerſam rationẽ de materijs & animabus informantibus illas: in materijs enim, nullum habemus inditium, vnde ſufficienter colligere poſsimus, vnam eſſe perfectiorẽ alia indiuidualiter, accidẽtia enim, quę ſunt propria ipſius materiæ, vt quantitas, ſunt omnino ęqualis perfectionis per ſe loquẽdo in omnibus indiuiduis. Quod ſi vnum indiuiduum poſtulat maiorem quantitatem alio: id prouenit ratione formæ, quia ſcilicet requirat minimum: materia enim ex ſe in infinitum eſt diuiſibilis, vnde nullum eſt fundamentum, vt in materijs aſsignetur talis inæqualitas in perfectione indiuiduali, in formis autẽ ſunt proprietates, & operationes indiuiduales inæqualis perfectionis, ex quibus inferri poteſt inæqualitas formarum, à quibus procedunt. Et hæc de hac diſputatione.

Caput Tertium.

POſtquam Ariſt. in ſuperioribus egit de natura & eſſentia animæ, incipit iã agere de potentijs ipſius, & quidem in hoc capit. 3. agit de potentijs animę in cõmuni, & duo agit: in priori parte explicat, quot ſint potentiæ, & quot ſint genera animatorũ, in poſteriori verò,

verò explicat, qua ratione vna anima contineatur in alia. Ad priorem ergo partem accedentes, dicit quinq; esse potentias animæ, scilicet, vegetatiuam, sensitiuam, loco motiuam, appetitiuam, & intellectiuam: dicit vero, quatuor esse gradus viuentium. Quædã enim sunt viuentia, quæ tantũ habẽt potentiam, vegetatiuã scilicet, augmentatiuam, seu nutritiuam, quales sunt plantæ. Alia vero sunt, quæ tantũ habent potentiam vegetatiuam, & sensitiuam, non tamẽ loco motiuam, qualia sunt cõchilia, ista enim augentur, & sentiunt, non tamen mouentur motu progressiuo, alia vero sunt, quæ habent potentiã vegetatiuam, sensitiuam, loco motiuam, non tamen intellectiuã, vt equus, leo: alia vero sunt, quæ habent hæc omnia simul vt homo: ergo tantum sunt quatuor gradus viuentiũ ex separatione potentiarũ animæ: vnde, inquit, appetitiuũ, non constituit diuersum gradum viuentis à sensitiuo: quia sensitiuum, & appetitiuũ sunt ad inuicem coniuncta, ita vt vnum, non separetur ab alio: nam quibus inest sensus, inest etiã, inquit, appetitus, & hoc probat. Nam quibus inest sensus, inest etiã dolor & voluptas: ergo inest appetitus, cuius est dolor & voluptas. Quod autem quibus insit sensus, insit etiam dolor, & voluptas, probat, quia omnia animalia habent sensum: ergo habent sensum tactus: sed vbi inest tactus, inest dolor, & voluptas: ergo de primò ad vltimum, quibus inest sensus, inest etiã dolor & voluptas, atq; adeò appetitus.

Secundò id probat: quia omnia animalia habẽt sensum tactus: ergo omnia animalia habent sensum alimẽti, alimentũ enim percipitur per suas qualitates tangibiles: sed vbi est sensus alimenti, potest esse fames & sitis, & vbi est fames, & sitis, est appetitus, quia fames est appetitus calidi & sicci, sitis verò appetitus frigidi, & humidi: ergo de primo ad vltimum, vbi reperitur sensus, reperitur appetitus, atq; adeo sensitiuum, & appetitiuũ, non faciũt diuersos gradus viuẽtis.

In secunda parte capitis explicat, qua ratione vna anima contineatur in alia: ad quod vtitur exemplo figuræ, & imprimis dicit, quod sicut nõ datur figura aliqua in communi separata ab omnibus figuris, ita neq; vna anima in communi separata ab omnibus animab⁹ in particulari. Addit tamẽ, quod

quod sicut inter figuras triangulus est prior quadrangulo, ita inquit inter animas, vegetatiua est prior sensitiua, & sensitiua, est prior rationali: vnde, inquit, sicut triangulus est in quadrangulo, ita vegetatiuum est in sensitiuo, & vegetatiuum & sensitiuũ in rationali. Vltimò docet, quod sicut vna anima separatur ab alia, ita potẽtiæ propriæ vnius animæ separantur à potentijs alterius, vt vegetatiuũ à sensitiuo.

Disput.II. De potẽtijs in communi consideratis.

Optima quidem methodo Arist. post tractationẽ de natura & essentia animę, de potentijs disputare aggreditur, & prius de potẽtijs eius tã in communi, quàm in particulari sumptis, vt semper ab vniuersalioribus inchoetur disputatio. Ea autem, quæ Arist. docet in hoc capite de gradibus viuentium, & de modo, quo vna anima continetur in alia, iam superiori disputatione explicata sunt, aut si quid explicatione indigeat, inter disputandũ explicabo. Quare solum nobis disputãdum restat de potentijs animæ in cõmuni.

Quæst.I. Vtrùm potentiæ animæ distinguantur realiter ab illa.

QVòd anima suas habeat potentias vitales, quibus operetur, nullus vnquam philosophorum dubitauit, patet enim animam rationalem habere intellectum, & voluntatem, animam sensitiuam suos sensus, ac tandem quidem animam vegetatiuam constat habere potẽtiam nutritiuam, & generatiuam. Solum est dubium circa naturam talium potentiarum. Vtrum scilicet sint entitates aliquæ superadditæ ipsi animæ, ab illa realiter diuersæ: loquimur autem de potentijs actiuis: nam certum est, non omnem potentiam passiuam, quam habet anima, distingui realiter ab illa, nam saltem potentiæ actiuæ animæ rationalis recipiuntur immediate in illa, & ita ipsa, ex sua intrinseca entitate habet potentiam passiuã ad recipiendas potentias suas actiuas. Dixi tamen non omnẽ potentiam passiuam distingui realiter ab anima, ad significandũ aliquas potentias passiuas realiter distingui ab illa, illas scilicèt, quę sunt idẽ realiter cum actiuis, iuxta infra dicẽda, qua ratione, idem intelle-

tellectus posſibilis, qui reſpectu verbi mentis eſt actiuus, reſpectu ſpeciei intelligibilis eſt potẽtia paſsiua, dum illam recipit: vnde quia potentiæ actiuæ diſtinguũtur realiter ab anima, vt ſtatim dicam, nõ mirum eſt, quòd potentiæ paſsiuæ illius, quæ realiter identificantur cum actiuis, etiã diſtinguantur ab illa realiter.

Reſtat ergo difficultas de potẽtijs actiuis, in qua re prima ſentẽtia affirmat, potẽtias non eſſe entitates realiter diuerſas ab anima, ſed ſolũ ratione. Tenet Greg. in. 2. d. 16. q. 3. Marſil. q. 7. art. 7. Buridanus hoc loc. q. 6. Quorũ fundamentum eſt, quia quemadmodũ materia prima eſt principium paſsiuũ, ita forma eſt principium actiuũ: ergo ſicut potentia paſsiua materiæ, non eſt aliqua entitas realiter diuerſa ab illa, ſed potiùs eſt ipſa entitas materiæ primæ, ita ſimiliter potentia actiua non debet eſſe aliqua entitas ſuper addita formæ.

Secundò quia potentia actiua eſt illud, quod eſt principiũ operandi, ſed anima eſt principium operandi: ergo ipſa anima eſt potentia.

Tertiò: quia ſi anima indigeret potentia aliqua ſuperaddita ad operandũ, maximè, quia ſubſtãtia, qualis eſt anima, nõ eſt principium immediatũ operandi, hoc autem videtur falſum, quia potentiæ, quæ oriuntur ab anima, neceſſariò debent fieri ab illa immediate, aliàs fierent mediante alia potentia, & illa mediante alia, & ſic in infinitũ: ergo reuera anima eſt immediate operatiua.

Quartò: quia in formis accidẽtalibus eadem forma accidentalis habet eſſe formam & potentiam, vt patet de calore: ergo multò melius id habebunt formæ ſubſtantiales, quæ perfectiores ſunt.

Dico primò in hac quæſtione, reuera negari non poſſe, q̃ omnes potentiæ diſtinguantur realiter ab anima rationali. Quam ſententiam tenent autores ſtatim citandi. Et ratione probatur: quia imprimis potentię animę ſenſitiuæ, quales ſunt ſenſus, & potentiæ animæ vegetatiuæ, ſcilicèt potẽtia nutritiua, & generatiua, ſunt potentiæ quædã materiales, & corporeæ: ſed anima rationalis ſpiritualis eſt: ergo nulla ratione poteſt negari, q̃ diſtinguantur realiter ab illa, neq; enim fieri poteſt, q̃ eadẽ entitas ſit corporea, & incorporea. De intellectu vero & volũtate, quę ſunt potẽtię ſpi-

ri-

rituales, hinc sumitur argumẽtũ, nã si anima rationalis indiget potentijs superadditis ad operationes materiales, multo magis indigebit potẽtijs superadditis ad operationes spirituales, cũ lõge perfectiores sint.

Dico secũdò: vniuersaliter loquẽdo, potẽtię animę distinguũtur realiter ab ea. Tenet S. Th. 1. p. q. 77. art. 1. & q. 54. ar. 3. Capre. in 1. d. 3. q. 4. Sot. c. de Proprio. q. 2. Iauel. hoc loco. q. 9. & ibidẽ Tolet & reuera est sentẽtia Arist. nã. 1. lib. de anima text. 70. in quolibet viuẽti vnicã tantũ animã ponit, potentias vero plures, vt videre est in hoc capite.

Et ratione probat: quia formę inanimatorũ habẽt potẽtias realiter diuersas, & superadditas, quibus operẽtur: ergo multo melius id concedendũ est in formis animatorũ. Antecedẽs probatur, quia calor ignis, qui est potẽtia, per quã ignis operatur, distinguitur realiter à forma ignis, quod ex eo patet, quia potest ille calor remitti, & secundũ gradus aliquos realiter corrũpi, non corrupta aliqua parte formę substantialis ignis; hæc enim, non est intensibilis, & remissibilis, vt suo loco dictum est: ergo etiam potentiæ animę debent realiter distingui ab illa.

Et si respõdeas, argumentũ hoc nullũ esse: nã iuxta cõmune axioma: quę sunt in inferioribus dispersa, sunt in superioribus vnita, & ita animę quæ sunt altioris ordinis, quã formę inanimatorũ, per suã entitatẽ habebũt potentiã ad operandũ. Cõtrà tamen quia non est tãta perfectio & simplicitas formę viuẽtis, vt in eadem indiuisibili entitate possit illas duas rationes animę & potẽtiæ inuoluere, solũ enim in Deo id debet cõcedi, nã propter suam summam simplicitatẽ potẽtia eius est ipsius esse.

Secundò etiã à simili cõfirmari potest, nã ad relationem lõge minor entitas requiritur, quã ad operandũ, relatio enim habet paruam entitatem: sed vt res referatur ad aliud, indiget entitate realiter ab illa diuersa: ostendimus enim nos suo loco, relationem realiter distingui à suo fundamẽto: ergo multò melius indiget anima entitate realiter illi superaddita ad operandum.

Fateor ad hanc rẽ probandam, non multùm vrgere plures rationes, quas D. Th. locis supra citatis adducit, ea enim (vt alias omittã) quę pluribus satis efficax videtur, scilicèt, quòd cum anima sit immedia-

diatum principiũ eſſendi, non poteſt eſſe principium immediatum operandi, quia principium immediatum eſſendi & operandi debent eſſe realiter diuerſa, certe enim videtur cõcludere. Nã quod Thomiſtæ illam explicantes addere ſolẽt, debere ita intelligi, quod idem nõ poſsit eſſe principiũ principale immediatum eſſendi, & principium principale immediatum operãdi, falſum eſt, nam calor eſt principium immediatum principale eſſendi calidum, & etiam eſt principium immediatum principale producendi alium calorẽ. Quare, non opus eſt rationes omnes. D. Thomę adeò eſſe efficaces.

Dico tertiò in hac quæſtio, ne: per diuinã potentiã nullã implicare cõtradictionem q̃ Deus faciat creaturam aliquã per ſuam eſſentiam potẽtem operari, neq; enim ex hoc probatur, quod eſſet ſumme ſimplex, ſicut Deus, quia adhuc in tali ſubſtantia, poſſet eſſe compoſitio actus, & potẽtiæ, ſcilicet, materię, & formę, quę tamẽ repugnat Deo, cuius rei aliqualis coniectura eſt, quòd de facto ſubſtantia per ſuam entitatem attingit ad producendam ſaltem primam paſſionem, cum ante primũ accidens, nullum poſsit præcedere, quid ergo mirũ, quod per diuinã potentiam, detur ſubſtantia aliqua abſolute immediate operatiua.

Sed obijcies: ergo etiam poteſt dari aliqua ſubſtantia, quę per ſuam entitatem ſubſiſtat, ita vt ſubſiſtentia, non ſit illi entitas ſuperaddita. Reſpondetur reuera, neq; in hoc poſſe dari euidentem implicationem, quia adhuc in tali ſubſtãtia, poſſet intelligi cõpoſitio partium integraliũ: vnde non ideo neceſſario eſſet ſumme ſimplex, ſicut Deus. Quod vero tales creaturæ de facto non dentur probandum eſt rationibus, quibus probauimus de facto, potentias realiter diſtinguì ab anima, & ſubſiſtentiam à natura: neq; enim quidquid perfectionis eſt, dicẽdum eſt de facto eſſe.

Supereſt reſpondeamus ad fundamenta contrariæ ſentẽtiæ. Ad primum reſpondetur eſſe diuerſam rationem de potentia paſsiua materiæ primę, & de potentia actiua animæ. Ratio eſt, quia tota eſſentia materiæ primæ, eſt quod ſit pura potentia paſsiua, & ita non habet rationem potentię paſsiuæ per entitatem aliquã ſuperadditam, ſed potius per ſuam intrinſecam eſſentiam:

at

at vero eſſe principium proximum operandi, non eſt de eſſentia animæ, ſed ſolum eſſe principium radicale, vt cõſtat ex rationibus adductis in prima concluſione, & ita principium proximum operãdi, ſcilicèt, potentia eſt aliqua entitas ſuperaddita ipſi animæ, & hinc patet ſolutio.

Ad ſecundum reſpondetur, potentiam eſſe principium proximum, & accidentale operandi, anima autẽ eſt principium radicale & ſubſtãtiale.

Ad tertium, quod vt diximus. 2. Phyſ. principium illud quòd ſubſtantia non eſt immediatum principium operandi, intelligendum eſt de ſubſtantia perfecte producta: tunc autem ſubſtantia aliqua cẽſetur perfecte producta, quãdo nõ ſolum quantum ad ſuam entitatem ſubſtantialem, ſed etiã quantum ad ſua accidentia eſt perfecte producta: tunc enim ſubſtãtia operatur mediis ſuis accidentibus: tamen ſubſtantia, antequã producantur paſſiones, & potẽtiæ eius, eſt imperfecte producta, & ita non eſt mirum, quod ſit immediatum principium producendi ſuas paſſiones, vt in ſuo eſſe completo perficiantur.

Ad quartum, in accidentibus eandem entitatẽ eſſe formam, & principium immediatum operandi, non tamen in formis ſubſtantialibus: ratio differentiæ eſt, quia formę accidentales, non tantum ordinantur immediate ad eſſe, ſed etiam ad operari, qua ratione calor eſt immediatum principium eſſendi, & operandi, accidentia enim ſunt, quaſi inſtrumenta ſubſtantiæ: at vero formę ſubſtantiales, potius ordinantur primariò ad eſſe, quã ad operari, & hoc colligimus à poſteriori, in formis non viuentibus, qualis eſt forma ignis, illa enim ordinatur ad operandum medio calore.

Quæſt.II. Vtrùm potentiæ animæ poſsint ab illa realiter ſeparari, & an ſeparatæ ab illa, exiſterent violenter.

HAEC quęſtio eadem eſt cũ illa, vtrũ paſsiones realiter poſsint ſeparari ab eſſentia, ſunt enim paſsiones, vt in plurimum potentiæ quędam, quibus ipſa operatur, vt riſibilitas in homine. Et in primis certũ eſt, paſsiones illas, quæ non diſtinguuntur realiter ab eſſentia, qualiter paſsiones entis, quæ ab ipſo ente non diſtin-

ſtinguũtur realiter, non poſſe ab illa realiter ſeparari. Nam vt ſæpe dixi, ad ſeparationem realem, neceſſariò requiritur diſtinctio realis extremorum.

Secũdò certum eſt, paſsiones, quæ diſtinguũtur realiter ab ipſa re, ſicut modus rei à re, non poſſe realiter ab illa ſeparari, adhuc per diuinã potentiã, qua ratione figura, quę eſt paſsio quãtitatis, eſt modus illius. Ratio eſt, quia cum modi per ſuã intrinſecam eſſentiam vniantur ſubiecto, vt alibi oſtendimus, neq; per diuinam potentiam poſſunt dari ſine ſubiecto, ſolũ ergo eſt dubiũ de paſsionibus, quæ ſunt res, & non modi, quales ſunt potentiæ animæ. Vtrum per diuinam potentiam poſsint realiter ſeparari ab illa.

Et dicendum eſt cum fere cõmuni ſententia, tales potentias & proprietates animę, poſſe realiter ſeparari ab illa, & è contra, poſſe dari animã abſq; ſuis potentijs, vt animam rationalẽ abſq; potentia intellectiua per diuinam potentiam. Tenet Ferra. 4. contra Gent. cap. 65. Bañez. 1. part. quæſt. 77. art. 1. dub. 1. ad. 4. Sotus in cap. de Proprio.

Et probatur ratione prima pars concluſionis, ſcilicèt, q̃ poſsint dari potentiæ animæ realiter ab illa ſeparatæ, quia non alia ratione colligimus, poſſe quantitatem per diuinã potentiam dari ſeparatam à ſubſtantia, vt patet in Sacramento Euchariſtiæ, niſi quia eſt entitas realiter diuerſa à ſubſtantia, & ita non repugnat realiter ab illa ſeparari: ſed potentiæ animæ, ſunt entitates realiter ab illa diuerſæ: ergo nullam inuoluit contradictionem, quòd dentur ſeparatę ab anima. Secũda verò pars concluſionis, ſcilicet, quod anima poſsit dari ſine potẽtijs, aut eſſentia ſine paſsionibus realiter ab illis diuerſis, eadẽ ratione oſtenditur, ſcilicet, quia ſunt entitates realiter diuerſæ, & ita non debet implicare dari vnam ſine alia.

Et ſi inquiras, an ſuppoſito miraculo, q̃ daret̃ anima abſq; potẽtijs, ſtatim anima ſuę naturæ relicta, & abſq; nouo miraculo produceret ſuas paſsiones. Reſpõdetur affirmatiue, nã cũ eſſentia ſit cauſa paſsionũ, & anima cauſa ſuarũ potẽtiarũ, nõ ſec', quã aqua eſt cauſa ſuæ frigiditatis, ſicut aqua calefacta, & deinde ſuæ naturæ relicta ſtatim ſe reducit ad priſtinã ſuã frigiditatẽ actiue à ſe ipſa, vt vidimus. 2. phy. ita eſſẽtia cauſaret ſuas paſsiones.

Et

Et si inquiras secũdò an potẽtia separata ab anima, posset naturaliter operari, verbi gratia, vtrũ intellectus separatus ab anima posset naturaliter intelligere. Respõdetur negatiue. Ratio est, quia potẽtiæ animæ indigẽt actuali cõcursu illius, vt operentur, sunt enim veluti instrumenta ipsius animæ, & ita sine illa naturaliter operari nõ possunt, imo neq; è contra posset sola anima rationalis sine potentia intellectiua naturaliter intelligere, quia ex natura rei, anima ordinatur ad operandum medijs potentijs, & ita si daretur anima rationalis sine intellectu, non ideò diceretur rationalis, quia se sola possit elicere actũ rationis; sed quia est principium radicale intellectus & operationum intellectus.

Quare, maiorem habet dificultatem secundum, quod inquirebat quæstio, vtrum scilicèt, si potentiæ animæ darẽtur realiter separatæ ab illa, essent violẽter, quæ difficultas generaliter tractari potest de omnibus accidẽtibus, si darẽtur à suo subiecto separata. In qua re prima sentẽtia est asserentiũ, quod si illa realis separatio, fieret ab agenti aliquo creato, talia accidẽtia separata essent à subiecto violẽter: si tamẽ fieret à Deo, dicunt nõ fore illis violentã: existimant enim, quòd quanuis creatura possit pati violentiam ab aliquo agenti creato, non tamen à Deo. Tenet Caiet. 1.part.q. 82.art.1. & Conradus. 1. 2.q. 6.art.4. Perei.lib.7.physi.c.9. & plures alij.

Hæc tamen sententia falsa est, vt Med. & alij docent. 1, 2.q.6.ar.4.ostendentes, creaturam, etiam pati posse violentiã à Deo, quis enim diceret, quòd si Deus moueret lapidẽ sursum, ille motus non esset violentus illi, cum sit contra inclinationẽ grauitatis naturalis illius. Similiter, si Deus produceret in aqua caloré, ille calor tãviolẽtus esset aquę, ac si ab alio genti naturali produceretur, quia eodem modo esset destructiuus suæ naturalis frigiditatis: sed de hoc latius Theologi loco citato.

Secunda sententia est asserentium accidentia separata à suo subiecto, non esse violenter, quia existimant, ad rationem violentiæ, requiri, quòd sit contra inclinationem actiuam rei, & quia forma accidẽtalis, non est causa efficiens inhæsionis in subiecto, qua priuatur dũ est ab illo separata, ideo asserunt, accidentia separata à subiecto, nõ esse in statu vio-

violẽtõ. Sic docet ſubtilis Molina. 1. p. q. 12. ar. 1. diſp. 2.

Hæc tamen ſententia etiã nititur falſo fundamento, ſcilicet non poſſe inferri violentiam contra inclinationẽ paſſiuam, etiamſi non ſit actiua. Ratio eſt, quia violentum opponitur naturali: ergo ſicut aliquid tam poteſt eſſe naturale ratione principij actiui, quã paſsiui, ita tam poteſt eſſe aliquid violentum contra inclinationem paſsiuam, quàm cõtra actiuam.

Quare vt rem hanc explicemus, aduertendum eſt. Imprimis, ad rationem violẽtiæ, non ſatis eſſe quòd priuetur res, aliquo ſibi cõnaturali, ſed requiritur, quod etiam non ſit ex vi alterius, etiam ſibi connaturalis: hæc enim eſt ratio, quare quanuis vna forma corrumpatur in materia, per aduentum alterius, materia tamẽ nõ dicitur pati violentiã, quia quamuis priuetur forma ſibi connaturali, hoc tamẽ eſt per aduentum, alterius formæ, etiam ſibi connaturalis, ad quã etiam recipiendã dicit aliquã inclinationem. Et quia violentum definitur, quod ſit à principio extrinſeco, paſſo nõ cõferente vim, ideo materia in tali ſepatatione formæ, cauſata ex aduentu alterius, non dicetur pati violẽtiam, ſecus eſſet, ſi per diuinam potentiam materia priuaretur omni forma, tũc enim, priuatio illa eſſet inducta à principio extrinſeco, paſſo non conferente vim.

Secundò notandum eſt, etiam requiri ad rationem violentiæ, quod res priuetur aliquo ſibi debito, & nõ per introductionem alterius formæ ſupernaturalis ſuperioris ordinis perfectiori modo, ſupplentis id, quod præſtabat forma naturalis: hac enim ratione omnes Theologi ſaluãt humanitatem, non extitiſſe violenter in Chriſto Domino, quamtumuis in illo fuerit priuata ſua naturali ſubſiſtentia, eo quod erat in alio, nempe in Verbo diuino. Ratio, in quam eſt, quia licèt talis humanitas fuerit priuata ſubſiſtentia propria, ſibi connaturali, fuit tamen illi communicata ſubſiſtẽtia Verbi diuini, quæ infinita perfectio eſt, & ita humanitas perfectiori modo fuit in Verbo diuino, quàm aliàs eſſet in propria ſubſiſtentia. Denique ratio à priori huius eſt, quia cum per aduentum talis formæ ſupernaturalis, res perfectiori modo ſe habeat, quàm aliàs ſe haberet, cũ forma illa naturali, qua priuatur non debet dici profectò violen-

lentata, sed habere statũ quẽdam supernaturalem.

Tertiò notandum est, quòd quando aliquod accidens miraculosè separatur à suo subiecto, & per se existit, satis esse dubium apud Theologos, an talis per se existẽtia sit aliquis modus positiuus, vel solũ accidens dicatur per se existere per solam negationem inhæsionis illi superadditam, scilicèt, quia priuatur inhærentia, quam habebat in subiecto. Vtraq; enim sententia hac in re satis est probabilis, tamẽ iuxta diuersam opiniomem, diuersimode loquendum est, nã qui dicunt, & satis probabiliter, accidentia separata à subiecto, dici per se existentia, nõ quidem per modum aliquem subsistentiæ positiuũ, sed per solam priuationẽ inhæsionis, quam habebant anteà in subiecto, consequenter fatentur, talia accidentia, vt sic, separata esse violenter, quia priuantur forma sibi connaturali, scilicèt inhæsione in subiecto, & nõ per aduentum alterius formæ positiuæ supernaturalis: sed per solam priuationẽ, quę priuatio, quamuis supernaturaliter sit causata, infert tamẽ violentiam, quia priuat forma aliqua supernaturali, & nihil ponit in subiecto, quo illud suppleri possit: sicut si Deus se solo expelleret frigiditatem ab aqua per priuationem solã illius ab illo causatam, adhuc aqua esset in statu violẽto, quia talis priuatio, licèt supernaturaliter causata fuerit, tamẽ nihil reale ponit supplẽs frigiditatem.

Secunda tamen, & communis sententia asserit accidẽtia separata à subiecto acquirere quendam modum positiuum essendi supernaturalem, scilicè quandam subsistentiam accidentalem, qua accidens miraculosè subsistit per se ad modum, quo substantię completæ per subsistentiam quandã positiuam substantialem per se subsistunt. Quòd autem ille modus subsistentię accidẽtium separatorum, non sit modus substantialis, sed accidentalis, patet ex doctrina generali de modis tradita à nobis. 1. Physi. disput. 2. vbi ostẽdimus, eũ modum substantialẽ esse, qui ordinatur ad complendã substantiam in suo esse substãtiali, qualis est subsistẽtia substantiæ, per illam enim constituitur suppositum substãtiale in suo esse: sed illa subsistentia supernaturaliter communicata accidenti separato, nõ ordinatur ad complendã substantiam, sed potius est mo-

dus accidentalis, quam ſubſtãtialis.

Vnde iuxta hanc ſententiã conſequenter dicendum eſt, nullum accidens ſeparatum à ſubiecto, pati violentiã, quia licèt priuetur inhærentia ſibi connaturali, tamẽ perfectiori modo ſe habet ſeparatum, eo quòd perfectior modus exiſtẽdi, eſt exiſtere per ſe, quã in alio exiſtere, & ſic quia ſubſiſtẽtia illa ſupernaturalis, quã acquirit, perfectiorẽ modũ exiſtendi tribuit illi, quam inhærentia naturalis, qua priuatur, ideo non eſt in ſtatu violẽto, ſed ſupernaturali ſolùm: ſic docet, Pater Suarez. 3. p. tom. 1. diſput. 8.

Et ſi obijcias, nã omnẽ accidens mediate, vel immediate petit afficere ſubſtantiam: ſed ille modus ſubſiſtentiæ, qui eſt in accidẽti ſeparato à ſubſtantia, nulla ratione poteſt afficere ſubſtantiam, quia ſequitur accidens, vt ſeparatum à ſubſtantia: ergo talis modus ſubſiſtẽtiæ non eſt accidens. Reſpõdetur q̃ licèt de ratione accidentiũ naturaliũ ſit, q̃ ordinetur ad afficiendã ſubſtantiã, tamen accidẽs hoc ſupernaturale, id habet ſibi propriũ, vt ſequatur accidens, vt ſeparatum ab illa, ideo ordinatur ad afficiendam ſubſtantiã, ſed potius petit ſeparationem ab illa, quia eſt modus per ſe exiſtendi, & non in ſubſtãtia, q̃ nullũ aliud accidens habet, verum eſt accidẽs illud, habere ſubiectum inhæſionis, quia inhæret accidenti ſeparato.

Dico vltimò in hac queſtione, licèt in opinione poſitum ſit. Vtrum potẽtię ſeparatę ab anima, ſint in ſtatu violento, vel nõ, iuxta dictas ſentẽtias, tamẽ q̃ è cõtra anima priuata ſuis potẽtijs ſit in ſtatu violento certũ debet eſſe, & vniuerſaliter omne ſubiectum priuatũ accidẽti ſibi debito. Ratio eſt quia priuatur aliquo ſibi debito: ergo priuatio talis accidẽtis, ſi nihil aliud loco eius ponatur, violenta eſt illi, quia eſt à principio extrinſeco, paſſo non coferente vim: idẽ eſt iuditium, ſi eſſentia ſine ſuis paſsionibus daretur.

Quæſt. III. Vtrùm potentiæ procedant ab anima, & in quo genere cauſæ.

DE hac re diſputat Ariſt. c. 4. ſequenti, tamẽ quia difficultas hęc ad preſentẽ diſputationẽ de potentijs animę in cõmuni ſumptis pertinet, placuit hoc loco, eam inſerere. Sunt vero de hac re varię autorum ſententię. Quidã enim aſſe-

asserunt animam non esse causam efficientem suarum potẽtiarum,& vniuersaliter,essentiam non esse causam efficientem suarum passionnm. Tenet Iandunus hoc lib. q. 9. Caietanus Tienensis tex. 29. Sotus cap de Proprio.

Alij verò asserunt animam esse causam efficientem suarũ potentiarũ, non tamen principalem,sed instrumentalẽ. Dicunt enim,essentiã, vt instrumentũ generantis, producere passiones. Quam sententiam tenent fere omnes illi, qui asserunt grauia, & leuia moueri à generãte,quales sunt omnes fere Thomistæ, quos retulimus.2.Physi.disput.1.

Tertiò vero, alij asserũt,essentiã esse causam suarũ potẽtiarũ efficientẽ, non tamẽ perverã,& prędicamentalẽ actionẽ,sed per impropriam,quam ipsi appellant simplicem resultantiam , vel emanationem. Tandem Arist.cap.4.sequenti docet,animas in triplici genere esse causam suarum potentiarum , & perinde essentiam suarum passionum,est enim eadem ratio , scilicet , in genere causæ efficientis , materialis,& finalis.

Quã sententiã,vt intelligamus, supponendum est imprimis, animã nõ esse causam formalem suarum potentiarum, vel essentiam suarum passionum.Ratio est,quia imprimis non est causa intrinseca informans, potius enim potentiæ aliquæ informant animã,quales sunt potentiæ spirituales animæ rationalis , quæ subiectantur in illa, aliæ vero potentiæ materiales sunt immediate in materia prima, vt statim dicam:ergo anima, nõ est causa formalis intrinseca suarum potentiarum, neq; etiam extrinseca , ita quòd illas extrinsece specificet , potius enim potẽtiæ specificãtur per actus, vel per alia , iuxta infrà dicẽda:ergo anima,nullo modo est causa formalis suarum potentiarum.

Secundò conueniũt omnes cum Arist. loco citato , animã esse causam finalem suarum potentiarum . Ratio est, quia potentia est propter operationem,& operationes animę sunt propter ipsam animam, scilicet, vt ipsa anima per suas operationes perficiatur: ergo de primo ad vltimum,potẽtia est propter animã , atq; adeò anima est causa finalis suarum potentiarũ: vnde, ꝙ Arist. dixit.2.de cœlo capit. 3. *Vnumquodq; esse propter suam operationẽ*,intelligendũ est de fine, quo,qui est finis minus princi

palis, eſt enim operatio, vt ſupra vidimus, finis quo, reſpectu ipſius rei, tamẽ res ipſa eſt finis cui, reſpectu illius, quia eſt id, cui datæ ſunt potentiæ, & operationes, vt magis in ſuo eſſe per illas perficiatur.

Solùm ergo ſupereſt difficultas vtrum anima ſit cauſa materialis, & efficiens ſuarũ potentiarum, & quidem quod attinet ad genus cauſæ materialis, non omnes eodem modo ſentiunt, nam qui exiſtimant accidẽtia materialia ſubiectari in toto cõpoſito, & perinde inadęquate in partibus eſſentialibus illius, conſequẽter tenentur fateri potentias vitales materiales, quales ſunt potentia nutritiua, & omnes ſenſus, ſubiectari in toto cõpoſito, & ita in anima inadæquate: nobis tamen, cũ opinemur accidentia omnia materialia ſubiectari immediate in materia prima, vt quod, aliter loquendum eſt.

Dico ergo primò: potentię ſpirituales animæ, quales ſunt intellectus, & voluntas, ſunt inhæſiue in anima rationali, non verò in materia, & ita ex eo dicũtur eſſe in homine, nõ quia ſint in vtraq; parte hominis, ſed quia ſunt in anima, quæ intime eſt in homine, & iuxta hanc concluſionem expendo verba Ariſt. dum dicit potẽtias animæ procedere ab illa in genere cauſę materialis, ita vt loquatur de potentijs ſpiritualibus animæ.

Et probatur concluſio primò, quia vt vidimus. 1. Phyſi. anima rationalis adhuc in corpore habet propriam ſubſiſtẽtiã partialem, qua per ſe ſubſiſtit, vt adhuc ex ſententia S. Thomæ ibi oſtendi: ergo eſt ſubiectum capax ad ſuſtentanda accidentia ſibi propria, quales ſunt potentię ſpirituales ſuæ.

Secundò quia ſpirituale, nõ poteſt recipi in ſubiecto corporeo: ſed totum compoſitũ, nempe homo, corporeum eſt & ſimiliter materia, reſtat ergo quòd huiuſmodi potentię ſpirituales tantùm recipiãtur in anima rationali.

Dico tamen ſecundò: omnes alias potentias animæ, vt pote, quę materiales ſunt, immediate recipi in materia prima, & ita animam nõ eſſe cauſam materialem harum potẽtiarum. Ratio eſt, quia nulla forma materialis, vt dictũ eſt loco citato, habet ſubſiſtẽtiã, qua per ſe ſubſiſtat, ſolum illã habet materia prima: ergo tãtùm illa eſt ſubiectum capax ad ſuſtentãdas huiuſmodi potentias vitales.

Si

Si dicas, tales potentias esse in toto composito, quod materiale est, & subsistit vt quod: contrà est, quia vt dicto loco argumentabar inintelligibile est accidens aliquod recipi in toto composito, quin recipiatur in partibus essentialibus illius, ex quibus intime componitur, & ita in homine iam huiusmodi potentiæ materiales essent in anima rationali, atq; adeo accidens materiale reciperetur in subiecto spirituali: ergo sicut in homine materia prima est subiectũ capax ad recipiendas huiusmodi potẽtias vitales, idem erit in alijs viuẽtibus, est enim in omnibus materia eiusdem rationis.

Est tamen hoc loco aduertendum, quod quanuis huiusmodi potentiæ vitales, tantũ recipiantur in materia prima, tamẽ vt sint in illa, debet supponi anima formans materiã, quia cum huiusmodi potentiæ oriantur ab anima, nõ possunt recipi in materia, nisi iam prius natura supponatur anima informans materiam illã, vt possit tales potentias in materia producere: ex hoc tamẽ non licet inferre, quòd tales potentiæ sint in toto composito, aliud enim est accidens aliquod esse in materia prima habenti formam, aliud, quòd sit in materia & forma, sicut scientia & reliqui habitus spirituales, quos anima rationalis acquirit in hoc statu, adueniunt illi vnitæ corpori, tamẽ non subiectantur in corpore, sed dumtaxat in anima rationali.

Solum contra hãc sententiã potest obijci, nam si potentiæ vitales non subiectantur in anima, sequitur q; actiones omnes potentiarum vitaliũ materialium, verbi gratia, sensationes, non sint actiones immanentes. Probatur consequentia, quia non subiectantur in anima, à qua eliciuntur. Et probatur, quia huiusmodi operationes subiectãtur in potentijs, potentiæ autem non subiectantur in anima. Sed respondetur facile, tales operationes vitales potentiarũ materialium non dici immanentes, respectu principij radicalis illarũ, quod est anima, sed respectu principij proximi, & immediati, quod est potentia vitalis, & ita dicũtur actiones immanentes, quia manent intra potentiam, à qua eliciuntur.

Et si obijcias secundò quòd si, verbi gratia, potentia visiua est in materia prima, recte diceremus, materiam primã videre. Respondetur materiam pri-

primam ſolùm concurrere ad vuiſionem ſuſtentando potentiam viſiuã, qua effectiue prouenit viſio, & ita proprie non dicitur videre, quia videre cum ſit verbum actiuũ, ſolùm denominat cauſam agentem, præſertim, quòd actiones abſolute & proprie loquẽdo, ſolum ſunt ſuppoſitorum. & quia materia prima, non eſt ſuppoſitum, ideo non dicitur abſolute videre.

Vel ſecundò reſpondetur, quòd accidẽtia vitalia, quales ſunt operationes vitales, ad hoc quod denominent ſubiectum, debent in ſubiecto duo reperiri, & quòd ſit ſuſceptiuum & actiuum, at vero materia licèt ſit ſuſceptiua, non tamen eſt actiua, atq; adeò non denominatur videre, ſed totũ compoſitũ, in quo materia eſt ſuſceptiua, & anima actiua.

Supereſt ergo tantũ difficultas de cauſalitate cauſę efficiẽtis. Vtrũ ſcilicet anima ſit cauſa efficiens ſuarũ potentiarũ, & in vniuerſum, an eſſentia ſit cauſa efficiẽs ſuarũ paſsionũ: loquimur autem de paſsionibus, quę realiter diſtinguũtur ab eſſentia: nã quando nõ diſtinguũtur, qualiter paſsiones entis non diſtinguuntur realiter ab illo, non poſſunt procedere efficiẽter ab eſſentia, debet enim inter cauſã & effectũ intercedere diſtinctio realis.

In qua re dico primò, animã eſſe cauſam efficientẽ ſuarũ potentiarum, & vniuerſaliter eſſentiam ſuarũ paſsionũ. Quã concluſionẽ, docet Ari. c. 4. ſequenti, & cũ eo cõmuniter ferè omnes interpretes. Et ratione probatur, quia formæ nõ viuentium ſunt cauſæ efficientes ſuarũ potentiarũ, qualiter experimur aquã actiue ſe reducere ad ſuã connaturalem frigiditatem, & ignem ad ſuum intenſum calorem, ſi ſuæ naturæ relinquatur: ergo multo melius anima, quę perfectior forma eſt, erit cauſa efficiens ſuarum potentiarũ vitalium.

Et ſi inquiras, quæ ſit cauſa, quare aqua, ſemel ablata ſua naturali frigiditate, poſsit per naturam ſe ad illam reducere, ablata tamen ſemel potentia viſiua, non poſsit anima abſq; miraculo illã producere. Reſpõdetur cauſam eſſe, quia ad potentiam viſiuam requiruntur certæ diſpoſitiones, & tẽperamẽtum qualitatum, quod non poteſt anima ſe ſola efficere, tamẽ ad frigiditatẽ producendam, non prærequirũtur præuiæ diſpoſitiones, & ita facile poteſt forma aquæ, illam iterum cauſare.

Di-

Dico secúdò animã esse causam efficientẽ principalẽ suarũ potentiarũ, & essentiã suarũ passionũ, non vero instrumentalem. Quã sententiã satis indicauit S. Tho. 1. p. q. 77. ar. 6. ad. 3. vbi dicit, quòd sicut calor dimanat à luce, ita passio ab essentia: sed lux in opinione omniũ, est causa æquiuoca principalis caloris: ergo & anima est causa principalis suarũ potẽtiarum, licèt æquiuoca, quia est diuersæ rationis ab illis.

Et ratione probatur, quia anima est longe perfectior suis potẽtijs, & essentia suis passionibus, & ex natura sua ordinãtur ad talẽ effectũ producendũ: ergo nihil deficit illis ad rationẽ causæ principalis. Vnde quãdo S. Tho. tribuit generanti productionẽ passionũ, nõ vero essentiæ, loquitur de principio radicali, & remoto, & ita per quandã attributionẽ ad principiũ radicale illarũ, in quo sensu est verũ principiũ illud, quòd qui dat formã, debet dare consequentia ad formã, nõ tamẽ loquitur de principio proximo immediato.

Possent hoc loco circa dicta aliqua dubitari de quibus nos late egimus 5. Physic. q. 2. Primò nãq; inquiri posset vtrũ essentia, & passiones eadem actione producãtur: diximus, diuersa actione produci, quia termini realiter diuersi, postulãt actiones, & vias ad illos terminatas realiter diuersas.

Secundò dubitari potest, an talis productio passionũ, seu potentiarum, sit mutatio realis, & breuiter diximus, potentias spirituales, quæ producũtur cum anima rationali in instanti, quo creatur à Deo, non fieri per realem mutationem illius; alias tamen passiones, & potentias materiales, fieri per veram, & realem mutationem. Legãtur ibi dicta. 5. physic. quæstion. 1. ad finem: consultiùs enim duxi rem hãc ad propriam eius sedem remittere, quàm hoc loco vix tactam imperfectam satis relinquere.

Ad huc tamẽ hoc loco quædam inquiri possunt. Primò vtrum talis actio productiua potentiarum, sit vera actio de prædicamento actionis, ita quòd sit actio superaddita rei factæ, vel potius sit actio aliqua transcendentalis. quæ non distinguitur ab ipsa re facta.

Et dico breuiter, reuera talem actionem esse prædicamẽtalem, & superadditam ipsis passionib⁹. Et probatur, quia passiones, non pendẽt per suã in-

intrinſecam eſſentiam ab eſſentia, à qua cauſantur: ergo per actionem ſuperadditam. Antecedens probatur in quãtitate, quæ eſt paſsio ſubſtantiæ corporeæ, & tamen non pendet per ſuam eſſentiã ab illa, quia miraculoſe ſaltem, conſeruatur ſeparata ab illa, vt patet in Sacramẽto Euchariſtiæ: ergo quid ſimile poteſt intelligi in alijs paſsionibus, quæ ſunt res, & non modi.

Dubitabis ſecundò, vtrum paſsiones dimanent ab eſſentia ordine quodam, ita, vt eſſentia cũ vna paſsione ſit cauſa alterius, & illa alterius, &c. Et idẽ eſt de potentijs animę.

In qua re duæ ſunt ſententiæ: prima eſt aſſerentium huiuſmodi potentias animæ ordine quodam, ab illa procedere, ita vt perfectiores ſint cauſa aliarum, quæ minus perfectæ ſunt, quorum fundamentum eſt, quia hæc eſt vera propoſitio: homo ideo eſt riſibilis, quia eſt admiratiuus, riſus enim ſupponit admirationẽ alicuius nouitatis: ergo riſibilitas habet ortum ex potentia admiratiua. Sic tenet D. Tho. 1. p. q. 77. ar. 7. & poteſt probabiliter defendi.

Alij vero aſſerunt, non minùs probabiliter omnes huiuſmodi potentias oriri immediate ab anima, quanuis quædã ſint perfectiores alijs, quẽadmodum enim calor ignis, quanuis ſit perfectior ſiccitate illius, tamen non oritur ſiccitas ab igne, medio calore, ſed vtraq; qualitas immediate oritur à forma, ſic etiam in potentijs animæ.

Et confirmatur, quia profectò non eſt ſufficiens fundamentum vt aſſeramus ſenſus omnes produci ab anima medio intellectu, ita quod immediate oriãtur ab intellectu perfectiori illis, hoc tamen videtur gratis, & ſine fundamento dictum.

Ad fundamentum autẽ contrariæ ſententiæ reſpondetur propoſitionem illã: Ideò homo eſt riſibilis, quia eſt admiratiuus, non ſignificare veram cauſalitatem cauſæ efficiẽtis, ſed ſicut actus admirationis dicitur cauſa actus ridẽdi, ex eo ſolum quòd ſit conditio quædam prærequiſita ad actũ ridendi, non tamẽ quia actus admirationis, qui eſt actus intellectus, phyſice influat in actum materialem ridẽdi, ita potentia admiratiua prærequiritur, vt conditio quædam ad potentiam riſiuam, non tamẽ vt vera cauſa efficiens illius. Addo tamen non repugnare, quod vna potentia ſit cauſa fina-

finalis alterius, qua ratione in homine ſenſus omnes ſunt propter intellectum, ſcilicet vt intellectus medijs phantaſmatibus poſsit intelligere.

Quæſt. IIII. Vtrùm potentiæ ſpecificẽtur per actus, & actus per obiecta.

COnueniũt omnes in hac quæſtione, potentias nõ ſpecificari per actus inadęquatos, poſsũt enim plures actus eſſe in eadem potẽtia, qua ratione voluntas habet varios actus, ſcilicet, amorem, & odium; & idem eſt de alijs potentijs. Solùm ergo eſt quæſtio, vtrùm potentiæ ſpecificentur per actus adæquatos, id eſt, per actum in communi illius potentię, vt potẽtia viſiua per viſionem, auditus per auditionem: & ſic de reliquis.

Secundò certum eſt, potentias, aut actus non diſtingui per obiecta materialia; poſſunt enim potentię, & & actus ſpecie diuerſi habere idem obiectũ materiale, qua ratione intellectus, & voluntas verſantur circa ens, veluti circa obiectum materiale; & idem eſt de actionibus taliũ potentiarum: loquimur ergo de obiecto formali actus, & potentiæ.

Tertiò conueniunt omnes, potentias non ſpecificari per actus, aut actus per obiecta intrinſecè; neque enim obiectũ eſt differentia eſſentialis conſtitutiua actus, ſed eſt aliquod illi extrinſecum: & idem eſt de actu reſpectu potentię, eſt enim entitas diuerſa à potentia. Solùm ergo quæritur, vtrùm potentiæ ſpecificentur per actus, & actus per obiecta extrinſecè, id eſt, tanquàm à cauſa formali extrinſeca.

In qua re pattem negatiuã tenet Scotus in 2.d.16. Philopo. & Paulus Venet. hìc text. 33. Caiet. Thienen. tex. 39. Dicunt enim, quòd licèt quoad nos dignoſci poſsint ſpecies potentiarum per ordinem ad actus, & ſpecies actus per ordinem ad tale, vel tale obiectum, tamen reipſa, neque potentiæ ſpecificãtur per actus, neque actus per obiecta. Et videtur poſſe probari hæc ſententia. Primò, quia ſi potentię ſpecificantur per actus, & actus per obiecta: ergo de primo ad vltimum potentię ſpecificantur per obiecta: ergo cũ etiam actus ſpecificentur per obiecta, ſequitur, potentias, & actus eſſe eiuſdem ſpeciei, quia habẽt idem ſpecifi-

catiuum: consequens autem est falsum, quia cùm potentia sit qualitas, & actus de prædicamento actionis, potiùs differunt genere.

Secundò, quia impossibile est, rem aliquam pendere in sua specie, à re nõ existente; sed quãdo potẽtia visiua nullum habet actum, retinet tamen suam specificam rationem, nõ minùs quàm anteà: ergo non sortitur suam speciem ab actu aliquo.

Tertiò, quia potentia visiua, verbi gratia, est potentia aliqua in specie infima, eius tamen obiectum, est vnum in genere, scilicet color in cõmuni: ergo potentiæ nõ possunt specificari per obiecta, aliàs, sicut obiectum est quid genericum, ita potentia, quæ ab illo specificatur.

Contraria tamen sententia cõmunis est & verisima, scilicet potentias specificari per actus adæquatos, & actus per obiecta. Quam sententiam docuit apertè S. Thom. 1.p.quæst.77. art.3. & quæst. de anima, art.13. quem communiter ferè omnes sequuntur. Et probatur ratione, quoniam potẽtiæ essentialiter dicunt ordinem secundum dici ad actus, & actus ad obiecta, & diuersæ potentiæ dicũt ordinem ad diuersos actus, & actus diuersi, ad diuersa obiecta: ergo potẽtiæ specificatur intrinsecè per ordinẽ ad act', extrinsecè verò per actus ipsos, tanquã per terminũ illius habitudinis essẽtialis. Probat maior, quia potẽtiæ nulla ratione possũt perfectè cognosci sine habitudine ad actũ, ad quẽ dicũt potẽtiæ; neq; actus sine habitudine ad obiecta, circa quę versantur: ergo talis habitudo est de essẽtia actus, & potẽtiæ; sed diuersę potentiæ dicũt habitudinẽ ad diuersos actus, & diuersi actus ad diuersa obiecta: ergo potentiæ essentialiter distinguũtur per actus, & actus per obiecta.

Sed statim oritur non parua difficultas, vndenam dignoscendum sit, quòd obiectũ sit adęquatum alicuius potẽtiæ, & quis sit eius actus adæquatus; posset enim aliquis facilè dicere, potentiam visiuam nõ esse vnam, sed plures, ita vt alia sit potentia correspondẽs albedini, vt obiecto adæquato, alia nigredini, & sic de reliquis. Respõdeẽ ad rẽ hãc, certè difficilè posse cognosci; tamen attendendus est diuersus modus operãdi potẽtiarũ, hac enim ratione distinguimus intellectum à voluntate, quia bonũ, quod est obiectũ vo-

voluntatis, attrahit illã ad se; intellectus verò potiùs attrahit ad se obiectũ per speciem eius, & ita aliquãdo ex diuerso modo operãdi colligimus, quasi à posteriori diuersitatẽ potentiarum.

Quo supposito illas à priori distinguimus per diuersa obiecta, attẽdẽda etiã est perfectio potentię: nã obiectum, quod respectu vnius potẽtiæ est adæquatũ, potest esse respectu alterius perfectioris inadęquatũ. Qua ratione color, qui est obiectũ adæquatũ visus, est inadęquatum respectu imaginationis, quia imaginatio tam potest versari circa colorem, quàm circa alia sensibilia: qua etiam ratione color albus, qui est obiectum adęquatum actus videndi album, est inadæquatus respectu potentiæ visiuę: quia cùm sub eadẽ potentia possint comprehendi plures, potentia ad plura obiecta se extẽdit, quã actus. Attendenda etiam est improportio, & disconuenięntia maxima, quæ versatur inter obiecta: nam quia colores, & sapores maximam habent differentiam, & diuersum modum immutãdi sensum, vt infrà dicam, colligimus requirere diuersos sensus, vt percipiãtur: quia tamẽ colores omnes videntur sub eodem lumine, veluti sub eadem ratione formali, colligimus ab eadem potentia percipi: & ita ex varijs, & diuersis circunstantijs pensanda est resista.

Ad 1. arg. contrariæ sententiæ respondetur, diuersimodè specificari actus, & potentias per obiecta, nã actus dicũt ordinem ad obiectũ, prout terminant habitudinem viæ, & tendentiæ: est enim actus, qui versatur circa obiectum, tendentia quædam ad illud, obiectum verò specificat potentiã, vt est terminus habitudinis principij actiui talis actus; potentia enim est principium elicitiuum actus, & ita ex diuersa ratione formali, qua obiectum terminat habitudinẽ actus, & potentiæ, distinguuntur diuersimodè actus, & potentiæ per obiecta.

Ad secundum, quòd obiectũ solũ tribuit speciẽ potentiæ extrinsecè, scilicet terminando habitudinẽ essentialẽ potentiæ ad illud, ad quod nõ requiritur vt existat, & ita nõ est causa formalis intrinseca specificationis potentiæ, sed extrinseca; & idem est dicendũ de actu respectu potentiæ. Verũ est, q̃ si esset impossibile obiectũ, esset impossibilis actus, & potẽtia circa illud, qua

I 2 ra-

ratione ſæpè docuit Ariſtot. quòd ſi eſſet impoſsibilis color, eſſet impoſsibilis viſus. Ratio eſt, quia ſi eſſet impoſſibilis color, eſſet impoſsibibile, videri colorem; ſed ſi eſt impoſsibilitas videndi colorem, eſt impoſsibilis potentia viſiua: ergo ſi eſſet impoſſibilis color, eſſet etiam impoſsibilis viſus.

Ad tertium, nullum eſſe inconueniens, quòd obiectum genericum tribuat ſpeciem alicui potentię ſpecificæ, quãuis tale obiectum non ſit aliquid ſpecificum in ſpecie infima. Ratio eſt inprimis, quia cauſa formalis benè poteſt tribuere effectum, quem in ſe formaliter non habet; albedo enim facit album, cùm tamen nõ ſit alba, & color ſpecificat viſionẽ in genere cauſæ formalis extrinſecè, cùm tamen color non ſit viſio: & ita nihil mirum, quòd obiectum genericum ſpecificet extrinſecè potentiam aliquã vnam in ſpecie infima.

Secundò, quia vt dixi, obiectum ſolùm ſpecificat potentiam terminatam ad habitudinem eſſentialem, quam dicit potentia ad aliud; & quia potentia viſiua, v. g. non dicit habitudinem, tanquã ad obiectum adæquatum ad hũc, vel illum colorem, ſed ad colorẽ in communi: ideò potentia poteſt ſumere ſpecificationẽ ab obiecto generico; relatio enim ſecundum dici, vt dicebam cap. de relat. non requirit neceſſariò exiſtentiam realem termini, qua ratione adhùc, corrupto ſubiecto quantitatis, haberet quantitas eſſentialem ordinem ad ſubiectum, cùm ſit de illius eſſentia: ita quanuis color in communi non datur à parte rei, poteſt terminare habitudinẽ ſecundum dici, quam dicit potentia ad illum; quia ſaltẽ datur à parte rei illa ratio coloris contracta in pluribus coloribus.

Quæſt. V. Vtrùm ſint tantùm quinque potentiæ animæ?

CErtum eſt in hac quæſtione, non omnes potentias animę eſſe vitales, quędam enim ſunt potentię, quæ oriuntur ab illa ſecundum gradum genericum communem cum alijs formis non viuentiũ, qua ratione grauitas hominis, quæ eſt quædam potentia, oritur ab eius anima, inquantum eſt forma corporis grauis, in quo conueniunt cum alijs formis non viuentium: tantùm ergo illæ potentię dicũtur vitales, quæ

quæ oriũtur ab anima, inquãtũ anima est, id est, vt est forma diuersa à formis non viuẽtium, & de his potentijs inquirimus, vtrũ sint quinq; vt docuit in hoc capite Arist.

Ratio dubitandi est, primò quia sicut inter potentias cognoscitiuas est diuersa potẽtia intellectiua à sensitiua, ita inter potentias appetitiuas, alia est appetitiua rationalis, qualis est voluntas, alia vero est appetitiua sensitiua, qualis est appetitus sensitiuus brutorum, debuit ergo Arist. distinguere duas potentias appetitiuas sicut intellectiuam distinxit à sensitiua.

Secundò, quia quælibet potentia appetit suum actum & obiectum, dicit enim quandã inclinationem ad actum, & ad obiectũ medio actu: ergo appetitiuum, non est potentia aliqua diuersa à reliquis, sed ratio generalis inclusa in omnibus.

Dicendum tamen est breuiter cum Aristot. hoc capite quinq; esse potentias animæ, scilicet vegetatiuum, sensitiuum, loco motiuum, appetitiuum, & intellectiuum. Et imprimis, quòd istæ potẽtiæ sint diuersę & distinctę, probatur: habent enim ordinem ad diuersos actus, & ad diuersa obiecta; ergo sunt potentiæ diuersæ, quòd vero non sint plures, patebit ex solutione argumentorum.

Ad primũ respondetur verum esse, quod sicut inter potentias cognoscitiuas, potentia intellectiua est diuersa à sensitiua, ita inter appetitiuas, voluntas est diuersa ab appetitu sensitiuo, non tamen illas connumerauit Arist. quia facile erat, illas distinguere, sicut ipse distinxit potentias cognoscitiuas, & ita nomine appetitiui, vtrumq; appetitũ, intellectualem scilicet, & sensitiuum amplexus est: appetitus autem naturalis, non pertinet ad hanc considerationẽ, iste enim nõ est potentia propria animę, cum reperiatur in inanimatis.

Ad secundum, hĩc non esse sermonẽ de appetitiuo, prout dicit illam generalem inclinationẽ, qua potentiæ appetunt suos actus, sed prout significat peculiarem potentiam animæ, qua anima appetit obiectum aliquod per actum elicitum, de quo appetitu plura dicam suo loco, sicut de alijs prædictis potentijs, solum ergo hoc loco aduertẽdum est, has potentias, non esse vnas in specie infima, sed in genere, nam potentia sensitiua habet

bet varias ſpecies, ſcilicet, viſum, auditum, &c.

Tandē hoc loco aduertendū eſt circa rationē illam, qua Ariſ. probat, omnia animalia habere ſenſum tactus, hac ratione: omnia animalia habent ſenſum: ergo habēt ſenſum tactus, quod quanuis non ſit bona ratione formę, quia eſt à ſuperiori ad inferius affirmatiue, tamen eſt bona ratione materiæ, quia nullum animal habet ſenſum aliquem, quod nō habeat tactum, & ita ratione materiæ, bene valet: omnia animalia habent ſenſum: ergo habent ſenſum tactus.

Caput Quartum.

AGgreditur iam Ariſt. diſputare de potētijs animæ in particulari, agit autē in hoc capite, de potētijs animæ vegetatiuæ. Caput autē quatuor cōtinet partes: in prima, proponit methodū obſeruandam in hac re: in ſecūda, docet qua ratione anima ſit cauſa ſuarum potentiarum: in tertia, reijcit ſententiam quandam Empedoclis: tandē in quarta agit de alimento, quia eſt obiectū circa quod verſatur potentia nutritiua, quæ eſt potentia animæ vegetatiuæ.

Ad primā ergo partem accedentes, dicit, in tractatione de potentijs animæ, prius eſſe agendum de actibus illarum, quā de ipſis potentijs, quia actus ſunt priores potentijs, & intelligendum eſt in genere cauſæ formalis, eo quòd potentiæ ſpecificātur per actus: nam in genere cauſæ efficientis, potentiæ ſunt priores actibus. Similiter, inquit, prius eſt agendum de obiectis, quā de actibus, quia obiecta ſunt priora actibus. Addit tamen, ſe priùs agere de potentijs animæ vegetatiuę, nam anima vegetatiua eſt vniuerſalior cæteris animabus, reperitur enim in pluribus, plantæ enim habent animam vegetatiuam, nō tamen ſenſitiuam, & rationalem.

In ſecūda parte agit iā de actibus potentiarū animæ vegetatiuæ, & inquit, animā vegetatiuā duplicē habere actū, ſcilicet vti alimento, & generare ſibi ſimile, quod inquit eſt naturaliſsimum opus viuentis, vt media generatione conſeruetur ſpecies in pluribus indiuiduis, dicit tamen huiuſmodi opus, non reperiri in omnibus viuentibus, ſed in illis, quæ habent tres conditiones. Prima quòd non ſint imperfecta, id eſt, quòd peruenerint ad ſtatum perfectū,

qua

qua ratione pueri, propter paruitatem corporis nõ possunt generare. Secunda, quòd non sint mutilata, vt eunuchi, vel frigida, aut alio quouis impedimento affecta, vt impotentes. Tertia, quòd non sint exputrefactione facta: hæc enim saltem non omnia generat, sed plura fiunt ex putrefactione solæ terræ, quales sunt plures vermes.

Sed quia dixerat finẽ generationis esse conseruationem speciei, dicit hũc finem triplicem, scilicet, cuius gratia, & hic est conseruatio, & perpetuitas speciei. nam gratia illius viuentia generant sibi simile, alius vero est finis cui, & hic est ipsum viuens, nam in eius vtilitatem cedit, alius vero est finis quo, scilicet quo consequitur finis cuius gratia, & hic est ipsa generatio, quia per illam conseruatur species.

In tertia parte, docet animã esse causam suarum potentiarum efficientem, inquantum illas producit; finalem, quia propter illam sunt potentiæ, & operationes, vt scilicet anima magis perficiatur, ac tandem in genere causæ materialis, dicit animam esse causam formalem respectu compositi, quia tribuit illi vitam, viuere autem viuentibus est esse.

In quarta recijcit sententiã Empedoclis asserentis plantas habere suum sursum in ramis, deorsum verò in radicibus, q̃ ex eo probat esse falsum: quia pars sursum est illa, per quã sumitur alimentũ, vt patet in alijs viuentibus, sumunt enim alimentũ per os, q̃ est sursum, sed plantæ summunt alimentum per radices: ergo respectu plantarũ radices sunt sursum, & folia deorsum: quãuis respectu vniuersi, folia habeant rationẽ sursum, & radices deorsum. Impugnat etiã Democritum asserẽtem, in mixtis viuentibus ignem esse causam augmẽtationis, quia ignis, inquit, nullũ habet terminũ magnitudinis, vĩ uentia verò illum petunt; vnde potiùs anima est causa totalis operationis vitalis.

Tandẽ in quinta parte capitis agit de alimento, quod est obiectum potentiæ nutritiuæ, ad quod tres cõditiones requirit, quòd sit contrarium alito, id est, diuersę rationis ab illo, eo quòd mutatur in alitũ, mutatio autẽ est à cõtrario. Secũda est quod sit ex illis contrarijs, quorum vnum auget alterum, non enim omne contrarium auget alterum, qua ra-

ratione ægritudo non auget, ſed potiùs minuit ſanitatem, tertia, quòd taliter augeat alitum, vt conuertatur in illud, non vero è contra.

Dubitat tamen, vtrum alimentum debeat eſſe ſimile alito. Ratio dubitãdi, inquit, eſt, quia eodem nutrimur, quo augemur; ſed vnum quodq; augetur per aduentum ſimilis, vt quantitas per quantitatem: ergo etiam alimentũ, quo nutrimur debet eſſe ſimile alito. Alij verò, inquit, aſſerunt alimentum debere eſſe diſsimile viuenti, quorum fundamẽtum eſt, quia alimentum trãſmutatur à viuenti, mutatio autem fit à contrario. Soluit autem dubitationem, dicens, alimentum in principio, & quando non eſt coctum, eſſe diſsimile viuenti, in fine tamen, debere eſſe ſimile: addit tamẽ, quòd alimentum, inquãtum ſubſtantia. nutrit, inquãtum vero eſt aliquid quãtum, auget. Secundùm vero quòd habet aliquid ſuperfluũ, pertinet ad potentiam generatiuã, nam ex reſiduo alimenti fit ſemen: tandem definit potentiam nutritiuam, dicens, eſſe vim quandam, & potentiam animæ ad conſeruandum viuens, inquantum viuens eſt.

Diſput. III. De potentijs animæ vegetatiuæ, & de earum actu.

MEritò quidẽ Ariſt. actu-rus de potentijs animæ in particulari, orditur à potẽtijs animę vegetatiuę, tũ, quia omnibus viuentibus ſunt cõmunes, & ita ab vniuerſalioribus doctrina inchoatur, tũ etiam, quia diſputatio hæc minorem continet difficultatẽ, quàm tractatio de alijs potentijs animæ, & ita etiam à facilioribus procedit. Suppono autem in hac diſputatione, tãquam certum apud omnes, dari in viuentibus potentiã nutritiuam, & generatiuam, experimur enim viuentia nutriri & generare ſibi ſimile: quare ſolùm ſupereſt diſputandum de natura, & quidditate harum potentiarum.

Quæſt. I. Quid ſit potentia nutritiua, & an diſtinguatur realiter ab augmentatiua.

DE hac re variè ſentiũt Philoſophi. Prima ſententia eſt, quam refert Tolet. hic quæſt. 10. aſſerentium potentiam nutritiuam nulla ratione diſtingui à calore naturali ipſius viuentis conuertente alimen-

mentum in ſubſtantiam aliti, exiſtimant enim huiuſmodi autores, calorem naturalẽ viuentis differre ſpecie à calore elementali ignis, verbi gratia, ac proinde, quòd quanuis calor ignis non ſit potentia vitalis nutritiua, id tamen habeat calor naturalis viuentis.

Meritò tamen hæc ſententia fere ab omnib⁹ reijcitur, quia calor productus à ſole, & ab igne, non differũt ſpecie, habet enim eoſdẽ prorſus effectus, ſicut enim calor ignis producit ignem, ita & calor ſolis trã ſiens per vitrum, vt dicebam primò de generatione: ergo ſimiliter, calor proueniens ab anima, & ab igne, non debẽt diſtingui ſpecie, atq; adeò ſicut calor elementalis non poteſt habere rationem potentiæ nutritiuæ vitalis, quia non eſt aliquod principium vitale, ita neque in viuentibus. Neque obſtat, quòd calor in viuentibus producat carnem, non tamen in igne, id enim habet ex diuerſo concurſu, quo iuuatur ab anima, ab illo, quo forma ignis cooperatur cum illo.

Secunda ſententia eſt aſſerentium, potentiam nutritiuam, non eſſe aliquid diuerſum à temperamento quatuor primarum qualitatũ, quo conſtat ipſum viuens. Quam ſententiam plures ex medicis ſequuntur, eamq; probant primò, quia ſi potentia nutritiua eſt qualitas diuerſa à temperamento primarum qualitatum, cum talis potentia ſit inſtrumentum animæ ad efficiendã nutritionem, ad quam actionẽ neceſſarius eſt concurſus caloris, ſequeretur, iã animam ad hãc actionem habere duplex inſtrumentum, ſcilicèt potentiam, & calorem naturalẽ, multiplicare autem tot inſtrumenta, videtur minus conſonum: nam non viuentia per vnicum dumtaxat principium cauſant actiones ſuas, qualiter graue per grauitatem mouetur, & ignis per calorem calefacit: ergo in viuentibus, quæ longe perfectiora ſunt, nõ ſunt multiplicanda tot inſtrumenta.

Secundò, quia operationes potentiæ nutritiuæ ſunt concoctio alimenti, & conuerſio ſubſtantialis illius in ſubſtantiam aliti, vtraq; autem actio, poteſt optime fieri à calore, abſq; alia qualitate, ſicut conuerſio ligni in ignem ſufficiẽter fit à calore abſque alia qualitate ſuperaddita: ergo fruſtrà ponitur potentiam nutritiuam eſſe qualitatẽ diuerſam à temperamento primarũ qualitatum, de quo temperamento, iam oſtendimus. 1. lib.

de generatione, non esse qualitatem aliquam, diuersam ab ipsis qualitatibns temperatis in gradu remisso.

In hac re supponendum est imprimis, ad nutritionẽ, nõ solũ concurrere calorẽ naturalem; sed etiã omnes quatuor primas qualitates. Quã sententiã docuit in primis Arist. 2. de gener. animal. c. 4: vbi dicit augmentum viuentium fieri à facultate animæ, vtendo calore, & frigiditate: ergo aperte sentit, non solùm calorem, sed etiam alias primas qualitates, cõcurrere ad nutritionem. Et ratio est efficax, quia alimentũ, debet disponi qualitatibus similibus, ac sunt in ipso viuẽti, vt in eo introducatur forma viuentis, sicut lignum debet disponi per calorem ignis, vt conuertatur in ignem: sed viuens, non solùm constat calore, sed temperamento omnium primarũ qualitatum: ergo omnes primæ qualitates concurrunt ad nutritionẽ: verum est, quòd sicut vita viuentium præcipue conseruatur calore, ita etiam nutritio, præcipue fit calore naturali illius.

Hoc supposito dico primò potentiam nutritiuam nõ esse tantũ caloré, ipsum naturalem. vt prima sententia asserebat, ratio est, quia etiã aliæ primæ qualitates concurrunt ad nutritionem: ergo solus calor nõ est principiũ sufficiens ad illam efficiendam, atq; adeo non est potentia nutritiua.

Dico secũdò potentiã nutritiuã, non esse temperamentũ primarũ qualitatum, sed aliam qualitatem diuersam, vtẽtem calore, & alijs primis qualitatibus, ad efficiendam nutritionem. Et in primis mihi videtur sententia expressa Arist. 2. de generatione animalium capit. 4. vbi dicit, potentiã nutritiuam efficere incrementum, vtendo caliditate, & frigiditate: ergo est qualitas aliqua vtens primis qualitatibus, atq; adeò ab illis diuersa: est etiam sentẽtia expressa S. Tho. 1. p. q. 18. ar. 2. & q. 118. ar. 1. tenet etiã Albertus. 2. de anima tractatu. 2. c. 6. Tolet. hoc lib. q. 10. Et ratione probatur, quia potentia nutritiua est potẽtia vitalis, propria animę vegetatiuæ: sed temperamentum primarum qualitatum, etiam reperitur in mixtis inanimatis: ergo potẽtia nutritiua: debet esse alia qualitas vitalis diuersa à temperaméto primarũ qualitatum.

Et si respondeas, huiusmodi temperamentũ nõ reperiri in nõ viuentibus in ea propor-

tio-

tione, qua reperitur in viuẽtibus, & ita illud tẽperamentum taliter dispositũ, esse propriũ viuentiũ. Contrà est, ná quòd tale temperamẽtum sit magis aut minus intensum, non variat speciem: sed anima vegetatiua differt specie à formis non viuentiũ: ergo debet habere potentias sibi proprias, diuersas ab illis: potentiæ autem eius sunt nutritiua, & generatiua: ergo huiusmodi potentiæ, non possunt consistere in temperamẽto primarum qualitatum.

Secundò, quia potentiæ animæ sensitiuæ, v. g. potentia visiua, in opinione omnium est qualitas diuersa à temperamẽto primarum qualitatum: ergo similiter potentiæ animæ vegetatiuæ.

Tertiò, quia etiã, actus potẽtiæ nutritiuę sunt attractio alimenti, & retentio illius, huiusmodi autem actus, nõ possunt fieri à temperamento primarũ qualitatũ, sicut in opinione omniũ, virtus illa, qua magnes attrahit ferrũ, est qualitas occulta, distincta à primis qualitatibus, quantumuis temperatis, quia non est veri simile calorem, & frigiditatem, esse causam motus, localis, quo attrahitur ferrum: ergo potentia nutritiua est qualitas aliqua, diuersa à tali temperamento habens varios illos inadæquatos effectus.

Dico tertiò, non omnes potentias nutritiuas esse eiusdem speciei, sed in viuentibus specię diuersis, esse potentias nutritiuas specie diuersas. Quæ sententia communis est & probatur facile: quia potiæ distinguuntur per actus, sed nutritiones viuentium diuersæ speciei, sunt specie diuersæ, vt vidimus primo lib. de generatione capit. 9. terminantur enim ad substãtias specie diuersas: ergo & potentiæ nutritiuæ talium viuentium, sunt specie diuersæ, per quod patet esse diuersam rationem de potentijs visiuis, verbi gratia, & nutritiuis: nam, quamtunuis equus & leo differant specie, potentiæ tamen visiuæ illorum, non differunt specie, quia vterque visus habet idem obiectum, & eundem actum specie, secus verò potẽtiæ nutritiuæ illorum.

Dico quartò, non esse ponendam in anima potentiam diminutiuam, sicut ponitur potentia nutritiua. Ratio est, quia anima saltem per se loquendo, nõ ordinatur ad corrumpendas partes ipsius viuẽtis, natura enim, non intendit

corruptionem: ergo non debuit tribuere potentiam viuentibus per se ordinatam ad talem actum, atq; adeò non est ponenda in viuentibus potentia per se diminutiua.

Ad argumẽta cõtrariæ sententiæ respondetur, ad primũ nullum esse inconueniens, vt dentur plura instrumẽta subordinata, ad causandum aliquem effectum, quemadmodum anima elicit actum visionis, mediante potentia visiua, & specie visibili: nam quòd species visibilis non sit instrumentum coniunctum ipsi animæ, id est, ab illa proueniens, sed ab obiecto extrinseco, parùm refert: nam reuera eodem modo requireret anima speciẽ ad actum visionis, etiamsi species ab illa oriretur.

De potentijs autem non viuentium est dispar ratio, nam operationes illorum sufficienter possunt causari ab vna qualitate, non tamẽ omnes actus potentiæ nutritiuæ, vt probatum est. Et hinc etiam patet solutio ad secundum, respondetur enim non omnes actus potentiæ nutritiuæ posse fieri à primis qualitatibus, quia attractio, & retentio alimẽti, non potest à solis qualitatibus primis causari: imò neque conuersio alimẽti in substantiam aliti potest fieri à solo calore naturali, absq; aliqua alia qualitate, quia talis cõuersio est propria animę vegetatiuæ, & ita à potentia, quæ sit illi propria, debet oriri, qualis non est calor, cum etiam reperiatur in non viuentibus.

Circa secundum, quod inquirit quęstio, scilicèt verũ potentia augmentatiua, & nutritiua sint diuersæ, est plurium sententia satis in scholis nostris recepta, hùiusmodi potẽtias esse realiter distinctas; & ita dicunt, tres esse potentias animæ vegetatiuę, scilicèt, nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam. Estq; communis apud Thomistas. Tenet Ferrara hoc loco. q. 7. Bañez. 1. de gene. 1. 5. & 1. par. q. 78. ar. 2. tenet etiam Galenus lib. de naturalibus facultatib. c. 7. Albertus ttt. 2. c. 6. & alij plures. Et videtur esse sententia S. Thom. 1. p. q. 78. ar. 2. vbi distinguit tres potentias animæ vegetatiuę, scilicèt generatiuam, augmentatiuam, & nutritiuam: ergo sicut distinguit generatiuam à nutritiua realiter in opinione omnium, ita nutritiuam ab augmentatiua: loquitur enim eodem tenore verborũ, & in fine corporis, docet potentiam nutritiuam esse instrumentum augmentatiuæ,

tiuæ, per quòd ſatis indicare videtur, eſſe potentias realiter diuerſas. Et ratio eſt quia nutritio, & augmentatio, ſunt actus realiter diuerſi, vt ſuo loco diximus. ergo ſicut ad nutritionem datur potentia nutritiua, ita debet dari ad augmentationem alia potentia diuerſa, nempe augmentatiua.

Dicendum tamen eſt, potentiam augmentatiuam, non eſſe realiter diuerſam à nutritiua, vt optime vidit hic Tolet. q. 10. & Vall. lib. 1. cõtrouer. c. 20. & Philopo. hoc lib. text. 47. Et in primis Ariſt. in hoc capite; non nihil videtur fauere huic ſententiæ; vbi tãtum enumerat duas potentias animæ vegetatiuæ, ſcilicet, nutritiuam, & augmentatiuam. Neq; eſt cur dicamus ſub nutritiua, vtramque nutritiuam, ſcilicet & augmentatiuam, cõprehendiſſe, cum reuera non ſit ſufficiens fundamentũ ad diſtinguẽdas huiuſmodi potentias, vt iam dicam.

Ratione ergo probatur à ſimili, quia quamuis ſit diuerſa actio illa, qua producũtur paſſiones, ab ea, qua generatur eſſentia, nullus tamẽ ponit duas potentias generatiuas, alterã terminatam ad eſſentiam, alteram verò ad paſsiones, ſed in omnium opinione ad eãdem potentiam pertinet vtraque actio, quia ſunt actus habentes neceſſariam cõnexionem, ita vt vnus per ſe ſequatur ex alio, ſed ſimiliter augmentatio (quidquid illa ſit, de quo ſuo loco diximus) neceſſario eſt cõnexa nutritioni, & ex illa ſequitur, ad modũ, quo ſequitur productio paſsionum ex productione eſſentiæ: ergo vtraq; actio poteſt in eandem potentiam reduci, atque adeo ſine ſufficienti fundamẽto diſtingui ſolent huiuſmodi potentiæ, quod argumentũ nunquam video plane ſolutum. Id enim quòd plures dicunt, eſſe diuerſam rationem, nam in generatione intenditur ſubſtantia per ſe, paſsiones verò per accidens, tamen quando viuens fit maius, per ſe intenditur maior quantitas, non ſatisfacit: nam vtrobique paſſiones & quantitas intenduntur, ratione ſubſtantiæ, ſcilicet, vt ſubſtantia illis magis in ſuo eſſe perficiatur, imo multò magis paſsiones ſunt neceſſariæ, quàm maior quantitas, quare ergo paſsiones intenduntur per accidens, cum quis generatur, & quando fit maior, per ſe intẽditur maior quantitas.

Sed dicet aliquis, ex connexione actuũ, non probari ſufficien-

ficiente, illos pertinere ad eãdem potentiã, aliàs cum actus voluntatis ſubordinetur ad actum intellectus, & cum illo habeat connexionem, liceret colligere voluntatẽ, & intellectũ, non eſſe potẽtias realiter diuerſas. Reſpondetur non quamlibet ſubordinationem actuũ, eſſe ſatis, vt tales actus ad vnam, & eãdem potentiam reducantur, niſi quando habent eundem modum tendendi ad obiectum, voluntas vero, & intellectus habent modum maximè diuerſum tendi in ſua obiecta: intellectus enim vt communiter dici ſolet attrahit obiectum ad ſe per ſpeciem illius, voluntas fertur ad obiectum, & ſic ex modo operãdi nimis diuerſo colligitur diſtinctio intellectus à voluntate: potentia verò nutritiua, & augmẽtatiua operatur vniendo ſibi alimentum, nutritiua quidem vnit ſibi materiam alimẽti, vt ſuo loco dixi, augmẽtatio vero, vnit quãtitatem illius, quorum vnum neceſſario eſt connexum cum altero.

Et ſi inquiras, an ſaltem debeat concedi huiuſmodi potentias eſſe formaliter, & ſpecie diuerſas. Reſpondetur negatiue nam ſi id concedamus, nulla eſt ratio quare nõ diſtinguantur realiter, cum eorum actus ſint realiter diuerſi, imò & obiecta, nempe alimẽtum, in quantum ſubſtantia, & ſecundum quãtitatem eius, qua ratione pertinet ad potẽtiam augmentatiuam: imò ad diſtinctionem realem potentiarum non requiritur diſtinctio realis obiecti, tam enim intellectus, quàm voluntas reſpiciunt ens in communi, licèt ſubdiuerſa ratione formali veri, vel boni: ſatis enim eſt quod habeant actus adæquatos realiter diuerſos.

Ad fundamentum vero cõtrariæ ſententiæ reſpondetur facile, quidquid ſit de mente D. Thomæ, de qua nõ deſunt qui dubitent, non quamlibet diſtinctionem actiuam, ſufficere, vt potentiæ ſint diuerſæ vt exdlicatum eſt.

Sed obijcies, nã animal quãdiù viuit ſemper nutritur, nõ tamen poteſt ſemper augeri, vt vidimus. 1. lib. de generatione. c. 5. ergo potentia nutritiua diuerſa eſt ab augmentatiua. Reſpondetur quòd vt loco citato vidimus, ſemper q animal nutritur etiam ſibi vnit aliquam quantitatem, ſed quia aliquando plus perdit, abſolute non dicitur augeri, cum hoc tamen reſpectu illius partis, cui illa quanti-

titas additur, illa actio augmẽtatio est, quia terminatur ad vniendam aliquã quãtitatem.

Quæst. II. Quid sit potentia generatiua, & an distinguatur à nutritiua.

SVppono in primis nomine potentię generatiuæ hac in quæstione, duo posse intelligi. Primò virtutẽ illã, quæ est in semine ad producendã substantiam viuentẽ, & certũ est, huiusmodi virtutẽ, nõ esse potentiam animæ, quia ex cepta medicorũ sententia, semẽ nõ est actu aliquid animatũ, sed solùm in potentia continet vitã: ergo potentia illa, seu virtus seminis ad producendum viuens, non est actu potentia aliqua vitalis, quæ oriatur ab anima, solũ ergo potẽtia generatiua est potentia vitalis animę, si sumatur pro potẽtia formatiua seminis, & dectiua illius, qui sunt actus vitales.

Suppono secũdò potentiã istam generatiuã, debere esse qualitatem, quãdam diuersam à tẽperamento primarũ qualitatum: quod eisdem rationibus cõuincitur, quibus superiori quęstione ostẽdimus potentiã nutritiuã, esse qualitatẽ aliquam distinctam à temperamẽto primarum qualitatũ, est enim potẽtia vitalis animę, vt de nequit cõsistere in solo tẽperamento primarũ qualitatũ, qđ est cõmune etiã mixtis inanimatis. Tum etiã, quia actus huius potentię, non solũ est producere semẽ, sed illud decidere, vt inde generetur viuẽs, incredibile autẽ est, solas primas qualitates, posse talem actum causare. Sic docuit Valle. li. 2. contro. medi. c. 19.

Solũ ergo est dubiũ, an hæc potẽtia generatiua, sit distincta à nutritiua. Valles. enim loco citato, & alij existimãt, potentias istas, non esse diuersas. Et videtur posse probari. 1. ex Aris. huc. c. dicente potentiã generatiuam versari circa alimentum, sicut potentia nutritiua: ergo habent idẽ obiectũ, atq; adeò non sunt diuersæ.

Secundò, quia potẽtia generatiua hominis, v. g. ordinatur ad producendam substantiam hominis, virtus autem nutritiua ordinatur ad producendam substantiam partialẽ hominis, sed totus homo, & pars hominis, non differunt specie: ergo neq; potentia generatiua, & nutritiua.

Tertiò, quia in non viuentibus, vt in igne, eadẽ est potentia, qua producit sibi simile, & qua se nutrit, vtrũq; enim prouenit ab eodem calore ignis: ergo

ergo similiter in viuentibus, eadem debet esse potentia generatiua, & nutritiua.

Quartò, quia sæpe contingit partem aliquam organicã viuentis, semel abscissam, iterũ regenerari, quòd præcipue contingit in animalibus imperfectis, & in plantis: experimur enim ramũ semel abscissum, iterum reproduci, mediante virtute, qua talis arbor nutritur: ergo eadem est potẽtia generatiua, & nutritiua.

dicendum tamẽ est: primò potentiam generatiuã, & nutritiuam, realiter, & essentialiter esse diuersas, quorũ vtrũq; probandum est ex diuersis actibus harum potentiarum: actus enim potẽtiæ nutritiuæ, vere terminatur ab substantiã viuentem, introducit enim in materiã alimenti formam viuentis, actus autem potentiæ generatiuæ, non est, vt vidimus producere substantiã viuentem, sed producere semẽ, & ideò generatiua vocatur, quia ex semine ab ipsa producto causatur generatio, qua etiã ratione generatio tribuitur viuenti: neq; enim vnus homo immediate, & physicè generat alium hominem, cum contingat fœtũ animari mortuo patre: sed ex eo solum illi tribuitur generatio, quia præbuit semen, ex quo fœtus generatur, & ita semen illud in virtute generantis concurrit ad generationem: ergo huiusmodi potentiæ realiter, & essentialiter sunt diuersæ.

Secundò, quia omnia viuẽtia habent potentiam nutritiuam: plura tamen illorũ sunt incapacia ad habendam potentiam generatiuam, non solùm ex impedimento aliquo, sed etiam ex sua natura specifica, plura enim sunt animalia imperfecta, vt sunt plures vermiculi, qui nullatenùs possunt naturaliter fieri per generationem medio semine, sed fiunt ex sola putrefactione terræ: ergo indicium est, potentias illas requirere organa diuersis temperamentis affecta, & ita esse prorsus diuersas.

Dico secundò non omnes potentias generatiuas esse eiusdem speciei, quin potiùs in viuentibus specie diuersis sunt potentiæ generatiuæ diuersæ rationis. Probatur facile, quia actus potentiæ generatiuæ est formare semen, sed non omnia viuentia habent semen eiusdem rationis specificæ, ordinantur enim ad producendas substantias maximè diuersæ rationis: ergo nõ omnes potentiæ generatiuę sunt eiusdem speciei.

Ad

Ad fundamenta contrariæ ntentiæ respõdetur. Ad pri um potentiam generatiuam nutritiuã, diuersimode veri circa alimentum, vt etiam olligitur ex Arist. hoc capie; nutritiua enim versatur cir a illud, conuertendo illud in ubstantiam viuentem, generatiua conuertit residuum alinenti in semen, non tamen conuertit illud in substantiam viuentem, quia semen non viuit.

Ad secũdum iam patet ex dictis, potentiam generatiuã, non ordinari ad producẽdam substantiam viuentis, sed ad formandum semen. Eteodẽ modo respondetur ad tertiũ esse maximã diuersam rationẽ de non viuentibus, ac de viuẽtibus, quia pars ignis, verbi gratia, producta per potentiã nutritiuam ignis, non differt specie à toto igne, qui fit per potẽtiam generatiuam illius, & ita tales potentiæ non distinguũtur specie; in viuentibus, at vero in non viuentibus semen productum per potentiam generatiuam, est diuersæ speciei à substãtia viuẽti, quæ per nutritionem producitur, & ita postulant potentias diuersæ speciei.

Ad quartũ, actum illũ, quo ramus abscissus iterum germinat, esse actum potentiæ nutritiuæ, non generatiuæ, quia nõ est productio seminis, sed substantiæ partialis viuentis.

Quæst. III. Vbi resideant potentia generatiua & nutritiua.

QVæstio hæc quantũ attinet ad organum potẽtiæ nutritiuæ, facilem habet solutionem: nam & si apud Medicos dubiũ sit vbi resideat virtus formatiua sanguinis: quibusdam asserentibus illam residere in corde, alijs vero in venis, alijs tandem in iecore, q̃ longe probabilius est. Tamen communis fere omnium sententia est, potentiam nutritiuam, dispersam esse per omnes partes viuentis, quæ informantur anima, quę autem sint istæ, supra vidimus. Et ratio est facilis, quia omnes partes viuentis. & si non omnes sentiant, vt patet de ossibus, omnes tamen nutriuntur, & augentur: ergo habent potentiã nutritiuam.

Posset hoc loco dubitari vtrũ potentia nutritiua aliquãdo cesset à sua operatione, de quo diximus disputatione prĩma huius libri, nũquam cessare, quia vel agit in alimentum alterãdo illud, vel si alimentũ

deſit per calorem naturalem, quo vtitur, vt inſtrumento, agit in partes ipſius viuentis, conſumendo humidum radicale.

Maiorém habet difficultatem, quod ſit organum potentiæ generatiuæ, Hipocr. enim lib. de locis, exiſtimat ſemen decidi à quauis parte viuentis, & ita in quauis parte eſſe virtutem formatiuã ſeminis: tenet etiam Albertus tract. 2. c. 7. & olim placuit Ariſtot. 1. lib. de generatione animaliũ c. 17. & 18. cuius ſentẽtiæ fundamẽtum eſt, quia experimur homines ex nimia effuſione ſeminis in omnibus membris debilitari. ergo ideo eſt, quia tale ſemen ab omnibus partibus eſt deciſum. Præterea, experimur in effuſione ſeminis, totum corpus debilitari: ergo ſignum eſt tale ſemen decidere à toto corpore.

Melius tamen Valleſ. lib. 2. controuerſi. Medi. cap. 5. docet, talem virtutem formatiuam ſeminis, reſidere nõ quidẽ in teſticulis, vt alij aſſerũt, ſed in quadam vena & arteria, quæ recta via tendit ad vaſa ſeminis: nam per anatomen expertũ eſt, in illa arteria ſanguinem albeſcere ad modum ſeminis: ergo ibi formatur ſemen. Verum eſt calorem teſticulorum requiri, vt foueat calorem naturalẽ illius arteriæ, tamen reuera ſemen in illa arteria formatur.

Secundò contra Hypocra. eſt efficax argumẽtum: nam ſi ſemen à quouis membro decidítur, ita vt ſemen deciſum à capite habeat virtutem ad generandum caput, & ſic de alijs membris, ſequeretur, hominem mutilatum brachio, debere generare filium mutilatum tali brachio, quia non haberet ſemen deciſum à brachio: imò ſequeretur debere ſemper generari hominẽ Hermaphroditum. Patet, quia etiam fœmina præbet ſuum ſemen; vnde etiam deberet generari in tali homine ſexus fœmineus, & ita ſemper euaderet Hermaphroditus.

Nec fundamentũ Hypocratis aliquid probat: nam in primis, quòd omnia mẽbra hominis ex nimio coitu debilitentur, nõ eſt, quia à qualibet parte decidat ſemen, ſed quia ſemen formatur ex ſanguine, & ita neceſſarium eſt cõtinuò attrahi ſanguinẽ ad illã partẽ, & ita aliæ partes ex defectu alimẽti debilitantur. Quod autẽ totũ corp⁹ accipiat delectationẽ ex effuſione ſeminis, poteſt cõtingere ex ſympathia partiũ, ſicut etiã dolor vnius partis

tis,alias quodã modo cõmouere solet,vel certe ꝙueriùs est, tãtũ sentitur delectatio per illas vias, quib⁹ semẽ effũditur.

Posset tamẽ hoc loco dubitari. Vtrũ etiã fœmina cõcurrat actiue ad generationẽ prolis vel tantũ passiue recipiẽdo semẽ virile. In qua re dicendum est cum cõmuni plurium medicorum sentẽtia fœminam etiam concurrere actiue ad generationẽ prolis, quia reuera, emittit suũ semẽ, & ita debet habere virtutẽ actiuam illius, neq; ex hoc sequitur, fœminã se sola posse generare fœtum, requiritur enim commixtio vtriusq; seminis, quia semen fœmineum non adeò perfectum est.

Est tamen aduertendum, Christum Dominum in vtero virginis, non fuisse formatum ex semine,sed expurissimo sanguine virginis, virtute spiritus sancti, vt latiùs tradunt Theologi: fuit enim illa conceptio supernaturalis.

Quæst. IIII. Vtrùm generare sibi simile sit opus naturalissimum viuentis.

CErtum est in hac re, non omnia animalia generare omnino sibi simile in specie infima,patet enim equã generare mulum, generat tamen sibi simile, quodammodo,secũdum rationẽ genericã, de hac ergo generatione sibi similĩ dixit Aristot. esse naturalissimum viuentis opus,id est,magis naturale quàm sint alia opera: in qua re explicanda aliqua est dissensio inter autores. Quidã enim asserũt: ideo generationem appellari opus naturalissimum viuentis, magis quàm aliæ operationes vitales, quia generatio ordinatur ad bonũ cõmune speciei, & ad conseruationẽ speciei in pluribus indiuiduis: alia vero opera, vt nutritio, solũ ordinãtur in bonum particulare ipsius viuentis.

Sed non placet, quia quemadmodum cõseruatur species per productionẽ alterius indiuidui, ita per conseruationem indiuidui iam geniti, quod fit per nutritionem,& aliàs præter bonum cõmune extat in nutritione bonũ propriũ ipsius:ergo magis inclinat viuẽs in propriam nutritionẽ, quã in generationem alterius.

Quare,vt alias omittam expositiones, quas in re tã leui, nõ opus est ita in longum recensere, dicendũ est cum S. Tho.hoc lib.tex. 34.ideo generationẽ appellari ab Ari.naturalissimum opus viuentis,

poti' quã nutritio, aut quoduis aliud opus vitale, quia generare ſibi ſimile, etiam conuenit alijs rebus inanimatis, & ita appellatur maxime naturale.

Et ſi dicas: etiam in non viuentibus reperiri ſuo modo nutritionem. Reſpõdetur ſolum reperiri nutritionẽ in nõ viuentibus improprie, vt vidimus. 1. lib. de generat. c. 5. at verò generatio etiam conuenit illis, quæ vere, & propriè producunt ſibi ſimile, vt ignis alium ignem.

Eſt tamen hoc loco aduertendum, quædam eſſe animalia, quæ ob ſuam perfectionẽ non poſſunt fieri, niſi per generationem, medio ſemine factam, vt homo, & equus: alia verò ſunt, quę ob nimiam ſuã imperfectionem, ſemper fiũt ex materia putrida per putrefactionem, quales ſunt plures vermiculi: alia vero ſunt media, ſcilicet, quæ tam poſſunt fieri per veram generationem ex ſemine factam, quàm etiam per putrefactionem, quales ſunt mures, & de his viuentibus, ſolet hoc loco dubitari. Vtrum ea, quæ fiunt per putrefactionem differant eſſentialiter, & ſpecificè, ab his, quę fiunt per generationẽ. Et certum eſt, illa, quæ ſemper fiunt per generationẽ, vt eſt equus, differre ſpecie ab his, quę fiũt per putrefactionem.

Solùm ergo quæſtio eſt an animalia, quæ interdum fiunt per generationem, interdũ verò per putrefactionem ſint diuerſæ ſpeciei. Et dicẽdum eſt breuiter, & facilè, huiuſmodi animalia non differre ſpecie: nam in primis quòd fiant à diuerſis à gentibus, vt à viuenti, vel à cauſa vniuerſali, non variat ſpeciem, vt patet in ſimili de calore producto ab igne, & à ſole, qui non differunt ſpecie, neque etiam diuerſus modus, quo fiunt, eſt ſufficiens, vt diſtinguãtur ſpecie, homo enim factus per creationẽ, nõ differt ſpecie ab homine facto per generationem. Cũ ergo aliàs experiamur in vtriſq; animalibus eadem prorſus accidentia, vt eandem figuram, & eaſdem operationes, nõ eſt ſufficiens fundamentũ ad aſſerendũ talia animalia diſtingui ſpecie. Sic docuit aperte Ariſt. 7. Meta. cap. 7. vbi dicit, aliquando ſimilia animalia fieri ex ſemine, & ſine illo, eſtque communis ſententia, & facilis, in qua non opus eſt amplius detineri, vt ad ea quæ alicuius ſunt momenti perueniamus.

Ca-

Caput Quintum.

POstquàm Arist. egit de potentijs animæ vegetatiuæ, incipit iam disputare de potẽtijs animæ sensitiuæ, & in hoc capite agit de sensu in cõmuni. Duo agit primò explicat, qua ratione sensus sit potẽtia passiua. In secũda parte explicat, à quo reducatur ad actũ.

Ad primam partem accedẽtes, docet Aristot. *Sentire ẽsse quoddam pati*: quæ verba iuxta diuersas sententias, diuersimode de explicanda sunt: nam qui asserunt, rationem formalem intellectionis, aut sensationis, de qua est eadem ratio, nõ consistere in actione, sed in ipsa receptione speciei expressæ, explicant verba ista, vt sonant, nempe quòd sentire, sicut & intelligere, sit formaliter pati, id est, recipere speciẽ expressam, & ita est passio perfectiua, nõ corruptiua. Qui tamen asserunt, rationem formalem inteilectionis, & sensationis consistere in actione productiua speciei expressæ, vt dicemus nos primo lib. de interpretatione cap. 1. explicant verba ista, in sensu causali, quasi dicat Arist. sentire antecedenter, & causaliter esse pati, quia debet prẽcedere receptio speciei impressæ, ad producendam speciẽ expressam per actum sensationis, & ita sensus diuersimode est potentia passiua, & actiua: nam inquãtum recipit ab obiecto speciem impressam, est potentia passiua, inquantum verò producit per actum sensationis speciem expressam, est potentia actiua.

Proponit tamen Arist. duas dubitationes; prima est: quare sensus, non sentiat se ipsum. Secunda quæ sit ratio, quare cum in sensu tactus sint elementa (intellige virtualiter, & per suas qualitates) non percipiat sensus tactus suas qualitates, sed tantùm alias extrinsecas.

Primam dubitationẽ simul cum secunda soluit ex dictis. Quia cum sensus sit potentia passiua, opus est ab alio reducatur in actum, vbi Arist. non intendit negare, nõ posse idẽ agere in se ipsum actione perfectiua; sed intelligẽdum est, sensum id habere peculiare, quòd debet ab alio reduci ad actum, nam indiget specie sensibili, quæ cum producatur ab obiecto sensibili, non potest se ipsum reducere ad actum.

Secũdò id probat, quia si sensus non indigeret reduci ad actũ ab alio, se ipsum sentiret, & ita, inquit, est potentia passiua,

siua, quemadmodum si lignũ haberet potẽtiam actiuam ad comburendum, se ipsum com bureret.

Contra quam rationẽ obijci solet: nã ignis habet potentiam combustiuã, & nõ se ipsum cõburit: ergo ex eo quòd lignum haberet potentiam cõ bustiuam, minùs bene infert Arist. quòd se ipsum cõbureret. Respõdetur tamen Arist. supponere hac in parte sensationem esse actionem immanentem, & ita inquit, si lignũ haberet potentiam combustiuam, ad modum, quo sensus illam haberet, si esset potentia actiua, scilicet per actionẽ immanentem, sequeretur quòd se ipsum combureret, sicut quòd sensus se ipsum sentiret, ignis autem solùm est cõbustiuus actione transeunti, non immanenti.

Aduertit tamen Arist. quod sentiens, sicut intelligens, stat dupliciter, scilicet in actu, vt quando actu sentit, & in potẽtia, scilicet. quòd potest sentire: & hoc duplex est, aliud in potentia remota, scilicet, ꝙ habet animam, quę est principium radicale sentiendi, & intelligendi: aliud verò in potẽtia proxima, quod præter animam habet omnia requisita, vt possit exercere actum sentiendi, aut intelligendi.

In secunda parte capitis, vt explicet, à quo reducatur sensus ad actum, dicit, quòd sensitiuum, potest sumi dupliciter. Primò nimis remote, qua ratione, id quod disponitur ad recipiendam animam sensitiuam, dici potest remote sensitiuum, quia est in potentia, vt recipiat animam, quæ est principium sentiendi, & hoc sensitiuum, docet, reduci ad actum à generante, quia generans introducit in materia dispositam animã, quæ est principium sentiendi. Alio verò modo dicitur sensitiuum, pro eo, quod habet iam potentiam proximam ad sentiendum, & ita dicit sensum reduci ad actum sentiendi ab obiecto: nam vt postea dicam, obiectum imprimit in sensu speciem sensibilem, à qua determinatur ad eliciendam sensationem, circa illud obiectum.

Aduertit tamen Aristoteles esse differentiam inter obiectum sensus, & obiectum intellectus, eo quod obiectũ sensus, est aliquid singulare extra animam existens: obiectum verò intellectus est vniuersale, quod est intra animã, & hinc est, inquit, Aristoteles, quòd intelligimus, cum volumus

ius, quia intellect' habet in-
:a se suum obiectum, non ta-
ien sentimus, cum volumus,
uia, quanuis etiam sensus ha
:at obiectũ intra se mediã-
e specie, sicut intellectus, ha-
:et enim speciem illius, ta-
nen sensus requirit præsen-
:am obiectii: color enim non
:otest videri nisi præsens, in-
ellectus verò nõ requirit pre
entiam realem sui obiecti: po
est enim cognoscere rem ab-
entem, & ita, inquit, assimila
:ur sensus scientijs sensibi-
ium, id est, artibus Mecha-
nicis, vt interpretatur Phi-
oponus & Themistius, istæ
:nim non operantur, nisi cir-
:a obiectum præsens, quia ver
antur circa singularia præsen
ia. Et hæc de litera.

Disput. IIII. De speciebus sensibilibus.

CVm Aristot. in hoc capite
duo præcipue intẽdat, sci
icet, sensum esse potentiã pas
iuam, & reduci ad actum ab
obiecto ipso, quorũ vtrumq;,
:t ex dicendis patebit, fit me-
diante specie sensibili, meritò
uper hoc caput disputari so-
et, de speciebus sensibilibus,
iam quod attinet ad ipsam na
uram potentiæ sensitiuæ, vi-
dimus iam disputatione præce
denti, qualiter sit qualitas ali-
qua diuersa à temperamento
primarum qualitatũ, sicut di-
ximus de potentia nutriua, &
generatiua.

Quæst. I. An sint ponẽdæ species sensibiles.

IN hac re nõ desunt, qui exi-
:timent, non esse ponendas
tales species sensibiles, vt sen
sus percipiãt sua obiecta. Quã
sententiã Plotinus A Enead. 4.
& Porphyrius, lib. de sensu tri
buit Platoni: eandemq; sequi-
tur Ochã in. 2. d. 17. & 18. Ga-
bri. d. 3. q. 2. Durãdus vero, li
cèt ponat huiusmodi species
sensibiles, vt videre est in. 2.
d. 3. nu. 11. dicit tamẽ, nõ esse
necessarias ad sensationes in
omni sensu. Cuius fundamen
tũ est primò quia in intelle-
ctu, nõ semper sunt necessariæ
species intelligibiles ad cog-
noscendũ obiectũ: ergo neq;
in sensu, Antecedẽs probatur,
quia ex cõmuni Theologorũ
sententia, Angeli cognoscunt
suam essentiam, absq; specie
aliqua illis superaddita: ergo
simili modo possunt sensus
cognoscere sua obiecta.

Secundò, quia si species po-
nũtur maximè, vt sint mediũ
ad cognoscendũ obiectũ tã-

quam

quàm in quadam imagine repreſentatiua obiecti, ex hoc autem ſequeretur, priùs debere cognoſci ſpeciem ipſam, ſicut ad cognoſcẽdum Cæſarem per imaginem, priùs debet cognoſci ipſa imago, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis: ſed nullã talem ſpeciem videmus, niſi tantum obiectum: ergo non ſunt tales ſpecies.

Communis tamen, & recepta ſententia eſt, ponendas eſſe ſpecies ſenſibiles, tam in ſenſu externo, quàm interno, vt tales ſenſus poſsint ſua obiecta percipere. Nec diſputo modo, an etiã in ſenſu tactus, & guſtus, ſint ponendæ huiuſmodi ſpecies, de his enim eſt ſpecialis difficultas ſuo loco tractanda. Et in primis colligitur plane hæc ſententia ex Ariſt. hoc capite dicente, ſenſum eſſe potentiam paſsiuam, reſpectu ſui obiecti, & ab illo reduci ad actum: ſed non poteſt ſemper immediate reduci ad actum ab ipſo obiecto, nã ſaltem in viſu obiectum debet eſſe ad extra, & non ſuper poſitum ipſi organo, ſic enim potiùs impediret viſionẽ: ergo ſenſus reducitur ad actum ab obiecto, mediãte aliquo, deriuato ab obiecto in ipſum ſenſum, hoc autẽ eſt ſpecies ſenſibilis: ergo ſentit Ariſt. reuera dari huiuſmodi ſpecies, & cap. 12. huius lib. dicit, commune eſſe omnibus ſenſibus recipere formas ſine materia, q̃ cõmuniter explicari ſolet de ſpeciebus ſenſibilibus, vt ibi dicam, quem communiter eius interpretes ſequuntur.

Et ratione probatur. Primò, quia ſenſus eſt indifferens ad cognoſcendum hoc, vel illud obiectum, qua ratione viſus, tam poteſt percipere colorem album, quàm nigrum, & ſimiliter imaginatio, quæ eſt internus ſenſus eſt indifferens ad varia obiecta cognoſcenda: ergo debet dari in tali ſenſu aliquod principiũ determinas, illud ad ſenſationem huius obiecti, potius quàm illius, huiuſmodi autem principiũ intrinſecum ſenſui, illumq; determinans, & conſtituens in actu primo appellamus nos ſpeciem ſenſibilem: ergo ponendæ ſunt huiuſmodi ſpecies.

Neq; ſufficit ſi dicas, ſenſum ſufficienter determinari ab ipſa præſentia obiecti. Nã cõtrà hoc eſt imprimis, quod nõ habet locum in ſenſu interno, imaginatio enim etiã ſe extendit ad res abſentes. Præterea, neq; in ſenſu externo ſufficit, quia ex eo quod co-

lor

lor obijciatur visui, nisi aliquid physicum in illa imprimat, omnino est quid extrinsecum: ergo necessariò debet poni aliquid intrinsece, illud determinans ad visionẽ huius obiecti, potius quã alterius, q̃ est munus speciei sensibilis.

Secundò probatur conclusio, quia in speculo videmus rẽ àtergo existentem, quam tamen absq; speculo impossibile est videre: ergo euidens inditium est ex tali obiecto deriuari ad speculum speciem visibilem, & ita mediante speculo refracta in ipso videri.

Tertiò etiã id cõstat, experiẽtia illa, de argento existẽte in fundo vasis, nã si vas, non sit plenum aqua, non potest tale argẽtum videri ad aliquam distantiam, si autem sit aqua plenum, videtur: signũ est per medium mittere aliquam speciem sui, vsq; ad potentiam visiuam, qua videri possit.

Vltimò, id etiã probatur: nã arbores in aqua cõmota apparent fractæ, cuius rei nulla ratio assignari potest, nisi refractio specierum visibilium: dãtur ergo species sensibiles.

Quartò id etiam coniectari licet, quia experimur príùs audire sonum proximũ, quã distantẽ: ergo ideò est, quia obiectum aliquid agit per medium in potentia, & ita in proximiori spatio citiùs agit: ergo obiectum producit in potentia speciem sensibilem.

Dico secũdò: huiusmodi species sensibiles non ponuntur, vt sint obiectum cognitum vt qđ à sensu, sed solũ cognoscũtur vt quo (vt aiũt) id est, sunt rationes, quare obiecta sensibilia cognoscãtur vt quod. Quę conclusio etiam est communis inter autores: tenet Buridanus hoc lib. quæst. 26. Fonseca. 2. Meta. cap. 29. 2. sectione. 5. Doctus & subtilis Moline. 1. par. quæst. 12. ar. 9. & plures alij.

Et probatur primò experiẽtia ipsa: nam sensu visus, nullam aliam entitatem videmus præter colorem, & lumen: ergo species visibilis non est obiectum quod, cognitum. Tum etiam, quia tota natura speciei ad id ordinatur, vt media illa cognoscatur obiectũ sensibile, ad hoc autem satis est cognoscatur vt quo: ergo non est dicendum, esse obiectum quod cognitum.

Maiorem habet difficultatẽ, an saltẽ per refractionẽ, possit cognosci species, vt quod, vt quando videmus aliquid in speculò vbi species refrangitur, Plures enim asserũt, tunc, non videri obiectum, sed spe-

ium ſpeciei expreſſæ, quæ repræſentat proprie, & formaliter, de quo poſtea dictam: ergo perperam diſtinguũt iſti repreſentationẽ ſpeciei, quæuis illa ſit, ab eius entitate.

Ad fundamenta autẽ prioris ſententiæ reſpõdetur. Ad primum non ſolùm poſſe videri res, ante oculos obiectas, ſed etiam àtergo exiſtentes, ſummodo cõtingat refractio ſpecierũ illarum, verſus oculum, ſemper enim, vt obiectũ cognoſcatur, debet potentia informari ſpecie illius, & quia obiectum àtergo poſitum, nõ poteſt mittere ſpeciem in potentiam niſi mediante refractione facta, in corpore ante oculos exiſtente, ideo citra talem refractionem, non poteſt immutare potentiam, bene tamen cum illa.

Ad ſecundum reſpondent quidam, ex lumine tranſeũte per vitrũ viride, produci quẽdam colorem viridem, & hũc videri, non vero ſpeciẽ in tali vitro viridi refractam: ſed nõ placet, quia color non reſultat niſi ex commixtione primarum qualitatum: ergo non eſt dicendum, talem colorem produci ex eo præciſſe quod lumen aut ſpecies tranſeant per vitrum viride.

Dico Præterea: neq; ẽtiam videri ipſum colorẽ viridem exiſtentẽ in vitro. Ratio eſt, quia ſi per vitrũ paruũ videamus obiectũ magnũ, apparet in obiecto magnus quidã color viridis, iuxta magnitudinem ipſius obiecti, cum tamẽ vitrum ipſum, & perinde eius color paruus ſit: ergo non videtur color exiſtens in vitro, quo argumento, etiã probatur, non videri tunc ſpeciẽ obiecti receptã in tali vitro, quia apparet nobis res quædã magna, cum tamen ſpecies, ſicut obiectũ, in quo recipitur, parua ſit.

Dicendũ ergo eſt, reuera vĩderi obiectum ipſum: quod autem appareat viride prouenit ex eo quòd ſpecies recepta in vitro, taliter ibi modificatur, vt faciat obiectum apparere aliter quàm ſit, ſicut ſpecies arboris recepta in aqua fluente, eſt cauſa, quod obiectum appareat fractum, quia modificatur, ſic, vel ſic, à medio, in quo recipitur.

Ad vltimam experientiam reſpondetur, reuera, effectum illũ vitri triangularis mirabilem eſſe, certum tamẽ eſſe debet, non videri ſpecies aliquas colorum, ibi apparentium. Ratio eſt, quia cum tales ſpecies debeant produci, ab obiectis

& reuera non sint à parte rei inspatio illo colores illi ibi apparentes, neque etiam est possibile, quod sint in tali vitro, verè & proprie species illorum colorum.

Quare dicendum est: reuera videri res aliquas ad extra existentes, ita tamẽ mutatas, vt aliæ res fere nouæ appareant, quod autem aliter appareant tales res, prouenit ex eo, ꝙ species earũ in tali vitro receptæ, taliter modificantur per diuersam receptionem luminis, vt nimis peruerse repræsentent obiectum: neque possumus semper occultas rerũ naturas ita clare, & distincte intueri.

Tandem ad argumenta in principio quæstionis adducta respondetur ad primũ quidquid sit de exemplo illo, esse diuersam rationẽ, quia essentia Angeli, quæ est illi intimè præsens, & proportionata, gerit vicem speciei, & ita per se ipsam, vt pote quæ est sibi præsens & proportionata, potest videri: obiecta vero sensibilia cum ad extra sint, opus est, vt sint prę sentia in sensibus per eorũ species: an vero obiecta sensibilia, quæ sunt intra organũ ipsius sensus, possint sentiri, dicam infrá.

Ad secundum respondetur negãdo consequẽtiam, nam si imago Cęsaris, priùs videtur, ideo est, quia est suis coloribus ornata, & ita videtur vt quod, species vero visibilis, non est colorata, & ita nõ potest videri, vt quod, ad hoc autẽ quòd obiectũ percipiatur media illa, satis est cognoscatur, vt ꝙ. Illud autẽ principiũ propter quod vnũquodq; tale, &c. vt suo loco vidimus, debet intelligi, quãdo vtrumq; extremum est tale, vt quod, species vero visibiles, nõ sunt visibiles vt quod.

Tandẽ ex dictis in hac quę stione infertur, quã sit verum ꝙ Arist. docuit in hoc capite, scilicet, sensum esse potentiã passiuã, & reduci ad actũ sentiendi ab obiecto: nã quanuis sensus inquantum producit speciem expressam, quę est simulacrum quoddam, medio quo percipit obiectum, sit potentia actiua, tamen inquantum recipit ab obiecto species sensibiles potẽtia passiua est, & ita ab obiecto media specie sensibili determinatur ad actum sentiendi.

Quæst. II. Quid sint species sensibiles.

SVb hoc generali titulo plura dubitari possunt. Primò enim

:nim inquiri potest, vtrùm
iniusmodi species sint sub-
tantia, vel accidens? Refert
:nim D. Augustinus epis. 56.
quorum-dam insanum errorẽ,
sserentium, huiusmodi spe-
cies insensibiles, aut Deos es-
e, vel saltem de substantia
Dei. Dicendum tamẽ est bre-
uiter, huiusmodi species esse
ccidentia, scilicet qualitates
quasdam deriuatas ab obie-
cto, vt communi Philosopho-
um consensu receptum est.
Et ratio est, quia si sunt sub-
tantiæ, ergo vel sunt substan
iæ spirituales, vel corpora-
es: nó spirituales, istæ enim,
ùm sint altioris ordinis, non
endent in sua conseruatione
re materiali; species tamen
ensibiles pendent in sua cõ-
eruatione ab obiecto sensibi-
i, & materiali, nam ablato co
ore pereunt species sensibi-
es, quæ ab illo dimanant: ne-
que etiã sunt substantiæ cor-
oreæ. Vnde vlteriùs seque-
etur, dari penetrationem di-
nensionum; quia in eodem
culo recipiuntur simul plu-
es species diuersorum co-
orum. Quo argumento con-
incitur etiam, species sensus
nterni non esse substantias
:orporeas; quia cùm in memo
ia plures species in eadẽ par-
e conseruentur, iam daretur
penetratio quantitatum. De
speciebus autem intelligibi-
libus nihil disputo vsque ad
4. cap. 3. libri de anima.

Secundò dubitari potest in
hac quæstione, vtrùm huius-
modi species sint in sua enti-
tate imperfectiores obiectis,
à quibus procedunt. Quæ res
difficilè profectò dignosci po
test, cùm vltimæ differentiæ
rerum sint nobis occultę, si ta
men coniectari licet.

Dico primò, species sen-
suum externorum esse in sua
entitate imperfectiores obie-
ctis, à quibus oriũtur. Et pro-
batur, quia quando produci-
tur, v. g. species coloris, nul-
la alia causa principalis assig-
nari potest productiua talis
speciei, nisi color ipse, nam
quidquid aliud dicatur, libe-
rè, & sine fundamẽto dicitur:
sed color producit speciẽ sui,
vt causa æquiuoca; causa autẽ
æquiuoca principalis debet
dici perfectior suo effectu, vt
sæpè dixi, quia non potest es-
se minùs perfecta, aliàs nó es-
set principalis, neq; ęquè per-
fecta, quia species diuersæ ne-
cessariò sunt inæqualiter per-
fectæ: ergo debet esse magis
perfecta: ergo obiectum sen-
sibile perfectius est in sua en-
titate specie ab ipso produ-
cta; & ita huiusmodi species

ap-

appellari ſolent intentionales, quia reſpectu obiecti habent eſſe diminutum, & ita totum earum eſſe eſt intendere ad cauſandam notitiam obiecti.

De ſpeciebus verò ſenſuum internorum res eſt mihi omnino dubia, nam in primis nō eſt neceſſarium, omnē ſpeciē imperfectiorē eſſe ſuo obiecto, quādo ab illo nō pendēt immediatè in fieri, & conſeruari, vt diximus de ſpeciebus ſenſuum internorum. Et hoc patet in ſpecie intelligibili albedinis, quæ ſine dubio eſt perfectior illa, cùm vtraque ſit qualitas, & aliàs ſpecies intelligibilis ſit quid ſpirituale, & ita non poteſt efficaciter conuinci, ſpeciem ſenſus interni eſſe imperfectiorem ſuo obiecto.

Ex alia verò parte eſt, quòd talis ſpecies eſt principium actionis vitalis, quod arguit in illa quandam perfectionē: & ita de hac re nihil certò aſſerere audeo.

Tertiò dubitari poteſt, vtrùm ſpecies differant eſſentialiter ab obiectis, à quibus procedunt, verbi gratia, vtrùm ſpecies coloris differat eſſentialiter à colore: nam Durandus in 2. diſtinctione 3. quæſtione 6. num. 17. & in 4. diſtinct. 49. quæſtione 2. Vall. libro 2. controuerſ. cap. 28. exiſtimant, ſpecies ſenſibiles nón eſſe diuerſæ ſpeciei ab obiectis, à quibus oriuntur.

Fundamentum autem huius ſententiæ duplex eſt. Primò, quia obiectum, & eius ſpecies (inquit Durandus) ſe habent ſicut lux, & lumen, quod deriuatur à luce: ſed lux, & lumen non differunt ſpecie, ſecundum probabiliorem ſententiam. De quo dicam infrà capit. 7. ergo neque ſpecies, & obiectum eius.

Secundò, quia per ſpeciem (inquit Durandus) cognoſcimus obiectum, hoc autem eſſet impoſsibile, ſi eſſet diuerſæ rationis ab obiecto, quia eſſet illi diſsimilis: & ita minùs apta ad cognoſcendum obiectum per illam.

Hæc tamen ſententia iam hoc tempore ſingularis eſt, & meritò ab omnibus prorſus falſa iudicatur: nam quod ſpecies ſenſibiles differāt eſſentialiter ab obiectis, à quibus cauſantur, docet communis Philoſophorum conſenſus. D. Thom. quæſt. 8. de veritate, art. 11. ad 3. & 7 Meth. lect. 6. Albertus 2. de anima, tit. 4. cap. 11. Toletet.

et. hoc libro, quæst. penult. Denique est communis inter retum hoc loco, quã S. Thomas optimè probat. quia sæpè idemus colores contrarios: rgo simul recipiuntur in potentia visiua species illorum: ergo si sunt eiusdem naturæ cum illis, erunt tales species contrariæ, sicut earum obiecta, atque adeò esset impossibile, simul recipi in eadẽ otentia: signũ ergo est esse liuersę naturæ ab obiectis.

Et si obijcias: Nam huiusmodi species distinguuntur er obiecta diuersa, quæ resiciunt: ergo species obiectorum contrariorum necessariò ebent esse contraria. Respõetur negando cõsequentiã, am vt in simili dicebam suprà, quãuis actus distinguãtur er obiecta, tamen non tribuunt actibus eandem naturam, quam in se habent; aliàs nim visio coloris albi esset se color albus, & ita quanis album, & nigrum contraentur, non tamen visio alii, & visio nigri: dantur ergo uiusmodi visiones in eadem otentia, quando quis simul trumquè videt: sic ergo in præsenti species obiectorum ontrariorum non sunt contrariæ, quia licèt distinguant er ordinẽ ad diuersa obiecta, non tamen habent eandẽ naturã, quã habẽt obiecta ipsa.

Secundò probatur conclusio, nam si species albedinis non differt specie ab ipsa albedine, esset visibilis sicut illa, & ita semper simul videretur cum albedine, quod est contra experientiam: nam si dicas non videri, eo quòd est quædam albedo nimis remissa, contrà est. Primò, quia saltem ab albedine nimis intensa posset oriri species aliqualiter intensa, ita vt sufficienter videri possit.

Secundò, quia quãuis esset remissa, tamẽ saltẽ illa species, quæ est prope oculum, posset videri, vt patet de alijs coloribus, qui quantumuis sint remissi, si tamen prope oculũ ponantur, videri possunt.

Tertiò probatur, quia speciebus sensibilib⁹ conueniũt plures proprietates, quæ minimè in obiecta ipsa conuenire possunt: ergo sunt diuersæ naturæ ab illis. Antecedẽs patet, nam species visibiles producuntur in instanti, etiã vsque ad longam distantiam. Prætereà replent spatium maximum, quantumuis à paruo obiecto ortæ sint. Sed impossibile est, colorem paruum producere aliũ colorem in tan magna distantia, & in ins

inſtanti: ergo ſunt diuerſæ naturæ ab obiectis ipſis.

Rationes autem Durandi nullius ſunt momenti: nam in primis principiũ illud, quod aſſumit, quòd ſcilicet ſpecies, & obiectum habeant ſe ſicut lux, & lumen (quidquid ſit de exemplo ipſo, dicã infrà.) falſum eſt, neq; ab ipſo probatur, potiùs enim ſe habẽt ſicut effectus, & cauſa æquiuoca; & ita ſunt diuerſæ rationis.

Ad ſecundum etiam reſpõdetur, quòd quanuis ſpecies ſit diuerſæ naturę ab obiecto; poteſt tamen obiectum dignoſci per illam, quia ſpecies ſenſibilis quodãmodò eſt ſimilitudo obiecti: vel formaliter (vt quidam volunt) ita q̃ ſit illa imago obiecti, vel ſaltem virtualiter, inquãtum eſt cauſa efficiens producẽdi ſpeciem expreſſam, quæ eſt formalis ſimilitudo obiecti, & ita conducit ad cognoſcendum obiectum.

Quartò ergo ex dictis dubitari poteſt, vtrùm huiuſmodi ſpecies impreſsæ ſint formales ſimilitudines, & imagines rerum; nam de ſpeciebus expreſsis productis per actum ſenſationis, omnes admittunt eſſe idôla quædam, & imaginationes, quibus potẽtiæ cognoſcunt obiecta, ad modum quo verbum mentis eſt formalis ſimilitudo obiecti.

In qua re communis ſentẽtia eſt in noſtris ſcholis recepta, huiuſmodi ſpecies impreſſas, tam ſenſibiles, quàm intelligibiles, eſſe formales ſimilitudines, & imagines obiectorum, ita quòd formaliter repræſentent talia obiecta: exiſtimant enim, huiuſmodi ſpecies nullo modo cõducere ad actum cognitionis, niſi eo q̃ tanquàm imagines, & ſimilitudines præ ſe ferant obiecta ipſa, ad modum, quo per imaginationem Cæſaris cognoſcimus ipſum Cæſarem.

Mihi autem longè verior apparet eorum ſententia, qui aſſerunt, ſpecies impreſſas, tam ſenſibiles, quàm intelligibiles, non eſſe formales ſimilitudines, & imagines obiectorum, ſed ſolũ virtualiter, inquantum ſunt cauſæ efficiẽtes ad producendam ſpeciem expreſſam, quæ eſt formalis imago obiecti. A qua ſententia non longè videtur abeſſe Caietanus. 1. p. q. 27. art. 1. & *§ Ad cuius euidentiam*, vbi dicit, obiectum intellectus non eſſe illi præſens per ſpeciem intelligibilem in eſſe intẽtionali, id eſt, tanquã in imagine intentionali, ſed ſolùm vt cõcauſa, quia media ſpecie intel-

telligibili, simul cum intellectu causat actum cognitionis. Augustin.etiam. 1.de Ttinit.c. 12.dicit,speciem intelligibilē esse veluti semen obiecti: semen autem solùm est simile illi, cuius est semen virtualiter, inquantum potest producere id,quod est illi simile.

Quæ sententia videtur efficaciter conuinci hac ratione: nā si species intelligibilis est formalis similitudo obiecti,sequitur actum illum, quo intellectus illā producit, esse cognitionem, & ita ad intelligendum nō esset opus alia actione productiua verbi, quod est cōtra omnes. Probatur sequela, quia non aliter intellectus intelligit, dum producit verbum mentis, nisi quia habet iam in se quamdam imaginem & similitudinem obiecti, sibi repręsentantem tale obiectū: ergo si species intelligibilis producta ab intellectu esset formalis imago, & similitudo obiecti, sufficiēter posset intellectus per illam intelligere, absq; alia productione verbi, signum ergo est,talem speciē, non esse similitudinē, & imaginem obiecti.

Similiter si species sensibiles impressæ, receptæ in sensu, essent similitudines formales,& imagines obiectorū, non esset cur sensus produceret aliam imaginē expressam ad cognoscendum tale obiectum: vnde,quod dicemus. 1. lib.de interpretatione, disputatione de verbo mentis,&.1. lib.Phy.in. q. de primò cognitu species intelligibiles repræsentare obiectum, intelligendum est, non de repræsentatione formali,sed virtuali: nā cum res hæc eo loco non potuerit commodè explicari,secuti sumus communem modum loquendi.

Et si obijcias, nam eadē ratione posset dici intellectus similitudo virtualis obiecti, quia etiam est causa efficiens virtualis producendi speciem expressam, quæ est formalis similitudo, & imago obiecti. Respondetur negando consequentiam, quia intellectus ex se est indifferens ad plura obiecta,& est principium vniuersale ad plura verba producenda: species verò impressę correspōdent particularibus obiectis, & sunt principia particularia ad determinata obiecta intelligenda, ita vt sint, veluti semen obiecti, & ita possunt nuncupari virtuales similitudines illorū,vt pote, quæ sunt propriæ illorum.

Hinc patet falsum esse fundamentum contrariæ sententiæ,

tiæ, nam quanuis huiuſmodi ſpecies impreſſæ, non ſint formales ſimilitudines & imagines obiectorum, quia tamen virtualiter continent plures imagines, in genere cauſæ efficientis, quia ordinantur ad producendas illas, ideò ſunt principium cognitionis.

Quæſtio. III. Vtrùm ſpecies ſenſibiles, ſint extenſæ, & diuiſibiles.

RAtio dubitandi eſt primo ex Ariſtot. hoc lib. capit. 12. vbi dicit ſenſus recipere formas ſine materia, per formas autem ſine materia, omnes interpretes intelligũt ſpecies ſenſibiles, cum ergo illas ſine materia eſſe dicat, videtur tollere ab his ſpeciebus extenſionem, & diuiſibilitatem, quã reliqua accidentia materialia habent.

Secũdò, quia anima rationalis, quæ indiuiſibilis eſt, eſt tota in toto, & tota in qualibet parte, ſed ſpecies ſenſibiles idem habẽt: ergo ſunt indiuiſibiles, & inextenſæ. Probatur minor, quia per quamlibet partem medij videtur totum obiectum: ergo ſignum eſt in qualibet parte medij repræſentari totum obiectum, atque adeo totã ſpeciẽ eſſe in qualibet parte medij: ergo eſt indiuiſibilis.

Dicendum tamen eſt cum communi Philoſophorũ conſenſu: huiuſmodi ſpecies ſenſibiles diuiſibiles eſſe, & extenſas ad extenſionem ſubiecti, in quo recipiuntur. Sic tenet D. Thom. hoc loco. Albertus. 2. de anima tract. 3. Toled. quæſt. 34. & plures alij, vbi nõ intendimus, huiuſmodi ſpecies eſſe diuiſibiles ad diuiſibilitatẽ ſubiecti, ita quòd intrinſecè non componãtur ex ſuis partibus integralibus, admodum, quo plures exiſtimãt ſubſtantiã, & reliqua accidentia ſine quantitate, nullas habere partes integrales, hoc enim impugnatum eſt primo Phyſic. vbi oſtendimus ſubſtantiam, & reliqua accidentia materialia ex ſe, & non per quantitatem componi ex ſuis partibus integralibus, dicimus tamen, huiuſmodi extenſionem propriam, eſſe accommodatam extenſioni ſubiecti, ita vt in ſubiecto vnius palmi recipiatur ſpecies habens extenſionem vnius palmi.

Et probatur facilè, quia huiuſmodi ſpecies ſenſibiles ſũt accidentia quædam materialia recepta in ſubiecto diuiſibili, verbi gratia, in aere, aut

in

in organo sensus: ergo sunt extensæ & diuisibiles, ad extensionem illius, non minùs, quã reliqua accidentia materialia, ita enim pendent à subiecto materiali, sicut reliqua accidentia.

Addo quòd quãuis sint extensæ in medio, per quod diffundũtur, non tamẽ repręsentant obiectum, modo diuisibili, ita quod hęc pars extensionis speciei repręsentet quamdam partem obiecti, alia vero pars speciei, aliam partem obiecti, quin potius, quælibet minima pars extensionis speciei repręsentat totũ obiectũ, & hoc est quod alij dicere solẽt species sensibiles esse diuisibiles ex parte subiecti, indiuisibiles verò ex parte obiecti, id est, quãlibet minimã partẽ repręsentare totũ obiectum, sed hoc probat optimè secunda ratio dubitãdi supra adducta, nam per quamlibet partem medij, videmus totum colorem, signum ergo est speciẽ visibilẽ in qualibet parte medij repręsentare totum obiectum, hoc tamen non tollit quò minus species sensibilis habeat extensionem ex parte subiecti. Vtrum autem intensio, & extensio obiecti repræsententur in specie per eandem indiuisibilẽ entitatem illius, vel per diuersas dicam capit. 7. huius libri, vbi res hæc commodiùs disputari solet.

Et per hæc patet ad secundam rationem dubitandi. Ad primam, quod vt dicam capite duodecimo huius libri Aristoteles ibi per formas sine materia intelligit species sensibiles, quæ vocari solent species intentionales, quas non ideò appellat sine materia, quia sint immateriales, & spirituales, sed quia sunt minus materiales, & corporeæ, quam obiectum à quo procedunt, qua ratione species coloris perueniens ad potentiam visiuam minus materialis est, quàm corpus ipsum coloratum, à quo procedit.

Quæstio. IIII. Quo modo, & à quo, producantur species sensibiles.

POstquam egimus de natura, & essentia harũ specierũ, deinde de earũ causis tractandũ restat. In quo duo sunt apud omnes certa; alterũ est, huiusmodi species, non habere causam formalem intrinsecã sui, quin potius ipsę sunt, quædam formæ accidentales,

forma autem, non est talis per aliam formam: alterum vero est, causam finalem harũ specierum esse sensationem, quę est cognitio obiecti sensibilis, dantur enim huiusmodi species, vt sint principiũ sensationis simul cum potentia: de causa autem materiali, seu de subiecto earũ dicam quæstione sequenti, & ita hoc loco, tantùm supereſt difficultas de causa efficienti: neq; enim est cur hoc loco disputemus, qua ratione producantur species impressæ in sensu interno. Id enim commodiùs tractabitur. 3. lib. de anima. c. 2. aut. 3. De speciebus autẽ sensuum externorum adhuc duo inquiri possunt, secundum q̃ huiusmodi species sunt induplici differentia, scilicet expressæ, nempe, quæ producũtur per actum sensationis, & impressæ scilicet, quæ imprimuntur in potentia sensitiua, vt eliciat actum sensationis, de causa ergo efficiẽti speciei expressæ dicã infra. q. 6. Quare tantum supereſt difficultas de causa efficiẽti speciei sensibilis impressæ.

De qua re, vt omittam sententiam Auer. hoc lib. comm. 6. asserentis, dandum esse sensum quendam agentem, qui producat species sensibiles in sensu ad modum, quo datur intellectus agens producens in intellectu possibili species intelligibiles, de quo loco citato dicam, dicendum ergo est, cum communi fere omnium sententia: species sensibiles produci ab obiecto, vt à causa principali æquiuoca. Tenet S. Tho. sæpissime, præcipue tamen. 1. contra Gent. c. 65. & ibidem Ferra. & hoc loco communiter interpretes: neque obscure deducitur ex Arist. hoc capite vbi dicit, sensum reduci ad actum sentiẽdi ab obiecto: ergo ideo est, quia obiectum quodammodo cõcurrit ad actum sentiendi, sed nõ per se ipsum, est enim obiectum extra potentiã, in qua fit sensatio, vt patet de calore: ergo per speciem ab illo productam in potentia ipsa, & ita huiusmodi species solent appellari impressæ, quia ab obiecto imprimuntur in potentia sensitiua. Et ratio est, quia quantò obiectum est intensius, tantò intensiorẽ, & acriorem speciem mittit, & ita experimur senes, vt facilius cartam legere possint, illam aliquantulum ab organo visus elongare, ne tam acrem & intensam speciem mittat: signũ ergo est obiectũ esse causam efficientem talis speciei, & ita dum

lum magis distat à potentia, minus intensam speciem mit ere.

Secundò, quia non alia ratione colligimus, ignem habe virtutem actiuam ad calefa iendum, nisi, quia experimur, præsente igne, produci calorem, & illo ablato, tolli; sed eodem modo sentimus, præsente obiecto, statim produci in potentia sensitiua huiusmodi species, & illo ablato, non conseruari tales species: signum ergo est, huiusmodi species sensibiles pendere ab obiecto, in fieri & cõseruari, atq; deò, obiectum est causa efficiens illarum. Quod autem sit causa principalis. Patet, quia nulla alia causa principalis assignari potest, tum etiam, quia sunt imperfectiores obiecto, & ita appellantur intentionales, quia habent quoddam esse diminutum, & ita totũ suũ esse est intẽdere ad cognitionem obiecti causandam.

Solàm posset hoc loco obijci, quia huiusmodi species sunt minus materiales, quàm obiecta à quibus causantur, ualiter species albedinis, minùs materialis est, quàm albedo ipsa: ergo sunt perfectiores obiectis. Respondetur negando consequentiam, quia aquando, minor materialitas prouenit ex minori entitate rei, qualiter relatio similitudinis fundata in albedine minùs materialis est, quàm albedo ipsa ob minorem entitatẽ, quam habet, relatio enim paruæ entitatis est.

Circa modum autẽ, quo hũiusmodi species producuntur in medio, Albertus hoc lib. tract. 3. existimat non produci vnicam numero speciem in toto aere medio, vsq; ad potẽtiam sensitiuam, sed plures totaliter diuersas, ita quod obiectum producat in partibus sibi proximis, vnicam speciẽ, & deinde illa, aliam totaliter diuersam in alijs partibus, & sic vsq; ad potentiam sensitiuam. Sed non placet, quia in productione luminis, aut aliarum qualitatum, in toto medio continuo, tantum producitur vnica qualitas, continuò extensa per totum medium, non vero plures totaliter diuersæ: ergo non est cur hic negemus in speciebus sensibilibus, quando enim subiectum est vnum, & continuum, qualitas in illo recepta, vnica numero & continua est. Et hinc fit in diuersis medijs, vt in aere, & in aqua diuersas numero species sensibiles produci ex diuersitate subiectorum. Qua autem ratione species singulorum

rum ſenſuũ diffundantur per mediũ, ſuis proprijs locis diſputabitur, hic enim ea, quæ omnibus ſenſibus generalia ſunt tradere intendimus.

Quæſt.V. Vtrùm ſpecies ſenſibiles recipiantur in potẽtijs ſenſitiuis ad cauſandã ſenſationem.

IN hac re omnes fatẽtur ſpeciem expreſſam recipi intra ipſam potentiam ſenſitiuam, non ſecus, quàm verbum mẽtis productum per actum intelligendi, manet intra ipſum intellectum, aliàs non denominaretur potentia ſenſitiua, aut intellectiua formaliter cognoſcens, niſi, quia ad hoc opus formaliter habeat in ſe idôlum, medio quo, habet notitiam obiecti, ſolum ergo eſt difficultas de ſpeciebus ſenſibilibus impreſsis, quæ ab obiecto producuntur.

In qua re. Prima ſententia eſt, aſſerentium, tales ſpecies non recipi inhæſiue in potẽtia ſenſitiua, quæ eſt qualitas ſuperaddita organo, ſed immediate recipi in ipſo organo. Sic tenet Philoponus, & Simplicius, hoc loco, text. 51. pro qua ſentẽtia, nullã video, nec probabilẽ rationem, niſi fortaſſe, quiavt ſpecies impreſſa concurrat ſimul cũ potẽtia ad producendam ſpeciem expreſſam, non eſt neceſſariũ ſit inhæſiue in illa, ſatis eſt, ſit in organo vbi talis potentia reſidet, quia tunc iam habet ſufficientem ſimultatem localẽ cum illa, vt poſsint ſimul cooperari, ad producendam ſpeciem expreſſam. Quod explicari poteſt exemplo, nam in cõmuni Philoſophorum ſententia Phantaſma concurrit effectiue ſimul cum intellectu agenti ad producendam ſpeciem intelligibilem, Phantaſma autem, cum ſit quid materiale, nequit eſſe inhæſiue in intellectu agenti, quĩ ſpiritualis eſt: ergo ſimiliter poteſt optime intelligi, ſpeciem impreſſam concurrere cum potentia ſenſitiua ad ſenſationem, quin ſit in illa inhæſiue.

Dicendum tamẽ eſt in hac re, huiuſmodi ſpecies impreſſas recipi in potentia ſenſitiua, ad cauſandam ſenſationẽ. Tenet S. Tho. ſæpiſsime ſed præcipue. 1. p. q. 12. art. 2. ad. 3. & in. 4. d. 49 q. 2. ad. 1. & 3. contra Gent. capit. 49. quem hoc loco omnes ſequũtur, eſt etiam expreſſa ſentẽtia Ariſt. in hoc. c. vbi dicit, ſenſum eſſe potẽtiam paſsiuam, & reduci

ad

d actum ab obiecto, quia fie-
i non potest, nisi obiectū im-
rimeret speciem in potentia
ensitiua: sentit ergo sensum
sse potentiam passiuam, non
olum respectu speciei expres
æ, dum illam recipit, sed e-
iam, quia ab obiecto recipiat
speciē, qua reducatur ad actū.

Et ratione probatur à simi-
i, quia in communi omnium
opinione species intelligibi-
es recipiuntur inhæsiue in
ntellectu ad causandam in-
ellectionem, & ita Aristote-
es. 3. lib. de anima, dixit, in-
ellectum quodammodo fie-
i omnia, quia omnium re-
um recipit species: ergo non
st negandū similiter, poten-
iā sensitiuā intrinsece recipe
e species impressas ad perci-
iendū suū obiectū. Idem e-
iā confirmatur exēplo de ha
itibus, qui inhęsiue ponūtur
n potentijs, vt cum illis coo-
erentur ad causandos actus.
ed species impressę, non mi-
us sunt necessariæ ad operā-
lum, quā habitus, quia species
unt necessariæ simpliciter ad
perandū, habitus autē non
unt necessarij ad simpliciter
perandum, sed ad melius, cū
ine habitu absolute possit fie
i actus, licèt non ita facile.

Addo præterea contra Sō-
matem. 7. Meta. q. 8. & alios
Thomistas huiusmodi species
educi de potentia subiecti, in
quo recipiuntur, siue recipian
tur in potētia sensitiua, siue in
medio. Ratio est, quia huius-
modi species, sunt quædā ac-
cidentia, scilicet, qualitates
quædam deriuatę ab obiecto:
ergo natura sua habēt esse de-
pendens à subiecto, & ita fiūt
dependenter ab illo median-
te concursu materiali subie-
cti: ergo educuntur de poten-
tia illius.

Addo præterea, potentiam
sensitiuam mere passiuè se ha-
bere, quando in ea producun-
tur species impressæ. Ratio
est, quia obiectum habet suf-
ficientem actiuitatem ex se ad
producendas tales species,
nam sicuti eas diffundit per
medium vsque ad potentiam,
ita mediante specie recepta in
medio poterit optime aliam
speciem efficere in potentia,
cum opus sit ad iuuari effecti-
iue à concursu potentiæ. Patet
consequentia, quia potentia
sensitiua, non est minùs capax
ad recipiendam speciem, quā
medium ipsum.

Et hinc fit vlterius, produ-
ctionē talis speciei, quā obie-
ctū imprimit in potentia, non
esse actionem vitalem, quia nō
habet ortum effectiue à potē-
tia vitali, sed solùm ab obie-
cto

&o ſenſibili. Neque obſtat, q̃ tale obiectum aliquando poſſit eſſe aliquid vitale, vt quãdo homo imprimit ſpeciem ſui in potentia viſiua. Ratio eſt, quia licet tunc corpus, q̃ talem ſpeciem mittit, vitale ſit, non tamẽ illam imprimit, inquantum viuens eſt, ſed in quantum eſt corpus coloratũ operans per colorem, qui nõ eſt potentia vitalis, vt enim ſuprà vidimus, non omnes potentiæ, aut actiones viuentiũ vitales ſunt, ſed tantùm illæ, quæ oriuntur à viuenti, vt viuens eſt condiſtinctum, contra res inanimatas.

Ad rationem contrariæ ſententiæ reſpondetur verũ eſſe abſolute, & in generali loquẽdo, nõ requiri vt aliquid cooperetur cum alio, quòd ſit in illo inhæſiue, vt probat exemplũ illud de Phantaſmate concurrente cum intellectu agenti ad producendam ſpeciẽ intelligibilem tamen ex peculiari connexione, quam habẽt ſpecies impreſſæ cum potẽtia cognoſcitiua, requiritur quòd ſint inhæſiue in illa, vt cum illa concurrant ad actum cognitionis; vnde autem coniectari poſsit hæc peculiaris cõnexio inter ſpecies ſenſibiles, & potentiam ſenſitiuam, probauimus exemplo de ſpeciebus intelligibilibus, & de habitibus, quæ ponũtur inhęſiue in potentijs, vt cooperentur cum illa.

Quæſt. VI. Vtrùm ſpecies impreſſa concurrat ad producendam ſpeciẽ expreſſam.

VArię ſunt de hac re Philoſophorũ ſententię. Prima eſt aſſerentiũ, huiuſmodi ſpecies ſenſibiles receptas in potentia ſenſitiua, non præſtare aliquem phyſicum influxũ ad producendam ſpeciẽ expreſſam, ſed ſolum excitare potẽtiam, vt illa producat ſpeciem expreſſam ad modum, quo in communi Theologorum opĩnione, intellectus mouet voluntatem, proponẽdo illi obiectũ, abſq; eo quòd phyſice concurrat ad actum voluntatis. Sic videtur indicaſſe Simplicius hoc lib. tex. 51. & 52. & fundamentum eſſe poteſt ex dictis, quia intellectus ſufficienter intelligitur, mouere voluntatem, ex eo ſolũ, quòd illi proponat obiectum, abſq; eo, quod illi præſtet influxũ phyſicum ad actum voluntatis: ergo ſimiliter, ſufficienter determinatur potentia ſenſitiua ad percipiendum obiectũ ſenſibile per expreſſam, ex eo ſolum

ſolum quòd per ſpeciem impreſſam receptam in illa, illi proponatur obiectum, & fiat præſens.

Secũda vero ſententia huic extreme oppoſita eſt aſſerentium, ſolam ſpeciem ſenſibilẽ receptam in potentia ſenſitiua, eſſe totalem cauſam producendi ſpeciem expreſſam, potentiam vero ſenſitiuã nihil efficere, niſi ſuſtentare ſpeciem. Tenet Albertus lib. de apprehẽſione in principio, indicat etiam Iauell. hoc lib. q. 2. Pro qua ſententia, nullũ neque apparens video fundamẽtum, vt ex dicendis cõſtabit.

Tertia ſententia eſt aſſerentium, quòd quanuis potentia ſenſitiua actiue concurrat ad producẽdam ſpeciem expreſſam, non tamẽ recipiatur talis ſpecies in eadem potentia, à qua effectiue cauſatur, ſed in alia diuerſa, & ita in quolibet ſenſu duas potentias diſtinguũt, alteram productiuã ſpeciei expreſſæ, alteram verò receptiuam illius. Et idem aſſerunt ſuo modo de potẽtia intellectiua. Sic docuit Iãdu. 3. de anima. q. 26. & Apollinar. quæſt. 13. exiſtimãt enim huiuſmodi authores, non poſſe idem eſſe principium actiuũ, & paſsiuum reſpectu eiuſdẽ effectus: quod tamen principiũ falſum eſt, vt ſæpe in phyſica dictum eſt.

Quarta ſententia eſt Cardin. Tolet. hoc lib. q. 12. concluſ. 2. aſſerentis, ſpeciem impreſſam, non concurrere ad producendã expreſſam in genere cauſæ efficientis, ſed potiùs in genere cauſæ materialis diſpoſitiue, inquantũ diſponit potentiam ſenſitiuã ad recipiendam ſpeciem expreſſam. Quam ſentẽtiam probat primò, quia productio ſpeciei expreſſæ, quæ eſt ſenſatio, eſt vnica & indiuiſibilis actio: ergo non poteſt fieri à duobus principijs diuerſis, ergo cum potentia ſenſitiua ſit cauſa efficiens talis ſenſationis in opinione fere omnium, vt ſtatim oſtendam, dicendum eſt, ſpeciem impreſſam, non concurrere actiue ad productionẽ illius, ſed ſolum diſpoſitiue.

Secundò, quia ſenſatio eſt actio vitalis, de cuius eſſentia eſt oriri à principio vitali: ergo tantùm debet tribui actiue potentiæ ſenſitiuæ, quæ vitalis eſt, nó verò ſpeciei impreſſæ, hæc enim non eſt aliquid vitale, cum producta ſit in potentia ab extrinſeco obiecto.

In hac re explicanda dico primò contra Albertum, potentiam ſenſitiuam actiue cõcurrere ad producendam ſpe-

ciem expreſſam, atq; adeò ad ſenſationem. Quæ concluſio præterquam, quod eſt ſatis cõmunis apud authores hoc loco, probari poteſt ex Ariſ. hoc li. c. 2. vbi in ſecũda definit. animę, dixit, animã eſſe, id quo, primò viuim', &c. ergo ſicut anima eſt principium efficiẽs radicale nutriendi, & loco mouendi; ita etiam ſentiendi: de his enim omnibus eodẽ tenore verborũ loquitur Ariſt. ſed anima cum ſit ſubſtantia, nõ eſt principium immediatũ operãdi, & ita operatur, mediis potentijs: ergo potentia ſenſitiua actiue concurrit ad ſenſationem in ſententia Ariſt.

Præterea, ſæpe docuit Auguſtin. quod ab obiecto, & potentia paritur notitia, præſertim tamen. 4. lib. de Trinitat. c. 2. vbi illud verbum, paritur, denotat cauſalitatem cauſæ efficientis, & ita aperte ſentit, actum ſenſationis, qui eſt notitia quædam obiecti ſenſibilis, non ſolùm pendere effectiue ab obiecto media ſpecie illius, ſed etiam à potentia ipſa ſenſitiua.

Et ratione probatur primò, quia ſi ſola ſpecies impreſſa recepta in potentia ſenſitiua cõcurrit ad actũ ſenſationis, ſequitur ſẽſationẽ, nõ eſſe actionẽ vitalẽ, de cuius ratione eſt, quòd proueniat à principio vitali; ſpecies autẽ impreſſa ab obiecto extrinſeco, non eſt aliquid vitale.

Et ſi reſpõdeas, animã, quæ aliquid vitale eſt mediãte ſpecie illa impreſſa, producere ſpeciẽ expreſſam. Contrà eſt, quia ſicut ad alias operationes vitales, v. g. ad nutritionem, & motum progreſſiuum, ponũtur in anima potentiæ ſuperadditæ, quibus actiue operatur ad ſenſationem, quæ longe perfectior actio eſt, potiori iure debet poni.

Secundò probatur à ſimili: nam nullus eſt, qui neget, intellectũ actiue concurrere ad producẽdam ſuam ſpeciẽ expreſſam, ſcilicet, verbum mentis: ergo neq; id debet de negari potentiæ ſenſitiuæ.

Tandẽ vltimò: quia ſequeretur ſenſationẽ, non eſſe actionem immanentem. Patet cõſequentia, quia ſenſatio nõ ſubiectatur in ſpecie impreſſa, à qua ſola ſecundum hanc ſententiam cauſatur, ſed potiùs in potentia ſenſitiua. Neq; enim dici poteſt talem ſenſationem ſubiectari in anima, à qua elicitur, & ita reſpectu illius dicit actionem immanentem hoc enim ſaltem in animã rationali, non poteſt dici, nam cum ſit ſpiritualis, non poteſt

eſſe

esse subiectum accidentis corporei, qualis est sensatio: est enim actio, quę materialis est.

Dico secundò speciem impressam, etiam concurrere actiue cum potentia ad producendam speciem expressam. Est communis autorum sententia, quam tenet S. Tho. 1. par. quæst. 14. art. 2. & quæst. 54. ar. 2. & quæst. 16. ar. 1. 1. 2. art. 5. quem communiter eius discipuli sequuntur. Pro qua sententia faciũt illa verba Augustini: ab obiecto, & potẽtia paritur notitia, & Aris. hoc. c. dicit sensum reduci ad actum sentiendi ab obiecto.

Et ratio est primò, quia species impressæ, ideò ponuntur in potẽtijs sensitiuis, vt determinent illas ad actum sensationis, circa determinatũ obiectum, huiusmodi autem determinatio, longe meliùs intelligitur, si ponamus efficienter cum illa cõcurrere ad determinatum actum: quàm si cũ alijs dicamus excitare potentiam absque physico concursu cum illa: ergo cum aliàs talis concursus Physicus, simul cum potentia, non repugnet speciei impressæ, non est illi denegandus.

Secũdò, quia in omniũ opinione, habitus effectiue cõcurrunt cum potentia ad eliciẽdos actus, cum tamen habitus sint minus necessarij ad operãdum, quàm species sensibiles in potentia sensitiua, istæ enim requiruntur ad simpliciter operandum: ergo tales species actiue concurrunt ad producẽdam speciem expressam per actum sensationis.

Hoc tamen loco, duæ se offerũt dubitationes: Prima est, vtrũ species impressa sit causa principalis producendi speciem expressam, vel solum instrumentalis. Plures enim existimant, esse causam principalem, quorum fundamentũ est, quia effectus debet assimilari causæ præcipuæ: sed species expressa assimilatur speciei impressæ, quia repræsentant idem obiectum: ergo est causa principalis.

Tamen longe probabiliùs videtur, solum esse causam instrumentalem: nam vt late dictum est in Physica de ratione causæ instrumẽtalis natura lis est, quòd sit imperfectior effectu producto, species autẽ impressa est lõge imperfectior specie expressa, tum quia species expressa est formalis imago & similitudo, & ita constituit potentiã, iam cognoscentẽ in actu secundo: secus vero impressa vt suprà: tum etiam, quia species expressa natura

primæ sententię superiùs adductæ respondetur voluntatē diuersimode determinari ab obiecto ad suū actū, ac determinatur potētia sensitiua. Ratio differentiæ est, quia cum voluntas sit potentia appetitiua fertur, vt communiter dici solet, in obiectum; & ita solū petit quod illi proponatur tale obiectum, vt ipsa feratur in illud: potentiæ vero cognoscitiuę, qualis est sensus, & intellectus, cum sint potentiæ apprehensiuæ, ita debent reduci ad actum à suo obiecto, quòd trahant obiectum ad se, hoc autem nō potest fieri, nisi per speciem obiecti in illis receptam, quia obiectum per se ipsum, non potest ingredi potētiam; & ita opus est reducantur ad actum ab obiecto, mediante specie illius, atq; adeò, quòd talis species actiue reducat potentiam ad actum.

Ad primam rationem Toleti respondetur, eundem effectum optime posse fieri à duabus causis subordinatis, & ita fit species expressa ab specie impressa, vt ab instrumento simul concurrente cum potētia sensitiua, cui in operando subordinatur.

Ad secundam, non esse necessarium, quod omnia principia actionis vitalis, sint vitalia, satis est oriantur à potentia vitali, siue illa operetur medio instrumento vitali, siue non. Tandem hæc omnia, quæ de speciebus sensibilibus dicta sunt, suo modo accommodari possunt speciebus intelligibilibus, ita vt species impressa sit causa instrumētalis speciei expressæ, scilicet verbi mētis, &c. Deniq; plura alia de speciebus sensibilibus dicam, dū de quolibet sensu in particulari fiat disputatio, neque enim oportet rem à suis proprijs sedibus euellere.

Caput Sextum.

POstquam Arist. in superiori capite egit de sensu in cōmuni, agit modo de eius obiecto scilicet de sensibili in cōmuni, vt deinceps de singulis sensibus in particulari disputet. Caput autem, quia breue est nulla indiget partitione, solùm enim adducit aliquas diuisiones sensibilis, & singula membra explicat, dicit ergo sensibilia quædam esse per se: quædam verò per accidēs: sensibile per accidēs est illud, quod per se ipsum non immutat potētiam, sed per aliquid illi superadditum, qualiter substātia est sensibilis per accidens, scilicet per accidentia illi

illi ſuperaddita; videtur enim inquantum eſt affecta colore, & tangitur inquãtum calida, vel frigida. Senſibile vero per ſe, eſt quod per ſe ipſum immutat potẽtiam. Et hoc rurſus duplex eſt, aliud enim eſt ſenſibile proprium, & eſt illud, quod ita eſt proprium vnius ſenſus, vt tantùm percipiatur ab illo, qua ratione color ita eſt proprius viſus, vt ab alio ſenſu non poſsit percipi. Senſibile verò commune, eſt illud, quod pluribus ſenſibus poteſt percipi, vt quantitas, hæc enim tam percipitur viſu, quàm tactu, & alijs ſenſibus: & hęc ſenſibilia cõmunia docet eſſe quinq; ſcilicet, quãtitas, figura, numerus, motus, & quies: concludit dicens hoc eſſe diſcrimen inter ſenſibile cõmune, & propriũ, in ordine ad ſenſum, quòd ſenſus non fallitur circa ſenſibile propriũ, vt viſus circa colorem, poteſt tamen falli circa ſenſibile commune, vt circa quantitatem.

Diſputat. V. De obiecto ſenſibili.

ANtequàm de ſenſibus in particulari, & illorum obiectis diſputet Ariſ. meritò in hoc capite tractationẽ de ſenſibili in communi præmittit. In qua diſputatione quęſtio An ſit, vt experiẽtia nota, ſupponenda eſt. Patet experientiã dari obiecta ſenſibilia, & ita ſolum reſtat eorum natura inueſtiganda.

Quæſtio. I. Vtrùm, vt obiectum aliquod, poſsit ſenſu percipi, debeat habere realem præſentiam à parte rei.

QVæſtio hæc nullã habet difficultatẽ, ſi loquamur de ſenſu interno, certum eſt enim apud omnes, imaginationem etiam poſſe verſari circa res abſentes, & de memoria id etiã eſt certũ: imò propri' actꝰ memoriæ, eſt res abſentes percipere. Solũ ergo eſt quęſtio de ſenſibus externis. In quo, adhuc inquiri poſſunt duo. Primò, an ex natura rei, requiratur talis præſentia obiecti, vt poſsit ſenſu aliquo percipi. Secũdò vtrũ ſaltem per diuinã potentiã poſsit obiectũ, non exiſtẽs, percipi ſenſu externo: quæ res, licèt ex profeſſo ab autoribus nõ tractetur, ſed obiter, Buridanus hoc lib. quæſt. 22. videtur ſentire etiã per naturam id eſſe poſsibile. Et videtur res hæc cõprobari ex-

experientia, quia aliquando viso vehementi sensibili, vt vehementi lumine, etiamsi ad alium locum visum conuertamus, videtur apparere idē obiectum.

Præterea, sæpe in absentia lucis clausis oculis, videre solemus, nescio quid luminis: potest ergo obiectum absens videri.

Tamen dico primò: per naturam impossibile est sensum externū percipere obiectum aliquod, nisi sit illi realiter præsens, ita vt possit mittere speciem in sensum, est cōmunis sententia, quam aperte indicat Arist. c. 5 præcedenti, dū dicit, sensum reduci ad actum ab obiecto, & ab illo pati, quę passio, nulla alia esse potest præter receptionē speciei impressæ: sed obiectū non existens, nullam speciē potest in sensu imprimere: existentia enim est conditio necessaria ad causandum: sentit ergo Arist. sensum externū, nō posse percipere obiectū non existēs, & hinc sumitur ratio conclusionis: quia cum sensus sit potentia quædā indifferēs ad plures actus sensationis, circa hoc vel illud obiectum, opus est determinetur ab specie impressa ad percipiendum hoc obiectū, potius quā illud, species autem impressa producitur ab obiecto, vt suprà vidimus, obiectum autē, non existens, nihil potest producere; ergo obiectū non existēs, non potest percipi à sēsu externo.

Et si respondeas fingi posse, quòd producta iam specie impressa ab obiecto, statim tale obiectum corrūpatur, & ita poterit etiam corruptū sentiri per speciem ab illo derelictā. Respondetur tamē hoc ex natura rei esse impossibile, quia species impressæ sensuum externorum, pendēt in suo conseruari ab obiecto, experimur enim, præsente colore, si ad sint cætera requisita, produci species visibiles in oculo, illo vero absente, statim corrumpi, & ita huiusmodi species solū corrūpuntur ex defectu conseruantis, à contrario enim non possunt corrumpi, quia huiusmodi species non habent contrarium: ostendimus enim suprà adhuc species obiectorum, non esse contrarias, & ita solùm possunt corrumpi, aut ex defectu conseruantis, aut fortasse ex defectu subiecti.

Vnde ad experiētias suprà adducēas communis interpretum solutio est, tales res apparētes nō sentiri à sensu externo sed ab interno potiùs,

ita

ita vt sit quidam actus imaginationis, quo obiecta illa videtur, quasi essent præsentia, vt somnijantibus cõtingit: imaginatio autẽ bene potest versari circa obiectũ absens: addiderim tamen, quod attinet ad perceptionem luminis factam clausis oculis, quòd cum exteriùs adest lumen, non nihil penetrare ipsas palpebras, cũ tenues sint, ita vt aliquid lucis, etiam clausis oculis interiùs producatur: quod manifesta experientia ostẽditur: si enim clausis oculis versus solem faciem conuertas, reuera aliquid luminis percipies, ita vt si manum ante oculos adhuc clausos obijcias, reuera senties impedimẽtum lucis. Nec mirum est, quia cum palpebræ sint corpora quædam tenuia, & porosa, non nihil lucis potest per illos transire.

Maiorem habet difficultatem, vtrum saltem de potẽtia absoluta, id sit possibile, ita vt per diuinam potentiá possit sentiri obiectum non existens. Et in primis supponendum est, nullam implicare cõtradictionem, Deum se solo cõseruare speciem iam semel ab obiecto productam, etiãsi tale obiectum deinde corrumpatur, sicut etiam potest illam sine tali obiecto producere. Ratio est, quia quod Deus facit medijs causis secũdis, præsertim non vitalibus, quale est vt suprà vidimus obiectũ producens speciem, potest se solo facere: imo vt docet D. Th. 3.p. q. 76. art. 8. potest Deus simul cum potentia sensitiua, causare actum sensationis sine specie impressa, quia cum illa non sit principium vitale, potest suppleri à Deo. Quærim' ergo vtrum absente obiecto si Deus eius speciem seruet, possit tale obiectũ percipi à sensu externo, vel etiam supplente Deo concursum speciei impressæ.

In qua re, partem negatiuã sequitur Gabriel in. 2. d. 3. q. 2 concl. 2. dicit enim sensationem, verbi gratia, visionẽ natura sua esse cognitionem intuitiuam, de ratione autem cognitionis intuitiuæ est terminari ad obiectũ prout præsens, hoc enim videtur importari nomine cognitionis intuitiuæ, & ita censet adhuc per diuinam potentiam esse prorsus impossibile, obiectũ absens posse percipi à sensu externo.

Secundo, quia obiectum respectu actus habet rationẽ causæ formalis, saltem extrinsecæ, actus enim specificantur per obiecta: sed genus causæ for-

formalis, non potest suppleri â Deo: ergo impossibile est obiectum non existens percipi sensu externo.

Dicendum tamen est, reuera nullâ inuoluere implicationem, per diuinam potẽtiam, obiectum non existens percipi sensu externo, si Deus se solo producat, vel cõseruet speciem impressam illius, vel saltẽ suppleat cõcursum speciei impressæ: & existimo esse cõmunem omniũ sentẽtiam, licèt ex professo nõ omnes de hac re tractẽt. Ratio enim est, quia actus sensationis physice profluit à potẽtia sensitiua informata specie impressa, ab obiecto autem dicitur prouenire remote, inquantum producit talem speciem in potẽtia: ergo si Deus se solo illam speciem conseruet, vel producat in potentia, iã daretur sufficiens principiũ actus sensationis, & ita absente, vel corrupto tali obiecto, poterit optime elici à potentia talis actus, adsunt enim omnia principia physice influentia in actum sensationis.

Et si respõdeas, quòd quãuis in hoc casu nõ requiratur ad sensationem obiectum, vt principium influens Physice in actum sensationis, tamẽ requiritur ad terminandum talem actum, est enim obiectũ terminus ad quẽ terminatur actus. Contrà est, quia hęc terminatio, nõ est Physica ad modũ, quo punctum terminat lineam, sed solũ est terminatio extrinseca per modũ obiecti, hanc autem terminationẽ etiamsi non existat à parte rei, potest habere, vt quando imaginatio versatur circa obiectũ absens, etiam dicitur obiectũ terminare illum actum, quia ad illud tendit talis actus, & ita non requiritur realis existentia ad terminandum actũ.

Ad primum argumentum Gabri. respondetur quòd vt cognitio aliqua dicatur intuitiua, non opus est terminetur ad obiectum realiter existens, satis est videatur quasi reuera existeret, ita quòd videatur in sua intrinseca entitate, & nõ in alio, qua ratione quãdo effectus cognoscitur in sua causa, aut causa in suo effectu, est cognitio abstractiua, & non intuitiua, quod non cognoscitur in se, sed in alio cognito vt quod, in nostro autem casu obiectum, licèt non existat, cognoscitur in se ipso, & non in alio, vt ꝙ cognito, species enim non videntur, vt quod, sed tantum vt quo, vt suprà.

Ad secundũ, Deũ in eo casu

nó ſupplere obiectũ adhuc enim ille actus verſatur circa ſuũ obiectum, licèt tale obiectum actu non exiſtat à parte rei, ſicut quãdo quis imaginatur rem abſentem, talis actus, ſuũ habet obiectũ, licet actu illud non ſit à parte rei.

Quæſt. II. Vtrùm ſenſibile commune, & propriũ cognoſcantur per eandem ſpeciem.

IN hac re notandum eſt in primis ſenſibile cõmune, nõ ideo tale appellari, quia omnibus ſenſibus externis ſit commune, ita vt ab omnibus poſſit percipi, vt hoc loco notarunt S. Th. & Simplicius: nam figura numeratur ab Ari. inter ſenſibilia communia, cum tamen non poſsit percipi à ſenſu odoratus, neq; à ſenſu auditus: dicitur ergo ſenſibile cõmune, quia pluribus ſenſibus percipi poteſt, licèt non omnibus ſenſibus, qua ratione viſus, & tactus percipiunt figuram obiecti ſenſibilis.

Secundò ſupponendũ eſt, quando Ari. hoc capite numerauit quinq; ſenſibilia cõmunia, ſcilicet, quãtitatẽ, figurã, quietem, numerum, & motũ, nomine quietis, non intelligi quietem formaliter ſumptam pro carentia motus, cum talis carentia, nihil reale ſit, nihil ſenſibile eſt, & ita neq; eſt ſenſibile commune, neque propriũ: debet ergo intelligi nomine quietis præſentia rei in loco permanens, & inuariata, hęc enim ſenſibilis eſt: ſimiliter per numerũ, nõ debet intelligi multitudo formaliter, ſed debẽt intelligi præſentiæ rerũ in loco, diuerſę tamen, & diſcontinuæ: nã ſi Deus plura corpora penetraret in eodem loco, viſus tantũ iudicaret eſſe vnũ corpus, cũ tamen reuera ibi eſſet multitudo corporũ. Similiter, ſi vnũ corpus poneretur in duobus locis, iudicaret viſus eſſe plura corpora, ſolùm ergo cognoſcit ſenſus præſentias illas diuiſas, & diſcontinuas, quas habent talia ſenſibilia inter ſe.

Maiorem tamen habet difficultatẽ, quid intelligatur nomine quantitatis. Communis enim plurium ſententia, quã ſequitur D. Thom. 1. part. quæſtion. 76. artic. 3. ad. 2. & hoc loco communiter interpretes, aſſerit, intelligi quantitatem de prædicamento quãtitatis. Nobis tamen, aliter dicendum eſt: cum enim in quouis accidẽti corporeo propriã ponamus extenſionem, diuerſam ab extenſione quãtitatis:

no-

nomine quantitatis, intelligẽdam esse, existimamus, extensionem illam propriam, quam color, v. g. aut quoduis aliud obiectum sensibile ex se habet, diuersam à quantitate. Quam sententiam, docuit aperte Buridanus hoc lib. q. 14. Et ratio est: nam si albedo parietis, quæ de facto habet quãtitatem, daretur, sine quantitate extensa tamen sicut modo est, visus sine dubio, eodẽ modo eam videret, ac modo videt: sed tunc non videret quantitatem, quia nulla talis esset: ergo neq; modo quantitas immutat visum, sed propria extensio coloris.

Est tamẽ aduertendũ, quod in colore duplex extensio imaginari potest, alia enim in ordine ad se, scilicet, quod in se ipso habeat partes, quæ nihil aliud est, quàm ipsa albedo habens in se partes integrales, & hæc extensio, non est sensibile commune, sicut neque ipsa albebo est sensibile commune, sed proprium visus: intelligitur ergo hoc loco nomine extensionis, illa præsentia localis, extensa in loco, quam habet albedo, aut quodlibet aliud obiectum sensibile: hęc enim præsentia localis est quędam entitas illi superaddita, apta percipi à pluribus sensibus, & ita figura hoc loco significat illam præsentiam localem, prout sic, vel sic dispositam in ordine ad situm, & ita omnia sensibilia communia reducuntur ad præsentiam localem: quies enim, vt vidimus, dicit præsentiam localem inuariatam, & permanentem, motus vero dicit eandem præsentiam continuo variatam, quia in motu, sensus nó percipit entitatem illam imperfectam, quæ est via ad præsentiam localem, sed tantùm experitur continuò variari aliam, atque aliam præsentiam, numerus vero significat præsentiam diuisam, & discontinuam. Et hinc vlterius fit, quòd quantitas de prędicamento quantitatis, non sit sensibile per se: sed per accidens. Ratio est, quia sensibile per se, tantùm est duplex, vt docuit in hoc capite Aristoteles, scilicet commune, & proprium, sed quantitas non est sensibile commune, vt ostendimus, neque proprium, quia nullius sensus est propria: restat ergo quòd sit sensibile per accidens, scilicet, per colorem, & alias qualitates tangibiles illi adiunctas.

Sed obijcies, quia ſi aliquis homo exiſtens iuxta cœlũ extenderet manum, reuera ſentiret quantitatẽ cœli, quia ſentiret ſe impediri, ne extendat brachium ab aliqua mole: ſed cœlum nullam habet qualitatẽ tangibilẽ, vt ſuo loco diximus: ergo ille homo per tactũ ſolam quantitatem cœli ſentiret: ergo quantitas eſt ſenſibilis per ſe, & non tantũ per accidens. Reſpondetur vt alias omittã ſolutiones, in eo caſu, illum hominem nõ ſentire aliquid poſitiue, ſed negatiue, vt aiunt, id eſt, ſentiret ſe impediri, non tamen ſentiret impediẽs: quod explicari poteſt exemplo de Angelo detinente aliquem, ne moueatur, in eo autem caſu, ille homo ſentiret ſe detineri, cum tamen non poſsit ſentire Angelum detinentem illum, Angelus enim inſenſibilis eſt, hoc tamen reuera, non eſt aliquid poſitiue ſentire, ſicut qui eſt in tenebris, quia ſentiat ſe non videre, non eſt vere ſentire, carentia enim videndi inſenſibilis eſt, ſed quia non videt, vnde intellectus iudicat talem hominem non videre.

Colligo ſecundò ex dictis, omne ſenſibile commune eſſe modum modificantẽ ſenſibile propriũ. Ratio eſt, quia omnia ſenſibilia cõmunia reducũtur ad præſentiam localem, vt diximus, quam ſibi propriã habet omnis qualitas ſenſibilis, ſed præſentia localis, vt oſtendimus. 4. Phy. eſt modus quidam ſuperadditus rei, quæ denominatur præſens: ergo omnia ſenſibilia communia ſunt modi ſenſibilis proprij, q̃ habet talẽ præſentiã in loco. Et hinc vlteriùs fit ſenſibilia cõmunia, nõ diſtingui ſpecie inter ſe, quia omnia important præſentiam localem, ſic vel ſic conſideratam per differentias accidentales vt explicatũ eſt.

His ergo ſuppoſitis circa præſentem quæſtionem prima ſententia aſſerit ſenſibile commune percipi à ſenſu per ſpeciem propriam illius diuerſam ab ſpecie ſenſibilis proprij. Tenet Scotus in 4. diſtin. 12. quæſtio. 3. Ianduns hoc lib. quæſtio. 18. AEgidius & plures alij loco citato, addunt tamen quòd licèt ſenſibile commune mittat propriã ſpeciem diuerſam ab ſpecie ſenſibilis proprij, tamen non poteſt cognoſci ſine ſenſibili proprio: ſicut quanuis color, & lumen ſint obiecta diuerſa, & ſorte per diuerſas ſpecies videantur, tamen non poteſt videri color

ſine

sine lumine. Fundamentũ huius sententię est. Primò, quia sensibilia primò diuersa non possunt per eandem speciem repræsentari, sed color, qui est sensibile proprium, & præsentia localis illius, quæ est sensibile commune, sunt primò diuersa, spectant enim ad diuersum prædicamentum; nam color est de prædicamento qualitatis, præsentia verò localis de prædicamento vbi: ergo impossibile est, per eandem speciem cognosci, atque adeò sensibile cõmune suam habet propriam speciem diuersam ab specie sensibilis proprij.

Secundò, quia aliàs sensibile commune esset sensibile per accidens, quia esset per aliud sensibile, scilicet per speciem sensibilis proprij.

Tertiò, quia sensibile cõmune percipitur per speciem sensibilis ꝓprij, maximè quia nõ sentitur per se solùm sine sensibili proprio. Hæc autem ratio nulla est, aliàs etiã è contrà dici posset, sensibile proprium sentiri per speciem sensibilis communis, quia etiam sensibile proprium non sentitur sine communi: neq; enim videtur albedo, nisi prout taliter præsens, & figurata; ergo nulla est maior ratio quare dicamus, sensibile commune percipi per speciem sensibilis proprij, quàm è contrà, quæ sententia, revera nõ caret sua probabilitate.

Secũda sententia huic opposita est, sensibile cõmune, & ꝓpriũ per eandẽ prorsus indi uisibilẽ speciẽ percipi. Tenet Ferra. hoc lib. q. 11. & Fonse. 2. Met. c. 2. q. 2. sect. 5. Caiet. & Palatius in hoc cap.

Tertia tamẽ, & vera sententia ànobis tenenda est, sensibile cõmune nõ percipi à sensu per speciẽ propriam, sed ꝑ speciẽ sensibilis proprij, modificatã tamen à sensibili cõmuni, ita ꝙ in specie sensibilis proprij producat sensibile cõmune quẽdam modũ repræsentatiuum sensibilis communis. Quæ sententia satis communis. Eã tenet Card. Tolet. hoc loco. q. 14. Banez. 1. p. q. 78. art. 3. dub. 3. & plures alij. Ratio autem est, quia color, v. g. non percipitur in abstracto, sed prout hìc, & nunc iacet à parte rei cum tali, vel tali præsentia locali, ita quòd color, & talis, vel talis præsentia localis, se habeant per modum vnius obiecti, veluti adæquati: ergo totum hoc repræsentatur per eandem speciem, licèt talis species modificetur à sensibili communi, ita

ita quòd variata præsentia locali, licèt color idem prorsus perseueret, repræsentatur vt aliter se habens in ordine ad præsentiam localẽ: vnde sicut sensibile commune, & proprium se habent, sicut res, & modus, vt diximus; ita species sensibilis proprij est species, quæ est res, & species sensibilis communis, est modus.

Sed obijcies: Nam quanuis relatio sit modus, tamen species intelligibilis repræsentans relationem non est modus, sed vera res: ergo similiter, quanuis sensibile commune sit modus proprij, non debet illi tantùm correspondere species modalis, sed quæ sit vera res. Respondetur negando paritatem rationis. Ratio est, quia cùm species sensibiles producantur ab obiectis ipsis immediatè, proportionantur illis, & ita sensibile, qui est modus, imprimet tantùm speciem modalem, sicut sensibile, quod est res, imprimit veram speciem realem: at verò species intelligibiles non producuntur immediatè ab obiectis ipsis externis, sed ab intellectu agente, & ita non est necessarium proportionẽtur cum suis obiectis.

Dico tamen secundò, speciem illam modalem, seu modum illum, quem sensibile commune imprimit in specie sensibilis proprij, per quẽ talem speciem modificat, esse entitatem realiter diuersam ab specie sensibilis proprij, saltem sicut modus à re. Patet planè, tùm, quia ipsum sensibile commune, scilicet præsentia localis ex natura rei distinguitur à re præsenti, quæ est sensibile proprium, vt vidimus quarto libro Physicorum: ergo postulat aliquam speciem modalem ex natura rei diuersam ab specie sensibilis proprij: species enim proportionãtur obiectis.

Secundò, quia inuariata entitate coloris potest talis color aliam, atque aliam præsentiam localem acquirere: ergo inuariata specie reali coloris iá producta in toto hoc medio, potest illa species diuersimodè modificari iuxtà diuersas præsentias illius coloris: ergo talis modus est entitas ex natura rei superaddita speciei reali coloris, correspondens sensibili communi. Et hinc colligo, quòd quando aliqua res mouetur, & postea quiescit, non perit species sensibilis proprij,

prij, sicut & ipsum sensibile proprium idem perseuerat, sed tantùm corrumpitur modus proueniens ab illo sensibili communi, scilicet à motu, qui iam cessauit.

Sed dubitari potest hoc loco, an quando idem sensibile commune secundum speciem, scilicet præsentia localis, modificat species diuersæ rationis, verbi gratia, speciem coloris, & speciem saporis, producat in illis speciebus modos diuersæ rationis. Plures enim tenent partem affirmatiuam, tamen probabiliùs existimo, tales modos esse eiusdem rationis, sicut & ipsa sensibilia communia, modificátia tales species, sunt eiusdem rationis. Ratio est, quia talis motus superadditus speciei sensibilis proprij, est aliquid præcisè correspondens sensibili communi, scilicet præsentiæ locali; sed præsentia localis coloris, & saporis, non differunt specie, vt patet ex dictis 4. Physicorum, ad modum, quo albedo in homine, & in equo, non differunt specie: ergo modi præcisè correspondentes tali sensibili communi, nõ differunt specie, oriuntur enim præcisè à sensibili cõmuni, non verò à proprio. Nec mirum est, species diuersæ rationis modificari per modos eiusdem rationis, sicut ipsa præsentia localis, quæ modus quidam est, non differt specie in colore, & sapore, & ita modificat res diuersæ rationis.

Ex dictis colligitur, idem esse dicendum respectu speciei expressæ, qua sensus percipit sensibile commune, scilicet, quòd in illa correspondeat quidam modus repræsentans sensibile commune superadditus speciei expressæ sensibilis proprij, & ille modus est eiusdem rationionis, quantumuis species expressæ sensibilũ propriorum sint diuersæ rationis, proportionatur enim species expressa speciei impressæ, & hæc cum obiecto, à quo oritur.

Tandem ex dictis facile est respondere ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum respondetur, quòd quanuis sensibile commune, & proprium sint primò diuersa, inquantum sunt diuersi prædicamenti, quia tamen faciunt aliquid vnum per modum concreti, qua ratione color, & presentia faciunt colorem præsentem, ideò non mirum est, per eandem

dem ſpeciem, ſcilicet modificatam poſsint percipi.

Ad ſecundum, ſenſibile cõmune eſſe ſenſibile per ſe, quia per ſe ipſum immutat ſenſum, inquantum producit modum quendam illi correſpondentem, in quo differt à ſenſibili per accidens, quale eſt ſubſtantia, hæc enim nihil mittit in ſenſum, quo percipiatur, ſed ſentitur per accidens illi adiunctum, ſcilicet per cõlorem.

Ad tertium, quòd quamuis ſenſibile commune, & proprium cognoſcantur ſimul, tamen potiùs ſenſibile commune dicitur modificare ſpeciẽ ſenſibilis proprij, quã è contrà; quia (vt dictum eſt) ſpecies proportionatur obiecto: vnde, quia potiùs ſenſibile cõmune eſt modus ſenſibilis proprij, quàm è cõtrà, potiùs enim præſentia localis eſt modus coloris, quã è contra, ideò etiam in ſpecie, id, quod eſt modale, correſpõdet ſenſibili communi, ſpecies verò ſenſibilis proprij eſt res modificata per modum ortum à ſenſibili communi.

(.?.)

Quæſt. III. Vtrùm ſenſibile cõmune poſsit percipi abſque proprio, & è contra.

HÆc quæſtio tã poteſt intelligi de potentia naturali, quàm de potentia abſoluta: vnde dico primò, naturaliter impoſsibile eſſe, quòd percipiat ſenſus ſenſibile commune abſque proprio, v. g. præſentiam localem abſq; colore, vel alia re ſenſibili præſenti. Ratio eſt facilis, quia non poteſt in re ipſa exiſtere ſenſibile commune abſq; proprio, neque enim poteſt dari præſentia, quæ non ſit in colore, vel in alia qualitate ſenſibili: ergo ſemper quòd ſenſibile commune immutat ſenſum, etiam ſenſibile propriũ illi adiunctum, ex natura rei immutat eundem ſenſum, atque adeò per naturam impoſſibile eſt, ſenſibile commune percipi ſe ſolo abſque proprio. Tùm etiam, quia ſenſibile commune, vt vidimus, non ſentitur per ſpeciem propriam, ſed per ſpeciem ſenſibilis proprij modificatam ab illa: ergo ex natura rei impoſſibile eſt percipi abſque ſenſibili proprio.

Dico ſecundò, etiam per naturam impoſsibile eſſe, q̃ percipiatur ſenſibile propriũ ſine

sine sensibili communi. Ratio est, quia sensibile proprium numquàm potest dari sine sensibili communi, neq; enim potest dari à parte rei color, aut aliud obiectum sensibile, nisi habeat à parte rei præsentiam realē alicubi: ergo si sensibile propriū potest immutare sensum, etiam id poterit sensibile commune illi adiunctum, atq; adeò per naturā, impossibile erit percipi sensibile proprium sine communi. Ratio vero à priori sumitur ex differentia, quæ versatur inter sensum, & intellectum, nam intellectus ob suam perfectionem est potentia abstractiua, scilicet, quæ potens est percipere obiectum abstrahēs ab hîc & nunc, vt quando percipit rem vniuersalem, sensus verò non est potentia abstractiua, & ita necessariò percipit suum obiectum, prout hîc, & nunc se habet à parte rei secundum circunstantias loci, & temporis, & ita impossibile est, cognosci sensibile proprium, absque communi, illi adiuncto, scilicet, absq; præsentia locali.

Imò hinc dico tertiò etiam per diuinam potentiam absolutam fieri non posse, vt sensibile propriū percipiatur absque communi, id enim implicat contradictionem. Et probatur, nam essentialiter conuenit potentiæ sensitiuæ, quod non sit potentia abstractiua, sed potiùs concernens hîc & nunc, neq; enim hoc conuenit sensui per aliquam entitatem superadditam, sed per suam essentiā: ergo cū Deus, non possit immutare rerū essentias, necessariū est, vt sensus percipiat suum obiectum, vt hic & nunc existens: sed implicat contradictionem dari à parte rei obiectum aliquod existens, quin habeat præsentiam realem alicubi, vt vidimus. 4. lib. Physi: ergo de primo ad vltimum, implicat cōtradictionem percipi à sensu aliquod sensibile propriū sine sua præsentia locali, atq; adeò, sine sensibile communi.

Dico quartò, neq; sensibile cōmune posse percipi absq; proprio etiam per diuinam potentiam. Et probatur primò ab inconuenienti, quia aliàs posset, verbi gratia, visus percipere aliquid, quod non est coloratum, quod est inintelligibile, non minus quòd auditus percipiat aliquid, q̄ non sit sonus. Sequella vero probatur, quia præsentia localis, quæ est in colore, non est color, sed aliquid adiacens, & superadditum colori: ergo si illa sola absq; colore videri

poſſet, iá viſus aliquid poſſet videre, quod nó ſit coloratũ.

Dices, hoc nullũ eſſe inconueniens, quia de facto, quãdo quis intuetur cœlum, non videt colorẽ aliquem, cœlum enim caret colore. Tamen contrà eſt, quia lumen cœli ſaltem eſt color apparens, apparet enim per modũ cærulei coloris & ita impoſsibile eſt videri aliquid, quod non ſit color, vel rerus, vel apparẽs. Præſentia autẽ localis coloris, neq; apparens color eſt, quia præſentia localis coloris, & ſoni, v.g. nó differunt ſpecie: ſed preſentia localis ſoni, neq; apparenter eſt color: ergo neq; preſentia localis coloris, per ſe, & preciſſe ſumpta.

Secũdò probatur, quia ſenſibile cõmune nó imprimit propriam ſpeciẽ in ſenſu, ſed tantũ modificat ſpeciẽ ſenſibilis proprij: ſed ille modus, quem cauſat, neq; per diuinã potentiã poteſt eſſe, abſq; ſubiecto, q̃ modificet, vt patet ex doctrina generali de modis tradita. 1. Phyſi. ergo implicat cõtradictionẽ percipi ſenſibile cõmune ſine proprio: neq; cõtra dicta video aliquid, quod ingerat difficultatẽ: id enim q̃ hoc loco obijci poſſet de quãtitate cœli, quã ſi quis tãgeret, perciperet ſine qualitatibus tangibilibus, quibus cæret, ſuperiori quæſtione explicatum eſt.

Quæſt. IIII. Vtrũm obiectum indiuiſibiliter exiſtens poſſit ſenſu percipi.

TVnc res aliqua exiſtit indiuiſibiliter quando licet aliàs ſecundũ ſuam naturam ſit extẽſa, & habeat partes, tamẽ ſupernaturaliter tota correſpondet cuilibet parti minimæ ſpacij: quare Corpus Chriſti Domini, eſt in Sacramento Euchariſtiæ, modo indiuiſibili, quia totum eſt in quauis minima parte hoſtiæ, & ita habet ibi præſentiam Sacramentalẽ indiuiſibilẽ. Quærimus ergo, an corpus aliquod, ſic exiſtens, poſsit ſenſu percipi, & an oculis poſsit videri.

In qua quæſtione prima ſententia affirmat, non ſolũ naturaliter, ſed etiã per diuinam potentiam repugnare, quod obiectum indiuiſibiliter exiſtẽs ſenſu aliquo percipiatur. Tenet Paludanus, & Capreol. in 4. d. 10. q. vltima. Ricard. art. 5. Fundamentũ eſt, quia ſi preſentia indiuiſibilis poſſet ſenſu percipi, ergo poſſet facilè oculus videre puncta alicuius corporis, quæ habent præſentiam indiuiſibilem, in ſpatio in-

indiuisibili, sibi correspondẽti, vnde nullus dubitare posset, an dentur puncta in qualibet magnitudine, quod tamen plures negant. Signum ergo est, præsentiam indiuisibilem, nullatenùs posse sensu percipi.

Secundò, quia talis modus essendi in loco indiuisibiliter, est maxime similis præsentiæ Angeli, est enim Angelus totus in quauis minima parte spacij. Sed præsentia Angeli, non potest adhuc per diuinã potentiam percipi sensu, aliàs res spiritualis posset sentiri: ergo neque potest sensu percipi obiectum sensibile, habens tamen præsentiam indiuisibilem.

Secunda sententia huic extremè opposita est, asserentiũ, id esse possibile, non solũ supernaturaliter, sed etiam per naturam, dato casu, quod per miraculum, obiectum sensibile haberet illum modũ essendi. Tenet Gabr. lect. 4. ocham in. 4. d. 10. q. 4. Maior ibidem quæst. 5. addunt tamen de facto non videri Christum Dominum existentẽ sub hac præsentia indiuisibili sub speciebus panis, speciali Dei voluntate impedientis talem visionem.

Vt tandẽ rẽ hanc explicemus, aduertendũ est quæstionẽ hãc multipliciter posse intelligi. Primò quidẽ, si fingamus sensum habere præsentiã indiuisibilẽ supernaturaliter, sicut obiectũ ipsum talẽ præsentiã indiuisibilem habet. Secũdò, si fingamus sensum habere præsentiã indiuisibilem, obiectũ tamen præsentiã diuisibilem sibi connaturalem. Tertiò, ita vt sensus sit in sua naturali præsentia diuisibili, obiectum vero habeat præsentiam indiuisibilem, in quo sensu habet quæstio præcipuè difficultatem.

Vnde dico primò, obiectũ existẽs modo diuisibili & cõnaturali, non posse per naturã percipi à potẽtia existenti indiuisibiliter, bene tamẽ supernaturaliter. Probatur prima pars conclusionis, quia obiectum illud, vt per naturã possit percipi, deberet imprimere in potentia sensitiua speciem existentem indiuisibiliter, vt esset proportio inter potentiam & speciẽ, talis autem modus præsentiæ est supernaturalis, sed nulli agenti naturali est debitus cõcursus ad producendũ effectũ supernaturalẽ, quia est supra naturã suã: ergo per naturam obiectũ naturali modo existens, non potest immutare potentiam

ſenſitiuam exiſtentem indiui ſibiliter. Et hinc etiam patet, id repugnare per naturã, ſi fin gamus tam potẽtiam quã ob iectum eſſe indiuiſibiliter, cũ enim operari ſupponat eſſe, ſi cut tunc, tale obiectũ habet modum eſſendi ſupra natu ralem, ita & operari eſſet illi ſupernaturale, vt latiùs pro ſequuti ſumus in lib. Phyſi.

Secunda vero pars conclu ſionis ſcilicet, quod ſuperna turaliter id non repugnaret. Probatur, quia poſſet Deus ſu pernaturaliter eleuare illud obiectum, vt produceret ſpe ciem indiuiſibiliter exiſtentẽ, atq; adeò proportionatam ip ſi potentiæ, vel poſſet ſe ſolo talem ſpeciem producere re preſentatiuam illius obiecti, vel ſine ſpecie concurrere ſpe ciali concurſu cum potentia ſupplendo vicem illius, quod enim facit medijs cauſis ſecũ dis, præſertim non vitalibus, qualis eſt ſpecies impreſſa, po teſt facere ſe ſolo: ergo his omnibus modis non inuoluit contradictionem tale obiectũ percipi à potẽtia ſenſitiua in diuiſibiliter exiſtenti. Quare ſolũ reſtat difficultas, an obie ctũ indiuiſibiliter exiſtẽs, poſ ſit percipi à potentia exiſten ti, modo diuiſibili, & connatu rali.

Et in hoc dico primò: per naturam id eſſe impoſsibile, adhuc ex ſuppoſitione prio ris miraculi, ratio eſt, quia præ ſentia illa ſupernaturalis eſt, & ita ſupra naturam potentiæ naturalis ſenſitiuæ: ergo natu raliter non poteſt percipere obiectum, tali modo exiſtens.

Dico tamẽ ſecũdò: per diuinam potentiam non repug nat percipi ſenſu obiectũ ali quod indiuiſibiliter exiſtens, tenet Scotus in 4. diſt. 10. q. 9. Bonauen. q. vltima Alexand. 4. p. q. 4. membro. 3. artic. 2. & exiſtimo eſſe mentem S. Tho. in 4. d. 10. q. 1. a. 4. quæſtiũcula 2. ad 1. & d. 11. q. 3. ar. 1. ad 4. v bi dicit, oculum Chriſti exiſtentis extra Sacramentũ, qua liter eſt in cælo non videre ſe ipſum, prout eſt in Sacramen to, niſi forte, inquit, per mira culum: ſentit ergo id poſsibi le eſſe per miraculum, &. 3. p. q. 76. ar. 7. ad. 2. dicit, oculum Chriſti exiſtentem in cœlo vi dere Chriſtum exiſtentem in Sacramento.

Et ratione probatur, quia ſicut color eſt aliquid percep tibile per viſum, ita etiam præ ſentia realis coloris percepti bilis eſt per viſum: ſed ſi Deus crearet colorẽ aliquẽ ſuperna turalẽ, non repugnaret viſum eleuari ad videndum illum: er-

ergo neque debet repugnare, eúdem visum eleuari ad vidēdam præsentiam supernaturalem obiecti sensibilis, existentis indiuisibiliter. Nec satisfacit, quòd autores cōtrarij respondent, esse diuersam rationem, nam talis color supernaturalis adhuc continetur intra latitudinē obiecti visus, quia est quid coloratum, & ita non repugnant visum eleuari ad videndum illum: at vero præsentia illa cū indiuisibilis sit, non est aliquid sensibile, neq; aptum sensu percipi. Nam cōtra est, quia non minùs pertinet ad visum præsentia coloris, quàm color, sed color etiamsi supernaturalis sit, continetur per illos intra latitudinē obiecti visus adæquati; ergo etiam præsētia supernaturalis ipsius coloris, debet contineri intra latitudinē obiecti visus, quod enim hæc præsentia sit diuisibilis, solum poterit impediri ne naturaliter videatur, tamen quod supra naturaliter id repugnet, nulla profecto apparet euidens implicatio cōtradictionis, & ita non est denegandum diuinæ omnipotentiæ.

Et hinc oritur differētia inter saporem, aut sonum, & inter colorem indiuisibiliter existentem, quia adhuc per diuinam potentiam, non potest visus percipere saporem, aut sonum, eo quod non continētur intra latitudinem obiecti visus, implicat enim videri, ni si id, quod visibile est, audibile autem non est visibile: at verò color, & præsentia coloris sunt obiecta pertinentia ad visum, & ita quanuis color habeat præsentiam supernaturalem, modo indiuisibili, nó excedit limites obiecti visus, licèt sit supernaturaliter.

Ad argumēta autem primæ sententiæ respondetur ad primum, quod quando videtur superficies albedinis, etiā videntur puncta, quæ sunt in illa, hoc tamen adeò confuse, & imperfecte, vt circa singula indiuisibilia non discernat visus, sed omnia simul prout integrant illam superficiem, videat. Sicut etiam partes proportionales minores, & minores, ita confuse videt, vt inter singulas earum non possit discernere, cū tamen illę partes sint longe maiores punctis.

Ad secūdam esse diuersam rationem de præsentia Angeli, hæc enim spiritualis est, & ita natura sua excedit limites obiecti sensibilis: at vero præsentia obiecti sensibilis materialis est, & corporea in sua en-

entitate, licet sit modo indiuisibili, sicut quamuis Christus Dominus sit in Sacramento Eucharistię indiuisibiliter, est tamen in se corporeus, & ita cum aliàs præsentia obiecti sensibilis sit, non debet repugnare vt sensu percipiatur, tametsi indiuisibiliter existat.

Quæst. V. Vtrùm sensus possit falli circa sensibile proprium.

ARist. in hoc capite eãdem differẽtiam assignauit inter sensibile commune, & proprium in ordine ad sensum, quòd circa sensibile propriũ sensus non erret, vt visus circa colorem, bene tamen circa sensibile commune. Quę verba nõ carent difficultate, nam vel Aristoteles loquitur de his obiectis, quando sunt debito modo approximata sensibus, & tunc in neutro sensibili fallitur, quia quando color est debito modo approximatus, etiam facile est intueri an corpus illud coloratum, moueatur, vel quiescat, aut quam habeat figuram. Si autem loquatur, quando obiectum, nõ est debito modo approximatũ, sed in magna distantia, tunc etiam potest falli circa suum sensibile proprium, nam obiectum à longe existens sæpe apparet diuersi coloris ac reuera debet: ergo vtriusq; est ęqua ratio, quomodocumq; loquimur.

Quare vt hac in rẽ omittã varias autorum expositiones, in quibus etiam ipsi non parùm errant, non placet mihi eorum sententia, qui asserunt, rem hanc esse hoc modo intelligendam, quod sensus nõ potest errare circa sensibile proprium, secundum rationẽ generalem cõsideratum, licèt, possit errare circa singularem rationem illius, verbi gratia, quãuis visus possit falli an hic color sit albus, aut niger, tamen circa rationem genericam coloris, non potest falli, semper enim iudicat esse aliquem colorem, quia nihil potest percipere, nisi sub ratione coloris, at verò circa sensibile commune adhuc in generali potest falli, dum corpus motum iudicat quiescere, vbi adhuc circa rationem generalem motus errat.

Hic, inquam, modus dicendi mihi non placet, nam etiam circa rationem genericam sensibilis non potest errare, vt enim suprà vidimus, motus & quies, hoc loco, quando enumerãtur ab Aristotele in-

ter sensibilia communia, significant præsentiam localem, tali, vel tali modo sumptam. Motus quidem significat præsentiam localem, prout continuò variatam & mutatam. Quies vero significat præsentiam localem, prout inuariatam & permanentem, sed sensus quamuis erret in hoc, an talis præsentia varietur, vel non, tamen circa rationem generalem præsentiæ non potest falli, necessarium enim est cognoscat colorem alicubi esse, quomodocumque illud sit: ergo in hoc æqua est ratio de sensibili communi, & de proprio.

Quare his omnibus omissis Aristoteles hac ratione est interpretandus, non quidem, quod sensus, non possit errare circa sensibile proprium, sicut circa sensibile commune, sed quod facilius erret circa sensibile commune, quã circa proprium, applicato vtroq; in eadem distantia: nam multoties, posito colore in eadem distãtia, in qua sufficienter discerni possit, an sit color alb⁹, vel niger, fallimur circa sensibile commune, scilicet, an moueatur, vel quiescat, & an habeat hanc vel illam figuram. Nec disputo modo, vtrum in sensibus sit veritas, aut falsitas, sicut in intellectu, scilicet tamquam in dicente, certum enim est, solum reperiri in sensu veritatem, aut falsitatem simplicem, non vero tamquam in dicente, sensus enim nihil iudicant vero iudicio compositiuo, aut diuisiuo, sed tantùm simplici cognitione, eaq; imperfecta, apprehendunt sua obiecta.

Est tamen hoc loco aduertendum, quasdã requiri conditiones, vt sensus non erret circa suũ sensibile propriũ. Prima est, quòd tale obiectũ sit illi propositum indebita distantia, defectu cuius circa colorẽ longe positum, facile errat visus, requiritur etiã, quod tale obiectum videatur per debitũ medium, defectu cuius, visus dum intuetur arbores in fluuio, iudicat eas esse fractas, eo quod aqua, in qua tales species recipiuntur, per cõtinuũ fluxum taliter commouetur, vt tales species non repręsentent obiectum, sicuti est. Simile quid est, quãdo color albus videtur per vitrum viride, vbi talis color apparet viridis. Requiritur etiã, q̃ organũ sensus sit recte dispositum per qualitates ibi connaturales & debitas, respectu cuius infirmi, nõ recte iudicãt de saporibus, ita vt dulcia illis amara videantur,

tur,

tur; habent enim organũ gustus praue disposítum, ratione morbi.

Et si obijcias, nam adhuc his positis, adhuc sensus errat circa proprium sensibile, qualiter visus colores illos, qui apparent in Iride, veros esse iudicat, cũ tamen nõ sint veri colores, sed causentur ex reflexione lucis. Respõdetur etiam, hunc errorem oriri ex distantia obiecti, nam si visus nimis esset proximus tali Iridi, iudicaret ibi tãtum esse lumen, & non colorem aliquem verum.

Caput. VII. De visu.

INcipit iam Arist. disputare in particulari de sensibus, & primò agit de visu, qui præstãtior est omnibus alijs, tũ etiã quia habet obiectum prẽstantius omnibus alijs, lumen scilicet, & colorem; tum etiam, quia ad maius longe spatium se extendit, quàm alij: videmus enim res à longe, quas tamen alijs sensibus percipere nõ valemus. Duo autẽ agit: in priori agit de obiecto visus, eo quòd potentiæ dignoscũtur per obiecta: in posteriori vero agit de medio per quod immutatur visus: dicit ergo Ari. *Visibile illud esse, quod visu percipi potest, quale est, inquit, color, & lumẽ*, colorem autem definit sic. *Est motiuus perspicui in actu*, appellatur autẽ perspicuum corpus diaphanũ illuminatum, & ita cum color mittat species suas per corpus diaphanum illuminatum, meritò definitur, quod sit motiuus actu perspicui: perspicuũ verò, dicit esse id, quod secundum se nõ est visibile, sed per alienum colorẽ, & merito id docet, aerem enim quantũuis illuminatũ, nõ videmus, quo vsq; terminatur visio ad corpus opacũ, vel ad aliquid obscurum: lumen vero definit, dicens, quod sit actus perspicui, vt perspicuum est, id est lumi nosi: quę potius est explicatio quædam luminis, quàm vera & rigurosa definitio. Ratio est, quia cũ vt suprà vidimus, semper loco nominis definiẽtis, liceat ponere eius definitionem, & cum perspicuũ sit corpus diaphanum habens lumen, iam licèt dicere, lumen esse actum corporis diaphani habentis lumẽ, & ita definiretur lumen per se ipsum: ne ergo vitium hoc in Arist. admittamus, consultius erit dicere prædicta verba, potius explicationẽ quandam luminis continere, quàm veram & rigurosam definitionem.

Dein-

Deinde impugnat sententiam antiquorum asserẽtium, lumen esse corpus quoddam, qualiter Plato dixit esse quemdam ignem. Empedocles vero corpus quoddam diuinũ. Democritus verò, rasuras corporis lucidi: ostendit ergo cõtra hos omnes, lumen nullatenus esse corpus. Primò quidẽ, quia lumen est in corpore, scilicet in diaphano, adhuc in eius profunditate, si ergo lumen etiam est corpus, iam daretur penetratio dimensionũ.

Secundò, quia tenebræ, & lumen opponuntur, sed tenebræ dicũt priuationẽ luminis in aliquo corpore, scilicet in diaphano: ergo lumen potiùs est qualitas existens in corpore, quàm corpus. Dicit deinde inter visibilia quædam videri in lumine, qualis est proprius vniuscuiusque corporis color: alia verò sunt, quæ videntur in tenebris, vt noctilucę, quę sunt quædam animalia nocte tantùm splendẽtia, propter exiguam lucem, quã ex se mittunt, & ita quanuis eorum color per diem videatur, non tamen eorum lux.

In secũda parte capitis agit Arist. de medio, per quod immutatur visus, & inquit, necessarium esse medium aliquod, quia sensibile positum supra sensum nó sentitur. Cuius rei inquit, argumẽtum est, quod si quis corpus coloratum super ipsum oculum apponat, non videbit illud: vnde reijcit sententiam Democriti, asserẽtis, quòd si spatiũ hoc interceptum in ternos, & cœlũ, vacuum esset, possemus nos optime videre formicam per cœlũ ambulãtem, quod, inquit, falsum est, quia sensus non patitur immediatè ab obiecto, sed per speciem priùs receptã in medio: si ergo medium vacuum sit, nihil per illud videri potest. Tandem dicit medium, per quod immutatur visus, esse aerem, vel aquam, medium autem, per quod immutatur auditus, aquam.

Disput. VI. De visu.

IN disputationibus de singulis sensibus, non solũ de sensu ipso, sed etiam de eius obiecto, & organo, & de omnibus alijs ad ipsum concurrentibus disputabimus, hęc enim omnia ad exactam cuius libet sensus cognitionẽ ordinãtur.

Quæst. I. Quid sit lumen, & quomodo videatur.

DE natura luminis varias refert antiquorum sentẽ-

tias Auicen. lib. 6. part. 3. cap. 2. quibuſdam aſſerentibus, lumen eſſe corpus quoddam, vt Plato, & Empedocles dixit, alijs vero aſſerẽtibus eſſe formam quandam ſubſtantialem deriuatam à corpore luminoſo; alijs vero aſſerentibus eſſe ſubſtantiam quandam ſpiritualem.

Tamen vt à notioribus procedamus. Primò certum debet eſſe in hac quæſtione, q̃ lumen, nõ ſit corpus aliquod, & præter duas illas rationes, quas Ariſtoteles conficit in litera, ad id probandum, quæ reuera ſunt efficaces, poteſt tertia ratio adiungi. Quia lumen natura ſua eſt aptum diſundi per medium in inſtanti, qualiter ſol, in eo inſtanti, quo à Deo creatus fuit, ſine dubio illuminauit ſpatium aliquod in inſtanti: ſed per naturam impoſsibile eſt, corpus aliquod moueri, & diſundi per ſpatium aliquod in inſtanti: ergo lumen non eſt corpus aliquod.

Secũdò certum eſſe debet, q̃ quanuis lumen non ſit corpus, ſit tamen accidens aliquod corporeum, inhæſiue exiſtens in corpore, & non aliquid ſpirituale. Ratio eſt, quia cum lumen, vt experientia patet, ſit aliquid viſibile, nihil autem ſpirituale viſibile eſt, nec poteſt produci ab agente corporeo, qualiter experimur luminoſum corporeum producere lumen: ergo lumen non eſt aliquid ſpirituale: vnde tertiò certum eſſe debet, lumen non eſſe formã aliquam ſubſtatialem, ſed accidentalem. Ratio eſt, quia forma ſubſtantialis nõ poteſt per naturam expelli ſine introductione alterius, ne detur materia ſine forma: ſed lumen expellitur abſq; introductione formæ poſitiuæ per ſolam introductionẽ tenebrarũ: ergo non eſt forma aliqua ſubſtantialis, ſed accidentalis, ſcilicèt, qualitas, quędam de ſpecie potentiæ, eſt enim principium agendi in corpore luminoſo, non minus quã calor in corpore calido.

Solùm ergo eſt quæſtio inter Philoſophos huius temporis, vtrum lumen ſit qualitas realis, vel intentionalis, id eſt vtrum lumen ſit ſpecies intentionalis, repræſentãs obiectum aliquod, vel potius qualitas realis condiſtincta contra ſpeciem intentionalem, ad modum, quo color, non eſt qualitas intentionalis, ſed realis repræſentata per aliam ſpeciem intentionalem.

In

In qua re prima ſentẽtia affirmat; lumẽ deriuatũ per medium à corpore luminoſo eſſe qualitatem intentionalem repræſentatiuam lucis exiſtẽtis in tali corpore. Tenet Scotus in 2. diſt. 13. quæſt. vnica. Ægidius & Caiet. Thienenſis hoc loco. Et fundamentũ eſt, quia ſi lumẽ eſſet qualitas realis, & non intentionalis: ergo lumen dum eſt ſuper oculum impediret ſenſationem, ſicut color ſi ponatur ſuper oculũ impedit viſionẽ: ſed experientia conſtat lumen contiguum cum oculo nõ impedire, imò iuuare ad viſionẽ: ergo lumen eſt qualitas intentionalis, non realis. Alij vero aſſerunt, lumẽ ſimul eſſe qualitatem realem, & intẽtionalem, ita quod per ſe ipſum videatur.

Tamen dico primò: tam lucem, quàm lumen, quomodocũq; differant (de quo infra) eſſe qualitates reales, & nõ ſpecies intentionales, alterius luminis, aut lucis. Eſt ſententia S. Tho. hoc lib lect. 14. & 1. p. q. 67. ar. 3. Alberti, Philoponi, & Ferrarienſis hoc loco. Et probatur ratiõne, quia ſpecies intentionalis, eſt diuerſæ ſpeciei à qualitate reali, quam repreſentat (vt ſupra) ſicut ſpecies coloris, & color ſpecie differunt: ſed lumen, ſeu lux exiſtens in corpore luminoſo, non differt ſpecie à lumine, ſeu luce producta in medio, non ſecus quàm calor exiſtens in medio, non differt ſpecie à calore ignis producẽte illum. Præterea, nec lũmen repræſentat colorem, habet enim color aliam ſpeciem viſibilem, per quam videatur: tum etiam, quia non poteſt aſsignari ratio, quare magis repræſentet album, quàm nigrum, cum ad viſionem cuiuſuis coloris requiratur lumen: ergo lumen, ſeu lux, nulla ratione eſt qualitas intentionalis, ſed realis.

Secundò, quia ſi lumẽ, verbi gratia, receptũ in ære eſſet ſpecies intentionalis luminis exiſtentis in ſole: ergo per lumẽ reflexũ in pariete videremus lumen exiſtẽs in ſole, etiamſi ſol atergo ſit, ſicut per ſpeciẽ viſibilem reflexã in ſpeculo, videmus hominem etiã atergo exiſtentem, conſequẽs autem eſt contra manifeſtam experientiam: quia per lumen reflexum ex pariete nõ videmus ſolem atergo exiſtẽtem, nec aliquid in illo videmus: ergo euidens inditium eſt, lumẽ non eſſe qualitatem intentionalem, ſed realem.

Tertiò, quia in lumine expẽrimur effectus reales, quos in

nulla qualitate intẽtionali experimur: ergo non eſt qualitas intentionalis. Antecedẽs probatur, quia lumen eſt viſibile vt quod, vt patet, ſpecies verò intentionales non ſunt viſibiles vt quod (vt ſupra). Præterea lumen Phyſice calefacit, & exicat, qui omnes ſunt qualitatis realis effectus, non verò intentionalis, ſpecies enim coloris nihil horum habet.

Ex his dico ſecundò, omne lumen percipi per ſpeciem intentionalem diuerſæ rationis ab illo, non minùs, quàm color percipitur per ſpeciem viſibilem, ſpecie differentem â colore ipſo. Quam concluſionem conſequenter tenẽtur amplecti autores citati prima concluſione. Tenet etiam Palatius hoc loco & Card. Tole. q. 18. Patet ex dictis, quia omnis qualitas realis indiget ſpecie intẽtionali diuerſæ rationis ab illa, per quam videatur, ſed lumen eſt qualitas realis, & non intentionalis, vt probatum eſt, ergo indiget vt percipiatur ſpecie quadam intentionali diuerſæ rationis ab illo.

Secundò, quia quando videmus lumen exiſtens in pariete diſtanti, tale lumen non poteſt immutare potentiã viſuã immediate per ſe ipſum, cum diſtet ab illa: neq; etiã poteſt videri per lumen exiſtens in medio, quia hoc nõ differt ſpecie à lumine exiſtente in pariete, qualitas autem repreſentatiua neceſſariò debet differre ſpecie à qualitate repræſentata, vt ſpecies coloris à colore, aliàs non eſſet maior ratio, quare vna ſpecies repreſentaret aliam, quàm è contra: ergo lumẽ percipitur per quãdam ſpeciem intentionalẽ ab ipſo miſſam diuerſæ rationis ab illo.

Et hinc fit omnino repugnare, quòd lumẽ ſit ſimul qualitas realis, & intentionalis, vt plurimi cõmuniter exiſtimãt in hac noſtra Academia. Ratio eſt, quia ſi lumen aliquid repræſentaret, maxime aliud lumen, non enim colorem, vt vidimus, ſed lumen non poteſt repreſentare, vt probatum eſt in exemplo Solis atergo exiſtentis, cuius lux ab illo cauſata, quamtumuis reflectatur in pariete vſq; ad noſtram potẽtiam viſiuam, non cauſat viſionem ſolis, nec lucis exiſtentis intra ipſum ſolem. Tum etiã quia repreſentare, eſt quædam differentia qualitatis maxime conditincta cõtra qualitates, non repræſentatiuas, & ita impoſsibile eſt, eãdem qualitatẽ ſimul eſſe realẽ, & intẽtionalẽ.

Nec

Nec dici potest lumen ob magnam suam perfectionem vtrumq; hoc simul habere, id enim est gratis dictum, satis enim est lumen sit perfectissima qualitas inter omnes qualitates reales, non tamen debet intelligi quòd simul sit qualitas realis, & intentionalis.

Dico tertiò, inter lucem & lumen non esse differentiam essentialem, & specificam, sed solum accidẽtalẽ, penes hoc quod lumẽ est illud, quod est permanenter & ab intrinseco in luminoso, quale est lumen Solis: lux verò est lumen deriuatum ab illo in medium per modum transeuntis. Est sententia S. Thom. de veritate. q. 9. art. 1. & hoc lib. lect. 14. quam Card. Tolet. & fere omnes iã communiter sequuntur, & patet, quia ad sensum reuera nulla est differentiã inter lumen existens in candela & in aere: si densiratẽ materiæ excipias, lumen enim in cãdela existẽs densiorem habet materiã, quã in aere, neq; aliàs si in sola ratione stemus, est sufficiẽs fundamentum ad probandum talem distinctionem essentialẽ, præsertim cũ ostensum sit lucem non esse speciem luminis: ergo non est ponenda talis distinctio essentialis.

Dico quartò lumẽ esse qualitatem actiuam tam actione æquiuoca, quàm actione vniuoca: de actione æquiuoca patet: tum quia vt probatum est, producit in potẽtia visiua speciem intentionalẽ diuersæ rationis ab illo, per quã videatur, tum etiam, quia lumẽ producit calorem. Quod verò etiam sit actiuum actione vniuoca, patet, quia luminosum producit in medio sibi contiguo aliud lumen: sed hoc non differt specie à lumine existẽte in luminoso, vt ostensum est: ergo etiã est actiuũ actione vniuoca.

Ad fundamentũ primę sententiæ supra adductum respõdetur esse diuersam rationem de lumine, & de alijs qualitatibus visibilibus, lumen enim, quia natura sua requiritur ad visionem, eam habet naturã, vt propter sui perfectionem non impediat visionem, aliorum colorum, aut alterius luminis, quod non habent alia obiecta sensibilia ob suam imperfectionem, neq; vnus color requiritur ad visionem alterius, sed potest quilibet sine alio videri.

Supersunt hoc loco duę dubitationes. Prima est vtrũ quãdo lumen recipitur in corpore opaco, vt quando lumen reci-

recipitur in pariete ab coque reflectitur, ibi tãtum recipiatur lumen in ſuperficie vltima parietis, vel etiam in profunditate. Et breuiter dicendum eſt, non tantùm recipi in ſuperficie vltima illius, ſed etiam in profunditate. Ratio eſt, quia ſi tantum reciperetur lumen in ſuperficie corporis opaci, iam daretur ſuperficies luminis ſine partibus profundis luminis, quod non minus repugnat per naturã, quã dari ſuperficiem quantitatis ſine partibus profundis: daretur enim indiuiſibile ſeparatum à continuo, & hinc fit, quod corpus opacum, non ita diſtinguatur à diaphano quod ſit prorſus incapax lucis in eius profunditate, ſed in hoc, q̃ diaphanum eſt capax luminis intenſi, opacũ vero nõ niſi nimis exigui luminis, & in aliquali profunditate, quod ſi fingerem' produci à Deo corpus aliquod, ita perfectiſsime opacum, vt nullius lucis in ſua profunditate eſſet capax, nec poſſet in eo recipi per naturam lumen in ſuperficie, ne detur indiuiſibile ſeparatum à continuo, habet enim indiuiſibile ex natura rei dependentiam à partibus, quibus adhæret, & non tãtum à ſubiecto inhæſionis. Denique de hac re plura dixi. 1. lib. de generatione cap. 4. legantur ibi dicta.

Vltima dubitatio eſt, vtrum per naturã poſsibile ſit, quòd dẽtur duo lumina numero diuerſa in eadem parte medij, vt quando duo luminoſa producunt lumen in medio: nam quod ibi ſint duo lumina numero diuerſa, docuit Antonius Andreas. 3. Meta. q. 8. Ferrara. 4. contra Gent. c. 26. nec diſplicet Card. Tole. hoc loco, quorũ fundamentũ eſt, quia ſi in eodẽ cubiculo ponamus duo luminoſa, & inter illa ponamus corpus opacũ: tũc ex vi illius corporis opaci fiũt duæ vmbræ in duobus parietibus, ſed vmbra eſt priuatio luminis: ergo ſi ſunt duæ vmbræ, ſunt duę priuationes duorum luminum: ergo antea in illo medio erant duo lumina, quorum quodlibet cauſabatur à ſuo luminoſo, & modo per interpoſitionem corporis opaci impeditur.

Secundò, quia ſi exiſtentĩ iam vno luminoſo in hoc cubiculo, adueniat de nouo aliud æqualis intenſionis cum illo, totum cubiculũ euadit magis illuminatum: ſed non poteſt eſſe, quia vnũ intendat lumen, iam ab alio productum, quia ponimus eſſe æqualis actiui-

tas

tatis: ergo ideo est, quia secúdum luminosum producit de nouo aliud lumen numero diuersum.

Dicendum tamen est, duo luminosa, solum producere in medio vnicum tantum numero lumen. Est communis sententia, quam tenet S. Thom. in. 2. distin. 3. articul. 3. ad. 2. Capreolus in 1. dist. 7. quæst. 4. Caietan. 1. part. q. 41. art. 6. Soncinas. 7. Met. q. 4. & magis probatur Car. Toleto. Ratio huius sumenda est ex dictis à nobis in disputatione de principio indiuiduationis vbi diximus, duo accidétia numero diuersa, eodē modo informātia subiectū, non posse dari in eodem subiecto per naturā, quia eodē prorsus modo informant illud, aliàs nō repugnaret, quod in subiecto habēte iā calorē vt quatuor, simul produceretur ab aliquo agente alius calor vt quatuor, q̄ est cōtra omnes Philosophos, quia ergo duo lumina eodem modo informant subiectum, non secus quàm duo calores, cum in sententia nostra, lumē non sit qualitas intentionales, sed realis, ideo per naturā non possunt dari duo lumina numero diuersa in eadem parte medij: quod secus est de duabus speciebus intentionalibus numero diuersis: istæ enim possunt dari in eadē parte medij, quia non informant subiectum eodem modo: nam cū quælibet species tantū repręsentet obiectū à quo fluxit, quælibet tantū ordinatur ad repræsentādum suum obiectum, & ita diuersimode informant subiectum in ordine ad diuersa obiecta.

Vnde ad primum argumentum contrariæ sententię respondetur illud opacū interiectū inter vtrūq; illud luminosum, causare duas vmbras, vmbra autē non dicit priuationē totius lucis, qualem dicit tenebra, sed priuationem maioris lucis, & ita argumentū illud, potius probat duo illa luminosa non producere duo lumina, sed vnum intendere lumē productum ab alio, quantūuis sint æqualis virtutis, quia quod libet illorum illuminat partes sibi proximas inter se, quæ tamen ab alio, à quo magis distant, non ita intense illuminarentur, & ita fiunt duæ vmbræ, quia tale opacum impedit ne duo illa loca medij recipiant tam intensum lumen, ac aliàs reciperent illo ablato.

Et ita respondetur ad secū dum, in primis secundū luminosum intendere partes distan-

ſtãtes à priori luminoſo, quia illi ſunt propinquiores, & ſimiliter priùs luminoſum intẽ ſe illuminare partes diſtantes ab alio, & ſic totum medium euadere magis illuminatum: præſertim, quod vt vidimus primò de generat.c.7. multitudo agentium iuuat ad producendum effectum intẽſiorem, quàm ſi fieret ab vno tãtùm, quanuis neutrum producat vltra id, quod in ſe habet, imò nec tãtam intenſionem, quantam habet in ſe, & ita nihil mirum, quòd medium habens duo luminoſa intenſiùs illuminetur, quã ab vno tãtũ.

Quæſt.II. Quid ſit color.

CIrca naturam coloris fuit plurium ſententiam aſſerentium, colorem nihil aliud eſſe, quàm lumen receptũ diuerſimode in corporibus, ita vt efficiat varios colores pro diuerſa receptione luminis in corpore facta. Tenet Auerr. hoc lib.tex.7.Auic.lib.6.par. 3.cap.1.Alex. lib.1. naturaliũ quęſtionũ.q.1.Quorũ fundamentum eſt, diuerſitas colorum, quos videmus ex diuerſa refractione luminis in corpore opacò, vt videre eſt in nubibus, & in colo columbæ, & in Iride: dicere autem, quod iſti, non ſint veri colores, ſed tantùm apparẽtes, videtur gratis dictum, cum eodem modo immutẽt ſenſum noſtrum, ac immutant ſimiles colores veri: nec video pro hac ſententia probabile aliud fundamentum.

Quare in hac re ſupponendum eſt in primis inter colores, quoſdam eſſe veros colores, quoſdam verò apparentes tantùm, quales ſunt colores Iridis, qui apparent in nube, diuerſitas autem colorum apparentium à veris, ex eo colligitur, quòd colores apparẽtes citò euaneſcunt, at vero veri cõlores diù permanent. Præterea, quia videmus ex diuerſa diſtantia ſolis à nubibus diuerſos cauſari colores. Videmus enim in ocaſu ſolis, Sole non multum diſtante à nubibus, apparere in illis rubrum quendam colorem, aliquantulùm verò recedente Solo, illũ colorẽ mutari in fuſcũ, quod euidẽs inditium eſt, colorem illum, non eſſe verum, ſed apparentem, lumen ſcilicet diuerſimode receptum in partibus nubis: ſimile quid contingit in coloribus apparentibus in collo colũbę: nã iuxta eius diuerſam poſitionẽ, diuerſi apparent colores, ſtatimq; alij, atq; alij euaneſcunt.

Tertiò

Tertiò, hæc diuersitas colligitur à priori: nam colores veri diu permanentes oriuntur ex tali, vel tali temperamento primarum qualitatum: mixta enim iuxta diuersa tẽperamenta, quæ habent, diuersum habent colorem, color verò apparens nullum tale temperamentum requirit, sed diuersam dumtaxat refractionem lucis: constat ergo colorem apparentem non distingui à lumine, quare solũ restat quæstio de vero colore.

Secundò notandum est, Arist. optimè definijsse colorẽ in hoc cap. dicens: *Color est motiuus actu perspicui*: nã cũ color mittat speciem visibilẽ per medium illuminatũ, quod est perspicuum, ideò, quia agit in perspicuum, dicitur motiuus actu perspicui. Difficiliùs tamen definiuit colorem Arist. cap. 3. de sensu, & sensibili, dicens: *Color est extremitas perspicui in corpore terminato*. Vbi Arist. vt alias omittam expositiones, per extremitatem intelligit vltimã superficiem, hęc enim est extremitas corporis; per corpus verò terminatũ intelligit corpus opacum, in hoc enim terminatur visio: distinguit ergo Arist. colorem per subiectũ, scilicet per vltimam superficiem corporis opaci, in qua est color, appellat autem illã extremitatem perspicui, quia cùm in corpore opaco recipiatur lumen aliquod, saltem in partibus existentibus versus superficiem vltimã, ideò quodãmodò ab illo appellatur perspicuum.

Vbi obiter notandum est, quòd quanuis color re vera etiam sit in profunditate corporis, & non tantùm in superficie, nõ minùs quã color, & aliæ qualitates, Arist. tamẽ ideò dixit esse in extremitate corporis, definiuit enim colorẽ, prout visibilis est, id est, prout potest terminare visionem, & quia visio non terminatur ad colorem in profundo existentem, sed ad eum, qui est in superficie corporis opaci, ideò talem colorem definiuit per eius subiectum, scilicet per extremitatem corporis perspicui in corpore terminato.

Quibus suppositis dicendũ nobis est cum communi opinione, colorẽ verum esse qualitatem quandam essentialiter diuersam à lumine. Sic tenet Caieta Thienensis hoc libro, tex. 67. Iandu. q. 19. Cardin. Tolet. q. 17. & communiter expositores, eamque satis in-

ſinuauit Ariſtot. in hoc capite, vbi diuerſimodè definiuit lumen, & colorem, dicit enim, colorem eſſe motiuum actu perſpicui, lumen verò eſſe actum perſpicui. Et probatur manifeſtis coniecturis, nã lumen efficit aliud lumen, color verò non efficit alium colorem, neque enim corpus album ſtatim producit aliam albedinem, ſicut lumen ſtatim producit aliud lumen.

Secundò experientia conſtat, non minui albedinem, etiamſi lumen minuatur: ſi enim prope illam ſis, videbis non mutaſſe intentionem: ergo qualitas eſt diuerſæ naturę à lumine.

Tertiò, quia ſi color nihil eſſet præter lumẽ, quemadmodùm in coloribus apparentibus experimur, eos facilè variari, & corrumpi iuxta diuerſam refractionem radiorũ ſolariũ, idem etiã deberet cõtingere in alijs corporibus coloratis. Quod tamen eſt contra experientiam, corpus enim album, quantumuis diuerſam ſitus poſitionem mutet, non mutat colorem.

Quartò, quia quando mediante lumine videmus colorem album, & nigrum, viſus ſatis diſtinguit inter illos colores, & inter lumen ipſum: ergo re vera color eſt qualitas diuerſæ rationis à lumine.

Tandẽ ex contraria ſententia ſequeretur, colorem albũ, & nigrum non differre ſpecie, vtrumque enim eſt forma liter lumen, cui nihil eſt contrarium. Præterea ablato lumine ſtatim corrumperentur omnes colores, illo verò accedente, iterum de nouo producerentur: quæ omnia ſatis ſunt abſurda: color ergo eſt diuerſę naturæ à lumine, & ita eſt qualitas ſecunda orta ex temperamento primarũ qualitatum, & ita experimur mixta diuerſum temperamentum habentia, diuerſum etiam habere colorem.

Denique ad fundamenta contrarię ſententiæ ex dictis patet, quàm magna ſit differentia inter colorem verũ, & apparentem. Addo tamen, quòd quando color dicitur eſſe obiectum adæquatum viſus, nomine coloris debet intelligi color abſtrahens à vero, & apparenti, vterque enim eſt viſibilis vt quod.

(.?.)

Quæſt.

Quæst. III. An, & quomodò requiratur lumen ad visionem coloris.

QVòd lumen requiratur ad visionem adeò est experientia notum, vt non possit in controuersiam adduci, constat enim, sine lumine nullum colorem videri, & eò perfectiùs videri, quò medium magis est illuminatum, nisi fortasse lumen adeò sit intensum, vt lædat sensum, ratione coloris, quę producit in organo visus: nã vt dicam cap. 12. huius libri, excellens sensibile corrumpit sensum. Quare tantùm restat controuersia, quomodò requiratur lumẽ ad visionem coloris.

In qua re prima sentẽtia est asserentium, lumen requiri ex parte medij, tanquàm dispositionem necessariam, vt recipiat speciem visibilem prouenientem ad potentiam visiuam, dicunt enim, quòd quẽadmodũ diaphaneitas est dispositio prærequisita in aere, aut in quouis alio corpore, vt perfectè recipiat lumen, ita etiam lumen est dispositio necessario prærequisita, vt medium recipiat speciem intentionalem: & ita quòd lumen requiritur ex parte medij, tenet Ferrara hoc loco, quæs. 3. Card. Tolet. q. 17. Soncin. 5. Met. q. 9. Auerr. hoc libro, text. 67. Et probari potest primò ex Arist. hoc cap. vbi dicit, quòd calor est motiuus actu perspicui, id est, est productiuus suæ speciei per medium perspicuum, & illuminatũ, vbi videtur sentire, colorẽ nõ posse producere speciẽ, nisi per mediũ illuminatũ: sentit ergo lumen requiri ex parte medij.

Secundò, quia lumen nõ requiritur ad diuisionẽ coloris ex parte obiecti: restat ergo, quòd requiratur ex parte medij. Antecedẽs probatur experiẽtia de hominib', qui vulgò vocãtur Zaories: isti enim, vt vulgò fertur, vidẽt res in profundo terræ in tenebris iacentes: ergo nõ requiritur lumẽ ex parte obiecti, sed potiùs ex parte medij.

Cõtraria tamẽ sentẽtia lógè verior est, scilicet lumẽ nõ requiri ex parte medij, sed ex parte obiecti ad vidẽdũ colorẽ: quod qua ratione sit, dicã postèa. Quam sentẽtiã videtur seqxi D. Th. 1. p. q. 67. ar. 3. ad 3. & q. 79. ar. 3. ad 2. vbi dicit, quòd sicut intellectus agens facit res actu intelligibiles, quia producit species intelligibiles earum, ita lumen facit colores actu visibiles.

tenet etiam Albert. libr. de ſenſu, & ſenſibili, tract. 2. c. 1. & 2. Caiet. Conrad. & Medina 1. 2. q. 1. ar. 3. & q. 25. art. 1. Nec parum videtur fauere Ariſt. hoc cap. vbi dicit: *Quædã videri in lumine, quædam verò in tenebris*, id eſt, per medium tenebroſum.

Et ratione probatur, quia experientia conſtat, nos in tenebris conſtitutos videre coloremilluminatũ à longè exiſtentem, è contrà verò, ſi obiectum ſit in tenebris, nos verò in luce conſtituti non videmus tale obiectum: ergo lumẽ non requiritur ad videndũ colorem ex parte medij, ſed ex parte obiecti.

Nec ſatisfacit, quòd reſpondent authores contrarij, ꝙ ſcilicet quãdo nos in tenebris conſtituti videmus obiectum illuminatum à longè exiſtẽs, quanuis in loco illo tenebroſo non ſit magna lux, ſemper tamen adeſt aliquale lumen, licèt non tam intẽſum, ac illud, quo color illuminatur. Hoc, inquam, non ſatisfacit, nã experimur, quòd quantò locus, in quo ſumus conſtituti, tenebroſior eſt, meliùs videtur obiectum diſtans illuminatum: ergo lumen non eſt conditio requiſita ex parte medij: ſic enim, quò perfectius lumen eſſet in medio, meliùs videretur color. Secũdò, quia ſi lumen illud exiguũ eſt ſufficiens, vt talis color videatur: ergo ſi ponamus è contrà obiectum eſſe in loco caliginoſo, nos verò conſtitutos eſſe in loco lucido, poterit ita benè ac anteà obiectum videri: quod tamen eſt contra manifeſtam experientiam. Conſequentiam probo, quia apertè adeſt ſufficiens lumen, vt perfectè videri poſsit.

Nec etiam valet quod alij dicunt, quòd lumen, quanuis non requiratur ex parte medij diſtãtis ab obiecto, poteſt enim videri color ab homine exiſtente in tenebris, ſi obiectum illuminatum ſit, tamen requiritur ex parte medij propinqui tali obiecto: & ita ſaltẽ requiritur, quòd propè ipſum obiectum ſit lumen. Contra hoc enim eſt, quòd omne agens fortiùs agit, & perfectiùs in propinquum, quàm in diſtans: ergo ſi talis color mittit ſpeciem viſibilem intẽſam ad locum caliginoſum, eo quòd ibi perfectè videtur: ergo multò meliùs id poſſet in ſpatio ſibi propinquo, etiamſi nõ eſſet illuminatum. Dicendũ ergo eſt, lumen non eſſe diſpoſitionem neceſſariam ex parte medij ad recipiendas ſpecies viſi-

visibiles, sed potiùs requiri ex parte obiecti. Ad argumenta autem cõtrariæ sententię respõdetur. Ad primum, verba illa. *Color est motiuus actu perspicui*, solùm significare, colorẽ esse aptum natum producere species per medium illuminatum, tamen inde non probatur, quod etiam si tale mediũ illuminatum non sit, non possit recipere species coloris, neque id docuit Arist.

Ad secundum homines illos, quos Zaories vocant, fortasse propter subtilitatem sui visus, videre in aere vapores aliquos, aut exhalationes missas à corporibus sub terra latẽtibus, & inde per discursum colligũt, quæ corpora sub terra occultentur ex diuersitate vaporũ, aut exhalationũ, quas in aere intuentur, aut fortasse propter aliud exterius signũ, quod exterius videant, aliàs profecto incredibile est, ipsos videre posse res sub terra latentes.

Maiorem habet difficultatem, quomodo requiratur lumẽ ex parte obiecti. In qua re satis profecto difficili primus modus dicendi est, lumen ita requiri ex parte obiecti, quod per eandem indiuisibilem speciem, per quam videtur color, etiam per eandem indiuisibilem videatur lumen, tanquã ratio formalis sub qua videtur color, & similiter per eandem indiuisibilem visionẽ, ita vt color & lumen, causent eãdem prorsus speciẽ, & visionẽ indiuisibiliter absq; eo quod partim correspõdeat vni, partim vero alteri. Cuius sententiæ fundamentũ est, quia obiectum materiale & formale eodẽ indiuisibili actu & specie, debẽt cognosci, obiectum enim materiale nõ percipitur, nisi prout subest formali, qua ratione voluntas nihil amat, nisi sub ratione formali bonitatis: ergo per eundem indiuisibilem actum, quo percipitur obiectũ materiale, debet percipi obiectum formale: sed lumẽ respectu coloris se habet, quasi obiectum formale, dans illi esse visibile: ergo per eandem indiuisibilem speciem, & actum, quo videtur color, videtur etiam lumen.

Tamen vt rem hanc non parum difficilem explicemus, in primis supponendum est, lumen quando videtur se solo, absque colore, vt quando videtur lumen in cœlo existẽs: vbi nullus adest color realis, videri per quandam speciem totalem illius propriam, & similiter per actum totaliter ad illud terminatur. Solum est difficul-

ficultas de lumine quando videtur simul cum colore.

In quo secũdò supponendũ est colorem,& lumen per eundẽ actũ totalem videri,& similiter per eandẽ speciem visibilem. Quã sententiã docuit aperte S.Th.1.2.q.8.art.3.vbi expresse docet, visum eodem actu videre colorẽ & lumen, vtiturq; hoc exẽplo ad probãdum,voluntatem eodem actu tendere in finem,& in media, quia tendit in mediũ propter finem,ad modũ quo visus,videt colorem propter lumen. Et ratio est, quia lumen & color quando simul videntur se habent per modũ vnius obiecti adæquati, videmus enim colorem prout illuminatũ:ergo similiter vnico actu totali, & vnica specie totum hoc debet cognosci. Solum ergo est controuersia vtrum per eandem indiuisibilem visionem, & speciem videatur tã lumen, quã color, vel potius per plures partiales integrantes vnicam totalem.

Secundò supponendũ est, obiectũ formale terminans actum aliquem per eundẽ indiuisibilem actum cognosci,per quẽ cognoscitur obiectũ materiale. Ratio est,quia actus, nõ tendit in obiectũ materiale, nisi prout indutũ obiecto formali: ergo nulla entitas actus, tendit ad obiectũ materiale, nisi prout indutũ ratione formali terminatiua actus: ergo per eandẽ indiuisibilem entitatem actus,qua cognoscitur obiectũ materiale,per eandem debet attingi obiectũ formale aliàs entitas illa partialis,quæ tendit ad obiectũ materiale seorsum nõ respiceret illud prout indutũ ratione formali terminatiua, & ita quia bonitas est ratio formalis terminatiua actus voluntatis per eundem indiuisibilem actum, quo tendit voluntas in rem amatam, tendit etiam in eius bonitatem.

Et hinc fit, q; qui asserunt lumen esse rationẽ formalem terminatiuam actus vidẽdi colorem,tanquã quid materiale, tenentur consequenter fateri per eandem indiuisibilẽ visionem videri colorem, & lumẽ, & per eandem indiuisibilem speciem videri.

Vnde dico primò in hac difficultate: colorem, & lumen non videri per eandẽ indiuisibilem speciem,& per eundem indiuisibilem actum,& ita lumen respectu coloris, non se habere tamquam obiectũ formale terminans visionẽ coloris. Probatur cõclusio primò, quia sensibile cõmune multo ma-

magis pendet à sensibili proprio, quã color à lumine, quia sensibile cõmune est modus sensibilis proprij, lumen autẽ non est modus coloris, sed res prorsus ab illo distincta, sed in cõmuni omniũ opinione sensibile cõmune & propriũ, non percipiuntur per eandẽ indiuisibilem speciẽ, sed potiùs sensibile cõmune producit quẽdam modum supra speciẽ sensibilis proprij, illi superadditum: ergo multò minus lumẽ & color possunt percipi per eandem indiuisibilem speciẽ, & per eandem indiuisibilẽ visionem.

Secundò fingamus, videri colorem illuminatum lumine, vt vnum, & lumine inuariato, crescat intẽsio coloris. Tũc argumentor sic: crescente intẽsione obiecti, crescit perfectio intẽsiua actus, qua ratione quantò color est intensior, tantò est visio perfectior intẽsiua, ergo cũ obiectum materiale & formale percipiantur per eandẽ indiuisibilẽ visionẽ, sequitur illud lumen inuariatũ videri perfectius, & intensiùs, quo magis crescit intensiue color, quod manifestè est contra experientiam.

Tertiò in contraria sententia difficilè saluatur, quod visio albi, & visio nigri sint diuersę speciei, quod tamẽ necessario est fatendũ: sequellã probo, quia actus sumunt suã speciem, non quidem ex obiecto materiali, sed formali: si ergo visio albi & visio nigri terminantur ad lumen, tanquam ad rationem formalem terminatiuam illorum actuum, cum lumen vtrobiq; sit eiusdẽ speciei, sequitur visionem albi, & visionem nigri non differre specie.

Nec satisfacit quòd autores contrarij respondent, quod quamuis obiectũ formale, scilicet lumen vtrobiq; sit idem, tamen actus illi differunt specie, quia obiecta adæquata, & totalia illorum actuum differunt specie, visio enim albi habet pro obiecto adæquato album illuminatum, visio vero nigri nigrum illuminatum,

Contrà est quod species actus tantum attenditur ex parte obiecti formalis, nam si etiam ex parte obiecti materialis esset attendenda tam specificaret actum, obiectum materiale, quàm formale: vnde nihil peculiare tribueremus obiecto formali: ergo actus non sumunt suam speciem ex obiecto totali, integrato ex obiecto formali, & materiali, sed ex obiecto formali terminatiuo actus.

Patet

Patet ergo ex dictis, lumẽ, & colorem videri quidem eodem actu, & ita eadem ſpecie, nõ tamẽ indiuiſibili, ſed integrata ex partiali ſpecie correſpõdenti colori, & ex alia correſpondenti lumini, ſtatim tamen oritur difficultas, qua ratione vniãtur inter ſe illę duæ ſpecies partiales, vt integrent quandam totalem ſpeciẽ repræſentãtem colorem illuminatum. Quibuſdam placet, illas duas ſpecies habere inter ſe vnionem Phyſicam, mediãte quodam indiuiſibili Phyſice vnitiuo illarum. Mihi tamẽ incredibile eſt illas ſpecies Phyſice vniri vinculo aliquo, & vnitiuo, omnis enim vnio Phyſica, vel contingit quando partes vniuntur, tanquam actus & potentia per modum vnionis ſuperadditum, qualiter vniuntur materia & forma, & hoc modo non poſſunt phiſice vniri hæ duæ ſpecies, ridiculum enim eſt dicere, ſpeciem luminis informare ſpeciem coloris aut è contra: vel eſt vnio per continuationem extenſiuam, aut intenſiuam: extenſiuã, qualiter partes quãtitatis vniuntur indiuiſibilibus, & partes graduales intenſionis qualitatis vniuntur indiuiſibilibus intẽſionis, vt ſuo loco diximus: ſed hæc vnio per cõtinuationem partium, neceſſariò eſt inter partes eiuſdem rationis, vt patet in exemplis adductis, & ita quamuis materia vniatur cum forma per modum vnionis, non tamen dicimus, quod continuatur cum illa, quia ſunt diuerſæ rationis: ſed ſpecies coloris, & luminis neceſſariò ſũt diuerſæ rationis, ſicut obiecta, à quibus procedunt, ſunt diuerſæ rationis: ergo neque poſſunt phyſice vniri per cõtinuationem, atq; adeo inter illas ſpecies, nulla Phyſica vnio intercedit: vnde exiſtimo tales ſpecies non coaleſcere in vnam quandam totalẽ phyſice, ſed dici vnam per ſubordinationem, & dependẽtiam, ad modũ, quo ex ipſo colore & lumine fit vnum obiectum adæquatum, & totale viſus, non quia phyſice efficiant aliquid vnũ, ſed quia color ſubordinatur lumini, vt videri poſſit; ita ſpecies coloris habet dependentiam, & connexionem cum ſpecie luminis: vnde ſicut quamuis color, & lumen, vtrumq; ſit in ſe qualitas totalis phyſice, nihilominus faciunt aliquid vnum ſubordinatione: ita exiſtimo, quamlibet ex his ſpeciebus totalem eſſe in ſuo phyſico eſſe, ex vtraque tamen fieri

vnum

vnum subordinatione, & cõnexione quadam.

Vnde ad fundamentũ contrariæ sententiæ respondetur, non dici lumen obiectum formale visus, quia respectu illius partialis visionis tendentis ad colorem sit ratio formalis terminatiua illius, vt ostensum est, sed quia totus actus integratur ex partiali visione coloris, & ex partiali visione luminis, à prestantiori sumit denominationem, lumen autem est longe prestantius colore: tamen reuera respectu visionis partialis coloris, obiectum formale est ipse color, obiectum tamen materiale erit subiectum tali colore affectum.

Patet ergo ex dictis, lumen non ita requiri ex parte obiecti, quòd sit ratio formalis terminatiua visionis coloris: restat ergo explicemus, qualiter requiratur ex parte obiecti, scilicet ex parte coloris, & dicendum est lumen ita requiriri ex parte obiecti, vt prẽter productionem suæ speciei cõcurrat etiam cũ colore ad producendam speciem ipsius coloris. Ratio autem sumitur à sufficiẽti enumeratione, quia ostensum est lumen requiri ex parte obiecti, & nõ tanquã ratio formalis terminans indiuisibilem visionem coloris: ergo tanquam à causa cooperãte cum colore ad producendam speciem coloris: neq; enim potest fingi alius modus, quo visio coloris pendeat à lumine, & hoc est lumen facere colores visibiles, scilicet producere species visibiles, quibus videri possint. Nec mirũ est, id nos asserere, id enim docuit expresse Th. 1. p. q. 67. ar. 3. ad. 3. non est tamen existimandum, lumen concurrere, tanquàm instrumentum coloris ad producendam speciẽ illius, quia lumen est lõge perfectius ipso colore: ergo sicut ipse color, est causa principalis ad producendam speciem sui, ita & lumẽ. Dicendũ ergo est, vtrumq; esse causam principalem, lumen tamen se habere tanquàm causam vniuersalem, aptã ad producẽdas species diuersòrum colorum: ipsi colores se habent tanquã causæ particulares, determinãtes lumen, vt producat determinatam speciem, verbi gratia, albedo determinat lumen, vt producat speciem albedinis, & sic de reliquis.

Ex quibus tandem colligo, quod cum Deus possit suplere actiuitatem illam, qua lumẽ concurrit ad producẽdas species coloris, id enim quod fa-

cit mediis causis secundis, nó vitalibus, potest facere se solo, non repugnat per diuinam potentiam colorem videri sine lumine, quia lumen non aliter requiritur ex parte coloris, quàm vt cooperetur cum illo, ad producẽdam speciem talis coloris: sed hanc cooperationem potest Deus supplere, supplendo vicem luminis: ergo non implicat cõtradictionem videri colorem sine omni prorsus lumine.

Quæst. IIII. Vtrùm per eandẽ speciem repræsentetur intensio, & extensio coloris, & quomodo?

PRo cuius intelligentia aduertendum est, quòd cum species sit qualitas materialis, duplex diuisibilitas in ea considerari potest, sicut in alijs qualitatibus: altera quidẽ quo ad extẽsionẽ, altera vero quo ad intensionẽ: & vt distincte in re difficili, quæ ab autoribꝰ nó tractatur, procedamus, priꝰ agendũ est de extẽsione specierũ, deinde vero de earũ intensione, quod vtrumq; supra c. 5. vsq; ad hunc locum disputandũ remisimus. & ita quidquid de his speciebꝰ dictũ fuerit, suo modo alijs etiam speciebus accommodandũ est, si enim aliquid peculiariter notandum fuerit, dicam suis prop rijs locis.

Et quidem, quantum attinet ad extensionem specierũ, suppono ex dictis supra cap. 5. species sensibiles esse qualitates extensas per subiectum, sunt enim accidentia materialia, quæ educuntur de potentia subiecti quanti, & extensi, & ita opus est, quod habeant extensionẽ ex parte subiecti, non minùs, quàm reliqua accidentia materialia.

Suppono secũdò quãlibet partẽ huius extẽsionis speciei repręsentare totam extensionẽ obiecti, vt etiam eodẽ loco ostendi, nã per quamlibet partem medij oculus intuetur totum colorem existentẽ in pariete: ergo quælibet pars talis speciei extensæ, quanuis minima sit, repræsentat totũ obiectũ. Est tamẽ cõtrouersia, vtrũ per eandem indiuisibilem entitatem repræsentẽtur omnes partes extensionis obiecti, vel potiùs diuersis partibus obiecti correspondeant in specie diuersę entitates partiales, existentes in qualibet parte medij, per quã totum obiectum videtur Card. enim Tole. hoc lib. q. vltima existimat per eandem indiuisibilem entitatem

spe-

ſpeciei repræſentari totã extẽ ſionem obiecti.

Tamẽ dico primò, totã extenſionem obiecti, non repræſentari per eandem indiuiſibilem entitatẽ, ſed ſingulis partibus correſpõdere in ſpecie partes quaſdam ex natura rei diuerſas, exiſtentes tamen in qualibet minima parte medij. Probatur, quia ſi ab obiecto detrahas partẽ aliquã, ſpecies iam non repræſentat illã, quia iam non videmus illam, & tamen repræſentat talis ſpecies alias partes, quæ remanent in obiecto: ergo per diuerſam entitatem repræſentantur ſingulæ partes obiecti, ſi quidem manente vna repræſentatione, non mãet alia.

Nec valet ſi reſpõdeas, ſpeciẽ illã eodẽ modo manere ſicut anteà, nõ tamẽ repræſentare partẽ illã, iã corruptã, quia iã nõ depẽdet ab illa. Nã cõtra eſt, quia ſi tota entitas ſpeciei, quæ erat antea, manet modo, repreſentabit ſicut anteà, ſiue depẽdeat in conſeruari ab illa parte, ſiue nõ, ſi ſemel admittamus, iã totã de facto cõſeruari, quia parũ intereſt, ꝙ cõſeruetur ab hoc, vel illo agente, ſicut ſi Deus ſe ſolo produceret ſpeciem coloris, eodẽ modo repræſentaret colorẽ, ac ſi ab ipſo colore fuiſſet ꝓducta.

Secundò probatur à priori, quia non minùs ordinantur iſtæ partiales entitates ad ſua partialia obiecta, quæ repræſentant, quàm ſpecies totales ad totalia obiecta, ſed diuerſa obiecta totalia, realiter diuerſa, poſtulant diuerſas ſpecies totales. ergo & diuerſæ partes obiecti, debent repræſentari per diuerſas partes ſpeciei, ex natura rei diuerſas, & hinc vlterius fit, quòd ſicut tota ſpecies pendet in conſeruari à toto obiecto, ita ſingulæ partes illius pendent à ſingulis partibus obiecti, & ita corrupta parte aliqua obiecti perit pars ſpecici illi correſpõdens.

Ex his dico ſecundò in ſpecie ſenſibili duas extenſiones eſſe neceſſariò ponendas; alteram quidem ex parte ſubiecti, quã diſputationis gratia placet appellare ſubiectiuam, ne vtamur nominibus cõplexis: alteram vero ex parte obiecti ſecundum quod repræſentat maius aut minus obiectum, quam placet appellare obiectiuam, hæc tamẽ extenſio ex parte obiecti, eſt tota in quauis minima parte ſubiecti, cũ per quamlibet partem medij totũ obiectũ videamus. Hæc cõcluſio aperte ſequitur ex dictis nam ex ea parte, qua ſpe-

cies recipitur in ſubiecto quãto, & extenſo, neceſſarium eſt habeat extenſionem ex parte ſubiecti: ex ea verò parte qua repræſentat maius, aut minus obiectum, habet etiam extenſionem obiectiuam: ergo inqualibet ſpecie, debet concedi extenſio ſubiectiua, & extenſio obiectiua. Nec mirum eſt, quia huiuſmodi ſpecies præter ordinem ad ſubiectũ, etiam habent eſſentialem ordinem ad obiectum: ergo nõ eſt mirum, quòd habeãt extẽſionem quandã ex parte ſubiecti, aliam vero ex parte obiecti.

Ex his etiam dico tertiò ſecundum hanc duplicem extẽſionem habere ſpeciẽ duo genera indiuiſibilium: nam & habet indiuiſibilia continuatiua extenſionis continuæ, quã habet in ſubiecto, & cum etiam habeat extẽſionem continuã ex parte obiecti correſpondẽtem partibus continuis ipſius obiecti, etiam debent poni in tali ſpecie alia indiuiſibilia cõtinuatiua partium extenſionis obiectiuæ.

Oritur tamen ex dictis duplex difficultas, altera eſt vbi ſubiectentur vtraq; hæc indiuiſibilia: altera verò, vtrum talia indiuiſibilia repræſentent aliquid.

Circa primam difficultatem duo dicenda ſunt. In primis quod indiuiſibilia continuatiua, & terminatiua extenſionis ſubiectiue ſubiectentur in indiuiſibilib⁹ ſubiecti, ita quod punctum ſpeciei ſit in puncto quantitatis, & ſuperficies ſpeciei in ſuperficie quantitatis. Ratio eſt facilis, quia hæc extenſio ſubiectiua ſpeciei, eſt proportionata, & accommodata extenſioni ſubiecti, ita vt in palmo quãtitatis habeat ſpecies extenſionẽ vnius palmi: ergo ſicut partes huius extenſionis correſpondent partibus ſubiecti, ita indiuiſibilia illius debent correſpondere indiuiſibilibus ſubiecti.

Dico tamen ſecundò, indiuiſibilia extẽſionis obiectiuæ eſſe extenſa per totum ſubiectum, in quo eſt talis ſpecies, ad modum quo ſexto lib. Phyſi. dicebam, indiuiſibilia intenſionis qualitatis, eſſe extenſa per totum ſubiectũ, ita q̃ ſubiectẽtur in qualibet parte ſubiecti. Ratio eſt, quia ſpecies illa in qualibet parte ſubiecti, repræſentat totũ obiectũ: ergo in qualibet parte ſubiecti habet totam ſuam extenſionem obiectiuam: ergo in eadẽ parte debent eſſe indiuiſibilia cõtiquantia partes talis extenſionis obiectiuę: ſicut quia inqua-

li-

libet parte subiecti reperitur intensio caloris: verbi gratia, indiuisibilia intensionis caloris subiectantur in parte extẽsa, & diuisibili, vbi est talis intensio: vnde sicut non repugnat indiuisibile intensionis esse diuisibile quo ad extensionem, quanuis quoad intensionem indiuisibile sit, ita nõ repugnat indiuisibile extensionis obiectiuæ esse diuisibile quoad extensionẽ subiectiuã.

Circa secundam verò difficultatem dico primò indiuisibilia extẽsionis subiectiuę nihil repræsentare, adhuc neq; indiuisibile obiecti. Ratio est, quia hæc indiuisibilia non cõtinuant extensionem petitam ab obiecto, sed potiùs petitã à subiecto, & ita potius correspondent indiuisibilibus subiecti, quàm indiuisibilibus obiecti, atq; adeò non repręsentant adhuc indiuisibilia obiecti.

Secundò, & præcipue, quia per quamlibet partem extensionis, quam habet species à subiecto repræsentatur obiectum totum continuum, vt vidimus: ergo indiuisibilia obiecti non correspondent indiuisibilibus huius extensionis: nec mirum est quod sicut pũctum quãtitatis, non est quãtitas, ita indiuisibilia speciei no sint species repręsentãtes.

Dico tamẽ secũdò indiuisibilia extẽsionis obiectiuę repręsentare indiuisibilia extẽsionis obiecti, nõ tamẽ ita distinctè, vt inter singula indiuisibilia possimus discernere, vt supra dicebã. Ratio huius conclusionis est, quia hæc extensio obiectiua correspõdet ipsi obiecto, illiq; proportionatur: ergo sicut tota species correspondet toti obiecto, & pars parti, vt ostendimus, ita etiam indiuisibile debet correspondere indiuisibili.

Sed obijcies nam ex communi Mathematicorum sententia, species visibilis terminatur ad oculum per modum anguli, cuius rei inditium est, quia si inter obiectum & oculum, interponatur impedimẽtum, quò magis accedit ad oculum, tantò magis impedit visionem obiecti: ergo terminatur ad oculum per modum anguli: sed angulus terminatur in puncto, & in puncto est indiuisibile extensionis subiectiuæ speciei: ergo indiuisibilia extensionis subiectiuæ aliquid repræsentat. Respondetur quidquid sit de hac Mathematicorum sententia, nõ debere intelligi, quòd in puncto illius anguli sit species repręsentatiua obiecti, sed sensus

est,

eſt, ſpeciem magis coniungi, quò magis appropinquat ad oculum, ſemper tamẽ ſpecies repræſentãs eſt in parte quanta, & diuiſibili. Hactenus de extenſione ſpecierum.

Circa intẽſionem verò earum notandum eſt, quod in obiecto repræſentato per ſpeciem ſenſibilem præter extenſionem, quã habet, habet etiã intenſionem, quã neceſſe eſt per illã ſpeciem etiã cognoſcamus: per eandẽ enim ſpeciẽ per quã videmus colorem extenſum in tanta quantitate, videmus etiam eſſe intenſum, aut remiſſum, & ſicut quælibet intenſio coloris, verbi gratia, eſt extẽſa per ſubiectum, ita per eandem entitatem ſpeciei, quo cognoſcimus intenſionem illam, cognoſcimus etiam extenſionem illius intenſionis, qua videtur illa intẽſio, prout eſt in ſe, & prout in ſe eſt, eſt extenſa.

Eſt tamẽ difficultas vtrum quando intra eandẽ extenſionẽ obiecti aduenit illi nouus gradus intenſionis, hic nouus grad' repræſentetur per eãdẽ indiuiſibilẽ entitatem ſpeciei, per quã repreſentabãtur prior es gradus, cum ſua extẽſione.

In qua re Card. Tolet. iã citatus, qui exiſtimat omnes partes extenſionis obiecti repreſentari per eãdem indiuiſibilem entitatem, conſequenter fatebitur etiam partes intenſionis repræſentari per eandẽ indiuiſibilem entitatem: ſed ſicut circa primum errat, ita & circa ſecundum.

Dico ergo primò in hac difficultate: certum debere eſſe per eandem indiuiſibilẽ entitatem ſpeciei debere repræſentari extenſionem, & intenſionem eiuſdem gradus obiecti, verbi gratia, per eandẽ indiuiſibilem ſpeciẽ, per quã videmus colorem vt vnum, videmus etiam extenſionem illius gradus. Ratio eſt iam tacta, quia illa ſpecies correſpõdens illi gradui, repræſentat illum, vt eſt in ſe, ſed illa intẽſio gradualis eſt extenſa per ſubiectum: ergo tota entitas ſpeciei repræſentans colorem vt vnum, repræſentat etiã extenſionem illius.

Secundò, quia ſi in tali ſpecie ſunt duæ entitates, altera terminata ad intenſionẽ præciſſam, altera verò ad extenſionem illius, vel illa entitas, quæ præciſſe repræſentat illam intenſionem, repræſentat illam exiſtẽtem indiuiſibiliter, verbi gratia, in puncto, & hoc nõ, quia iam repræſentaretur obiectum aliter quã eſt, obiectũ enim illud habet illã intẽſionem

nem diffussam, & extẽsam per subiectũ diuisibile, vel repręsentaret illam intensionẽ pręcisse abstrahendo ab extẽsione, & non extensione, & hoc dici non potest, quia species sensibilis non habet tantam perfectionem, vt possit respicere rationem sic abstractam, quę vix intellectu capi potest, quantò magis sensu.

Dicendũ ergo est per eandẽ indiuisibilẽ entitatem speciei, qua repræsentatur vnus gradus intẽsionis obiecti, repræsentari etiam extẽsionem illius intensionis.

Dico tamen secundò, si intra eandẽ extẽsionem obiecti adueniat illi nouus gradus intensionis, hæc noua intensio non repræsentatur per eandẽ indiuisibilẽ entitatẽ speciei, per quã repręsentabatur prior intensio extensa, v.g. Si calori vt quartuor extẽso in quãtitate palmari adueniat quint⁹ gradus, non repræsentatur talis gradus adueniens per eandẽ indiuisibilem entitatem, qua repræsentabantur priores gradus. Ratio est quia partes extensionis obiecti non repræsentantur per eandem indiuisibilem entitatem, vt iam ostẽdimus: ergo neq; partes intensionis. Patet cõsequentia, quia in tali qualitate sensibili non minùs distinguuntur ante intellectũ partes graduales intẽsionis, quàm partes extensionis, vt ostendimus. 1. lib. de generat. c. 4.

Secũdò, quia si color palmaris intẽdatur meliùs, ac perfectius videmus illũ, sed nõ quia crescat repræsentatio extẽsionis, eadẽ enim est extensio illi⁹, vt suppono: ergo quia crescit repræsentatio intensionis; sed tota entitas speciei est repręsentare: ergo si est noua repræsẽtatio est noua entitas in tali specie: ergo nõ repręsentatur per eandẽ indiuisibilẽ entitatem illa noua intẽsio, per quam repræsentabatur extensio priorum graduum.

Ex dictis dico tertiò in speciebus sensibilibus concedendas esse duas intẽsiones, alterã quidẽ correspõdentẽ maiori, vel minori intensioni obiecti, & hæc appellari potest obiectiua: alteram vero subiectiuam, secundum quod species circa eundem gradum coloris potest habere in subiecto maiorem, aut minorẽ, intensionem, vt explicabo. Probatur prima pars conclusionis, quia cum effectus proportionetur actiuitati agentis, quando color maiorem habet intensionem, maiorem habet actiuitatẽ, vt producat speciem perfectiorem

ctiorem intensiue: quòd verò adhuc circa eundem gradum intensionis obiecti possit species habere maiorem, & minorem intensionem. Probatur, quia omne agens intensius operatur in propinquũ, quàm indistans. Ponamus ergo colorẽ vt quatuor produxisse speciem intensam, vt duo, in parte medij aliquantulum distanti: ergo si eadẽ albedo, vt quatuor, magis eidem parti approximetur, producet speciẽ magis intensam: ergo circa obiectum eodẽ modo manens potest species habere maiorem, & minorem intensionem in subiecto.

Et confirmari potest exemplo habitus charitatis, qui quãuis pro obiecto habeat Deũ indiuisibilem, habet tamen maiorem, & minorem intensionem: ergo circa obiectum eodem modo se habens, non repugnat speciem habere maiorem, aut minorem intensionẽ.

Dico quartò, secundũ hanc duplicem intensionẽ esse duo genera indiuisibilium intensionis in speciebus sensibilibus, nam & sunt indiuisibilia continuantia intensionẽ obiectiuam, & etiam sunt indiuisibilia continuantia grãdus intensionis, quasi subiectiue. Ratio est, quia vtraq; hæc intensio habet partes graduales intensiue cõtinuas: ergo per sua indiuisibilia continuantia.

Si autẽ quæras vbinã subiectentur vtraq; hæc indiuisibilia intensionis. Respondetur facilè ex principijs traditis. 6. lib. Phys. esse extensa, & diffusa per totum subiectum, in quo est talis species, & ita subiectari in subiecto quanto, & diuisibili. Ratio est eadem ac de alijs qualitatib⁹: ideo enim probamus indiuisibilia intẽsionis caloris esse extẽsa, atq; adeò diuisibilia quoad extensionem, quia intensio ipsa est extensa per subiectum, & ita indiuisibilia intensionis, quæ in illa clauduntur, debent extẽdi, & diffundi per subiectũ: sed eadem ratione vtraq; hæc intensio specierum est extensa, & diffusa per subiectum: ergo indiuisibilia vtriusq; intensionis debent esse extensa, & diffusa per subiectum: Deniq; de hac re legi possunt rationes loco citato adductæ, hîc enim applicatæ eandẽ habent vim.

Etsi inquiras vtrũ hæc indiuisibilia intensionis repręsentent aliquid in obiecto. Respondetur, quòd sicut supra dixímus indiuisibilia extẽsionis obiectiuæ repræsentare indiuisibilia extensionis obiecti,

quia

quia tota illa extẽsio sumitur penes ordinem ad obiectum extensum, ita etiam indiuisibilia intensionis speciei, quia intensio illa sumitur penes ordinem ad obiectum intensius, aut saltem ex meliori applicatione intensiori modo operãs. Dici potest talia indiuisibilia repræsentare indiuisibilia intensionis obiecti, quia tota illa intẽsio ordinatur ad melius repræsentãdum obiectum, & ita sicut partes intensionis ordinantur ad repræsentandum intensionem obiecti, ita indiuisibilia ad indiuisibilia, tota enim intensio specierum sumitur, non à subiecto, sed ab obiecto secundum maiorem, vel maiorem eius intensionẽ, aut saltem secũdum maiorem applicationem ad partes medij, vt intensiorem producat speciem.

Addo etiam, indiuisibilia extensionis subiectiuæ, licèt nihil repræsentẽt in obiecto, vt vidimus, habere tamẽ intẽsionem suam: nam vt ostendimus. 6. lib. Physic. & 1. lib. de generat. c. 4. quia non repugnat id, quod est indiuisibile secũdum extensionem, esse diuisibile secũdum intensionẽ: qua ratione quò albedo est magis intensa, tanto puncta illius sunt magis intensa: ergo similiter species magis intensa habet puncta, & indiuisibilia magis intensa. Denique doctrina hactenus tradita generalis est ad omnes species sensibiles, & tam habet verum in speciebus expressis, quàm in impressis: species enim expressa proportionatur speciei impressę, & habet etiam suam extensionem obiectiuam, & subiectiuam, similiterq; & intensionem, vt similibus rationibus ostendi potest.

Quæst. V. Quomodo producãtur species visibiles.

IN hac re, quædam sunt certa, quædam vero dubia, certum enim est in primis, colores omnes habere determinatam sphęram actiuitatis, intra quam possint producere suas species visibiles, & non extra illam, sicut de alijs agentibus naturalibus ostẽdimus. 2. lib. physi. & ita color non potest ad quamcumq; magnam distãtiam videri.

Secũdò certum est, species visibiles in tota hac sphæra produci in instanti. Ratio est, quia huiusmodi species visibiles non habent contrarium aliquod, propter cuius repugnantiã debeãt successiue produci: nam si aliquid contrarium

retur ſpeciei albedinis, maximè ſpecies nigredinis, hæ autem non ſunt contrariæ, quia dantur in eadem potentia viſiua ſimul, quando quis ſimul videt album, & nigrum.

Tertiò ſupponendum eſt, cauſam principalẽ productiuã ſpecierum viſibiliũ eſſe colorem ſimul cum lumine, oſtendimus enim ad id munus requiri lumen ex parte obiecti.

Poteſt tamẽ primò dubitare in hac quæſtione, vtrũ vna pars obiecti, coadiuuet alterã ad producendam ſpeciẽ viſibilẽ illius. Sũt enim qui exiſtiment partes obiecti mutuò ſe ſe iuuare, vt ex conſortio, quę libet illarũ producat acrioręm, & perfectiorem ſpeciem ſui. Quorũ fundamentũ eſt, primò, quia aliàs difficile ſaluari poterit principiũ illud. *Oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt*, niſi ex tali iuxta poſitione mutuo ſe iuuarent ad prodendas acriores ſpecies ſui.

Secundò, id videtur probari manifeſta experientia, quia ſi granũ tritici ſit in aliquali diſtantia, nõ videmus illud, ſi tamen eidẽ grano multa alia adiungas, iã vidẽtur omnia ſaltẽ cõfuſſe: ſignũ ergo eſt, grana aduenientia coadiuuaſſe primum granum ad producendã perfectiorem ſpeciẽ ſui, quàm antea, ratione cuius iam videri poſsit.

Tertiò, quia vt vidimus primo lib de generatione, in qualitatib⁹ vna pars gradualis coadiuuat alteram ad ſuam actionem, qua ratione diximus grad⁹ ſuperiores coadiuuare gradus inferiores ad ſuas actiones: ergo ſimiliter non debet repugnare gradũ ſuperiorẽ coloris coadiuuare gradũ inferiorẽ ad producendã ſpeciem partialem correſpondentem.

Nihilominus dicendũ eſt Partes obiecti, nõ ſeſe coadiuuare ad producendas ſuas ſpecies partiales, ſed quãlibet partẽ abſq; cõcurſu alterius producere ſpeciẽ partialẽ ſibi correſpondentẽ. Ratio eſt primò quia ſpecies eſt naturalis imago, & ſimilitudo obiecti: ergo tantũ poteſt naturaliter dimanare ab eo obiecto, q̃ repręſentat: ergo cũ diuerſę partes obiecti repræſententur per ſpecies partiales diuerſas integrãtes extenſionem illam obiectiuã ſuprà connumeratã, impoſsibile erit ſpeciem partialem vnius partis fieri effectiue ab alia parte obiecti.

Verũ eſt, quòd cũ lumen, vt ſuprà vidimus, ſit cauſa vniuerſalis ad producendas omnes ſpecies colorũ, dimanãt ab illo plures ſpecies coloris, quæ

ta-

tamẽ non repręsentãt lumen, sed colorẽ, quia species repræsentant causam particularem, à qua oriũtur, nõverò vniuersalẽ, sicut nõ repręsentãt Deũ, qui est causa vniuersalis omniũ actionũ. Secundò, quia aliàs nõ esset maior ratio, quare illa species partialis repręsentaret vnam partẽ obiecti, quã aliam, si quidem ab vtraq; parte missa est ad potentiã visiuã.

Vnde ad primũ argumentum respondetur, causam quare oppositа iuxta se posita magis eluceſcũt, nõ esse, quia vnum contrarium, v.g. albũ effectiue concurrat ad producẽdam speciem nigri acriorẽ; nã sicut est impossibile frigus coadiuuare calorem ad suam actionem, nempe ad producendum calorem, ita est impossibile nigrum coadiuuare album, vel è contra. Ratio est, quia quando contraria habent iuxta positionem ex directo immutant simul potentiã visiuam, & ita facile talis potentia discernit inter illa, quando verò sunt separata, nõ potest potentia visiua attẽdens alteri illorũ, etiã attendere alteri perfectè, vt experiẽtia patet, quia nõ possum⁹ simul versus duas partes aspicere, & ita oppositа iuxta se posita, magis eluceſcunt.

Ad secundũ vnamquãque potentiam visiuam secundum maiorem, vel minorem perfectionem indiuidualem, quam habet, requirerere maiorẽ, vel minorem intensionem, & etiam extensionem in obiecto, ita vt obiectum remissum, aut paruũ, quod à visu perspicaci videri potest, nõ possit videri à potentia visiua debili, quod aperte, inquit, requirit proportionem quandam inter potentiam, & obiectũ: quia ergo vnũ granũ tritici seorsum sumptũ, & à longa distãtia positũ, non efficit in specie sufficientẽ extensionẽ obiectiuam proportionatã potentiæ visiuæ propter paruitatem ipsius obiecti, ideò non videtur illud granũ seorsum sumptum: at vero cumulus granorũ producit speciem habentem sufficientem extensionem obiectiuã proportionatã potẽtiæ, & ita totꝰ cumulus videri potest, nõ tamẽ coadiuuat vnum granum aliud, vt producat speciẽ partialem illi correspondentem.

Ad tertium esse diuersam rationem, nam cum species sit naturalis similitudo obiecti, non potest oriri nisi ab eo gradu, qui illi correspõdet, & ita superior gradꝰ coloris, nõ potest coadiuuare gradũ inferiorẽ ad producendã speciẽ talĩ

gradui correſpondentem, at verò in productione caloris, quia effectus producendus nõ eſt naturalis imago, & ſimilitudo alterius caloris à quo producitur, non repugnat gradũ inferiorẽ produci à gradu inferiori & ſuperiori, quæ ſunt in agente, ita vt gradus ſuperiores coadiuuent gradus inferiores ad illam actionem.

Secundò dubitari poteſt in hac quæſtione, vtrum vna ſpecies ſit productiua alteri⁹. Ratio dubitandi eſt, quia ſi vna ſpecies eſt productiua alteri⁹, ſequitur quòd poſsimus videre obiectum, non obiectũ oculo ex directo, quod eſt contra experientiam. Probatur ſequella, quia obiectum producit per lineam rectam ſpeciẽ in medio, ſed ex tali medio vſq; ad potentiam viſiuam poteſt duci alia linea recta, licèt non tendens per eandem viã, per quam prior linea tẽdebat, vt patet in illa figura: ergo poſſibile erit videri colorem non ex directo oppoſitum oculo.

color / viſus

Secũdò, quia ſequeretur nũquam ſenſum falli circa ſuum ſenſibile, quanuis ſit à longe poſitũ. Et probatur, quia obiectum ſaltem in partibus propinquis producit ſpeciem verè repræſentatiuam illius: ergo ſi illa ſpecies habet virtutẽ ad diffundendam aliam ſpeciẽ ſimilem, & illa aliã intra ſphęram actiuitatis coloris, ſequitur ſemper videri obiectum, vt in ſe eſt, abſq; errore.

Dicendum tamen eſt cum cõmuni ſententia. Quod quãdo obiectũ videtur per diuerſa media, vt quando videmus obiectum infra aquam exiſtẽs per mediam aquam, & aerem, ſpecies exiſtens in vno medio producat alteram in medio ſibi propinquo, & ita quod vna ſpecies ſit productiua alteri⁹, & ratio eſt facilis, quia obiectum illud ſub aqua exiſtens, producit ſpeciem in aere vſq; ad potentiam; ſed non poteſt producere illam immediate, quia non eſt contiguum cum tali paſſo: ergo mediante ſpecie recepta in priori medio, nempe in aqua, habet ergo vna ſpecies virtutem ad producendam alteram.

Secundò, quia ſpecies refranguntur ex ſpeculo, non tamen ex aere, cuius nulla alia cauſa reddi poteſt, niſi, quia ſpecies recepta in ſpeculo, cũ ſit in materia magis denſa, eſt apta producere ad potentiam viſiuam ſpeciem intẽſam obiecti, non tamen ſpecies recepta in aere raro. Vbi fortaſſe probabile eſt, quod quidã aſſerunt, etiam ex aere reflecti ſpe-

ſpecies ad potentiam viſiuam: tamen propter nimiam raritatem aeris, ita eſſe remiſſas, vt non poſsint deſeruire noſtro viſui, qui acriorem ſpeciem requirit. Et hac ratione ſaluari poteſt quod plures narrãt: præſertim tamẽ Ariſt. 3. Meteo. c. 4. de homine quodam, ita perſpicacem viſum habente, vt propriam ſui imaginem in aere veluti in quodam ſpeculo intueretur: nam ſicut experimur ſpecies viſibiles reflecti ex aqua, quæ rarior materia eſt, quam ſpeculum, ita ex aere aliquantulum denſo per frigiditatẽ aliqualis reflexio cauſari poteſt, licèt propter exiguam intenſionem nobis ignota.

Eſt tamen aduertendum, q̃ ſicut ſpecies prima producta ab obiecto pendet in conſeruari ab illo, ita aliæ ſpecies productæ ab illa priori ſpecie, dependent in conſeruari ab illo, & ita ablato obiecto pereunt omnes ſpecies illius.

Vnde ad primam rationem dubitandi reſpondetur obiectum non poſſe à nobis videri niſi directe oculo obiectũ, (loquor citra reflexionem) cuius ratio eſt, quia ſicut obiectum, cum habet naturam, vt non mittat ſpeciem niſi per lineam rectã, ita ſpecies illius, quæ eius vicem gerit, in hoc etiam illius conditionẽ ſapit, vt non niſi per eandem lineã rectam aliam ſpeciem diffundat.

Ad ſecundam, quòd cũ nullum agens vniuocũ poſsit tantam intẽſionem in effectu producere ac in ſe habet, quãdo ſpecies in vno medio exiſtens diffundit aliam in alio medio, & ſic vſq; ad potentiam viſiuam, ſemper ſpecies illæ minorem habent intẽſionem, & ità quia aliàs depraua̅tur à medio per quod tranſeunt, vt diximus de ſpeciebus tranſeuntibus per vitrum viride, & per aquam, in quã arbores apparent fractæ, ideo nõ eſt mirũ, q̃ obiectũ in longa diſtantia exiſtens appareat aliter, quàm ſic, tum ex minori intenſione ſpeciei, tum etiam, quia depraua̅tur à medio.

Et ſi inquiras, quomodo cõtingat hic error reſpondetur ſemper quidẽ produci in ſenſu ſpeciem expreſſam, ſimilẽ ſpeciei impreſſæ, fit enim ſpecies expreſſa immediate ab impreſſa, nõ verò ab obiecto, ſed quia ſpecies impreſſa ſatis deprauata peruenit ad oculũ, ideo etiam producitur ſpecies expreſſa deprauata cauſans errorem in ſenſu.

Sed dubitabis, quæ ſit cauſa quare

quare quando oculum digito cõprimimus, apparet obiectũ eleuatum extra proprium ſitum: reſpõdetur cauſam eſſe, quia viſio talis eſt naturæ, vt natura ſua requirat ſpeciẽ venientem per lineam rectam, & quia per compreſsionem illam, iam non ſeruatur inter oculũ, & obiectũ linea perfecte recta, ideò obiectũ apparet aliter quàm ſit, magis ſcilicet eleuatum, aut depreſſum.

Tertiò dubitari poteſt in hac quęſtione vtrum poſsibile ſit obiectum aliquod ſenſibile producere ſpeciem repręſentantem rem vniuerſalem. Ratio dubitandi eſt, quia quãdo videmus corpus aliquod à longe vere iudicamus illud eſſe corpus, non tamen diſcernimus an ſit homo, vel equus: ergo tunc ſpecies ſenſibilis repræſentat rationem vniuerſalem corporis, non repręſentando inferiora illius. Reſpondetur tamen nullum obiectũ ſenſibile poſſe producere ſpeciem repræſentãtem naturam vniuerſalem abſtractam à ſuis inferioribus. Ratio eſt, quia cauſa finalis ad quam natura ſua ordinatur productio ſpecierum ſenſibilium, eſt ſenſatio, vt ſcilicet potentia ſenſitiua media illa ſpecie cognoſcat ſuum obiectũm cognitione ſenſitiua; ſed ſenſus præcipue externus, nõ poteſt percipere vniuerſale, percipiunt enim ſenſus ſua obiecta ſecundum conditiones, quas habẽt hic & nunc, in ordine ad locũ, & ſitum à quibus vniuerſalia abſtrahunt, & ita vniuerſale non cadit ſub obiecto ſenſus.

Ad exemplum verò allatũ dicendum eſt, ſi aliquid probaret, tantùm probare quòd cum ſenſus in obiecto à lõge exiſtente tantum videat accidẽtia pluribus corporibus cõmunia, ſcilicet magnitudinẽ, & colorem quẽdam pluribus communem, percipit ſingulare quoddam quaſi vagum. Mihi tamen ſemper veriſsimum apparuit, quod dixi. 1. lib. phyſi. in quæſtione de primò cognito adhuc in viſione, quarem aliquam à lõge videmus, nobis aliquid determinatum videri, quanuis nimis confuſe propter diſtantiam obiecti: nam ſi quis velit ſupra ſe reflecti: experietur ſe iudicare illud corpus ipſi apparere carnem, vel lapidem, aut quid ſimile: quo ductus fundamento loco citato dixi, primò cognitum à noſtro intellectu cognitione confuſa, non eſſe ſingulare aliquod vagum ſed determinatum.

Quæst. VI. Quomodo fiat visio.

CIrca modum, quo fit visio Plato in Thimęo sensit nõ fieri recipiendo aliquid intra oculum, sed potiùs extra mittendo aliquid, & ita fieri non per intus sumptionẽ, sed per extra missionem: cuius sentẽtiæ sectatores adhuc sunt diui si, explicãtes varijs modis, hãc Platonis sententiam. Quidam enim asseruerunt, potentiam visiuam mittere ex se spiritũ quemdam visorium, vt aiũt, & per illum alterare mediũ, indeq; consurgere quendã splẽdorem causantem visionem.

Alij verò dixerunt potentiam visiuam ex se mittere quoddam lumen, quod perueniens ad obiectũm, indeque ad potentiam visiuam, iterum reflectẽs causat visionem. Sic docuit Galen. lib. 7. de Placitis & alios refert Plutar. lib. 4. de placitis Philosophorum.

Communis tamen, & recepta iam Philosophorum sententia asserit, visionem non fieri per extra missionẽ, sed potius per intus sumptionem, ex eo scilicet quòd potentia visiua intra se recipiat speciẽ impressam, simulq; cum illa intra se producat speciem expressam, quæ est idôlum quoddam repręsentans colorem, & ita fiat visio quæ est cognitio quædã obiecti colorati.

Et quidem, quod visio non fiat per extra missionẽ proba tur. Quia vel illud, qđ mittit potentia visiua esset substãtia aliqua corporea, licèt subtilis, vel esset qualitas aliqua, nẽpe lumen: quod non sit substãtia aliqua corporea, patet, quia impossibile esset illam in instãti peruenire vsq; ad obiectũ, cũ motus localis non possit fieri in instanti, sed visio in instanti fit, & non successiue: ergo non potest fieri per extra missionẽ alicuius substãtię corporeæ: tũ etiam, quia illa substantia corporea subtilis, facilè flãte vento impediretur, ne perueniret ad obiectũ, vnde non posset in eo casu fieri visio, qđ est contra experientiam.

Quodverò, neq; etiã fiat per extra missionẽ luminis emissi à potentia visiua, probatur. Quia si oculꝰ noster ex se mitteret lumẽ ad mediũ, possemꝰ quidẽ etiã in tenebris existentes, semper aliquid lucis videre, ꝙ est cõtra experientiã, sal tem in nobis: alia enim sunt animalia, quorum oculi in tenebris aliqualiter fulgent.

Secundo, quia actus auditionis, & actus aliorum sensuum non fiunt extra mittendo aliquid,

quid, ſed potiùs recipiẽdo intra ſe ſpecies ſenſibiles: quis enim dicat, auditũ, vt audiat, debere aliquid ex traſe mittere: ergo neq; in potentia viſiua, id debet concedi.

Tertiò, quia vel viſio fit intra oculum, vel extra: ſi intra oculum: ad quid ergo debet oculus aliquid extra ſe mittere? Si autem dicas fieri extra oculum: contrà eſt: nam viſio natura ſua eſt actio vitalis, denominans ipſum oculum videntem intrinſece, & ita debet manere in illo, aliàs potius aer, in quo eſt intrinſece viſio, diceretur videns, quàm oculus: quæ omnia ſunt abſurda.

Dicendum ergo eſt: viſionẽ potiùs fieri per intus ſumptionem, ſcilicet recipiẽdo ſpeciem viſibilem intra oculum, vt media illa producatur ſpecies expreſſa, quæ eſt idôlum, quo viſus cognoſcit colorem.

Oritur tamen dubitatio ex dictis: nam ſi ſpecies viſibilis recipitur intra potentiam viſiuam, quomodo fieri poteſt, quòd cum potentia viſiua ſit in parua quantitate, ibi repræſentetur obiectum maximæ magnitudinis. Reſpondetur nihil eſſe mirum, cũ etiam in ſpeculo intueamur res maximas: nam vt ſuprà dicebã: ſpecies in qualibet parte medij, quantũuis minima, habet extenſionem obiectiuã toti obiecto correſpondentem.

Dubitabis etiam, nam ſi tota extẽſio obiectiua recipitur in oculo, quæ eſt cauſa, quare dum rem aliquam à longe videmus, appareat parua, cũ tamen ſi prope accedamus, appareat magna, ac reuera eſt? Reſpondent quidam, propter magnam diſtantiã obiecti fieri, vt ſpecies adeò remiſſa ad oculum perueniat, vt iam non repræſentet omnes partes obiecti, & ita apparet paruũ. Sed non placet, quia nulla eſt maior ratio, quare potiùs repræſentetur vna pars obiecti quã alia. Quare dicendum eſt, reuera omnes partes obiecti repræſentari per talem ſpeciẽ, tamen adeò confuſſe, vt videãtur eſſe in minori loco, ſicut corpus, quod cõdenſatur, omnes partes habet modo, quas habebat anteà, reductas tamen ad minorem locum: ſic etiam quanuis videantur omnes partes illius corporis, tamen propter nimiam confuſſionem, qua repræſentantur, apparent in minori ſitu.

Quæst. VII. Quod sit organũ Potentiæ visiuæ.

IN hac quęstione notãdũ est ex Gale lib. 10. de vsu partiũ per multa capita, & ex Vallesi. lib. 7. contro. med. cap. 14. ac pluribus alijs, quorum doctrinã optime congessit Car. Tolet. in oculo propter varios musculos, quibus in hãc & in illam partẽ mouetur, qui adhuc in homine cæco manent, cũ oculos optime moueat, dari quinq; tunicas, & tres humores, vt ex Anatome constat: nã in cẽtro oculi est quidã humor, qui Crystallinus dicitur, eo q; Crystalli similitudinem gerit, & hic appellatur pupilla, qui humor circumuoluitur quadãtenui pellicula, quę dicitur tunica aranea, eo quod in subtilitate tunicas aranearum imitetur. Deinde vero humor Crystallinus hac tunica coopertus, habet sibi adiunctũ alium humorẽ, qui dicitur vitreus, splendet enim sicut massa vitrea, qui humor vitreus taliter crystallinum circumdat, vt relinquat foramẽ quoddam, per quod veluti per fenestram species visibiles ad humorem crystallinum peruenire possint. Hũc autem vitreũ humorem circundat quædam alia tunica, quæ dicitur articularis, quia ex multis venis, & arterijs ad modum retis contexta est. Deinde enim est alia tunica tertia, quæ dicitur vuea, assimilatur enim vuæ, in qua ablato pedunculo manet foramen quoddã, quæ tunica in diuersis diuersum habet colorem, ita vt ab illa oculi denominẽtur cærulei, vel nigri: deinde subsequitur quarta tunica, quę dicitur cornea, est enim dura, licèt trãsparens, quã sequitur alius humor dictus albugineus, eo fine à natura datus, vt humectet humorem Crystallinum. Tandem est vltima tunica hæc omnia ambiens, quæ dicitur consolidata de quorũ omnium munere latè disputant medici: non est autem nostrũ in his immorari legatur Card. Tolet. hoc cap. q. 1. Sunt etiam in oculo duo nerui qui appellantur optici qui à cerebro tendunt ad ipsum oculum, alter quidẽ versus partem sinistrã, alter verò versus dextrã, qui nerui, quò magis à cerebro distãt, magis inter se vniuntur, & postquã se se semel prope oculos coniunxere, iterum separãtur, ita vt quilibet versus suum oculum tendat.

His ergo suppositis Card. Tolet. in hoc capite existimat potentiã visiuã, tantũ subiecta

ri in tunica aranea circũdante humorem cryſtallinum: cuius fundamentũ eſt, quia læſa hac tunica, impeditur viſio, hoc tamen nihil probat, quia etiã læſo quolibet humore oculi, aut quauis alia tunica, etiam lęditur viſio, cum tamen adhuc ex ſententia Card. Toleti potentia viſiua non ſubiectetur in quolibet humore, aut tunica.

Auicena verò lib. 6. naturalium quæſtionum part. 3. cap. 8. exiſtimat potentiam viſiuã non ſubiectari in parte aliqua oculi, ſed in coniunctione illa, qua nerui optici inter ſe cõiunguntur. Sed neq; hæc ſententia placet. Primò, quia nerui illi poſt coniunctionem illã, quã prope oculos habent, iterũ per ſuas vias diuidũtur, vt quilibet tendat ad ſuũ oculum, quod ſane indicat huiuſmodi neruos potiùs fuiſſe à natura deſtinatos, vt per illos perueniant ſpiritus vitales ad oculũ, quã vt ſint organum, in quo reſideat potentia viſiua. Tũ etiã, quia vno oculò clauſo attentiùs videmus, ſic enim vt directius ſagittam in ſcopũ mittamus, vno clauſo oculo, ſcopum intuemur, ideo ergo eſt, quia virtus animæ adhibẽda per duas potentias reſidentes in duobus oculis, clauſo vno oculo, tantùm adhibetur per vnam, & ita efficacior, & intenſior adhibetur, ſignum ergo eſt potentiam viſiuã potius ſubiectari in parte aliqua oculi, ita vt ſint duæ potentiæ viſiuæ, ſicut ſunt duo oculi, non vero in coniunctione illa neruorum opticorum, ſic enim tantũ eſſet vnica potẽtia viſiua in quolibet animali.

Quare dicendum eſt cũ cõmuni ſententia, potentiam viſiuã ſubiectari in pupilla, quæ integratur ex humore cryſtallino, & ex tunica aranea. Sic docuit Ariſt. 1. lib de hiſtoria animalium. c. 9. & 5. lib. de generatione animalium. c. 1. Gal. lib. 8. de vſu partium capit. 6. congruentię autẽ ad hoc probandum ſunt, quia hac ratione melius intelligitur, naturam prouidam meritò humorẽ illum cryſtallinum in centro oculi conſtituiſſe, vt eſſet ſedes tuta potentiæ viſiuę. Tum etiam quia humor ille cryſtallinus maxime diaphanus eſt, & ita maxime aptus ad recipiendas ſpecies viſibiles, quibus videat, tum etiam vt dicto loco docet Gal. viſio præcipue lędi tur ex læſione pupillæ, quã ex læſione aliarũ potentiarũ.

Ex quibus infertur primò, humorem illum cryſtallinum reuera viuere: in quo diſplicet Card. Toletus loco citato, habet

bet enim visionẽ, quæ est actio vitalis. Infero secundò, cuilibet animali esse duas potẽtias visiuas, sicut duo oculi realiter diuersi, & distantes: vnde quando cõmuniter dici solet in quolibet animali solũ dari quinque sensus externos, non est sermo de distinctione numerica, sed specifica.

Posset tamen aliquis dubitare, quæ sit ratio, quare si quodlibet animal habet duas potentias visiuas, ac perinde duas visiones, nõ appareãt obiecta duplicia. Respondetur q̃ sicut quãdo è cõtravno oculo intuemur duo obiecta, non apparet nobis vnũ obiectum, sed duo, quia videtur talia obiecta prout in se sunt, & sunt duo, ita quando è cõtra duobus oculis intuemur vnũ obiectũ, solũ apparet vnum, quia videtur prout in se est, & reuera est vnũ. Verum est aliquando obiecta apparere duplicia propter cõmotionem spirituũ vitaliũ, qui requirũtur ad visionẽ, vt cõtingit in ebrijs, in quib' ex nimio calore, ita perturbãtur spiritus vitales, vt obiecta illis appareant duplicia.

Dubitabit vltimo aliquis cuius naturæ sit humor iste crystallinus, Plato enim sensit esse naturæ igneæ, ita quòd in illo prædominet ignis, quia aliquando oculi scintillant: sed hoc nihil probat, hæc enim scintillatio referri potest, vt in causam, in spiritus vitales calidos. Dicendum ergo est cũ Arist. lib. de sensu & sensibili, esse naturæ aqueæ, nõ quĩ dẽ, vt quidã probant, quia aliquãdo oculi aqueũ humorem effundunt, hoc enim potiùs prouenit ex alijs humoribus existentibus inter partes oculi, aliàs cum sint homines cõtinuò humorem aqueũ effundentes, iã in illis cõsumpta esset pupilla. Ratio ergo est, quia ille humor est ad modũ crystalli, tãquã quẽdã aqua cõgelata. Et hæc de hoc capite.

Capit. VIII. De auditu.

INtentũ Arist. in hoc capite est agere d̃ auditu. Tria agit: Primò agit de eius obiecto, scilicet de sono, explicãs quomodo fiat, & quid sit, vbi etiã explicat quomodo causetur echo. In secunda parte agit de medio per q̃ immutatur auditus. Tertiò agit de voce, quæ quidã sonus est: dicit ergo, sonũ causari expercusione duorũ corporũ; se collidentiũ, ex quorũ percusione, aliud resilit: oportet autem, q̃ corpora se collidẽtia dura sint, & ita lana nõ efficit sonũ. Præterea sonus meliùs causatur ex col-

lisione facta in corpore concauo, qua ratione cymbalo optime fit sonus. Dicit præterea collisionem corporum debere fieri motu veloci, nam corpora se se paulatim tangẽtia, quantũuis dura sint, non efficiunt sonum, quia tunc non resilit corpus: deinde dicit Echo ex eo causari, quòd sonus perueniens ad locum concauum, veluti repercussus resiliat ex tali corpore.

Deinde dicit, medium per quod immutari potest sensus auditus, esse aerem, & aquam: vnde quando suprà. c. 7. dixit mediũ, per quod immutatur visus esse aerem, & aquã, medium verò per quod immutatur auditus, esse aerẽ, nõ sentit sonũ non posse diffundi per aquam, sed aerem esse mediũ longe aptius, quàm aqua.

Addit, intra auditũ nostrum esse aerem quemdam immobilem, vt auditus audiat omnes differentias soni, dicitq; inter sonos dari quemdá sonũ grauem, alium verò acutũ: sonus acutus, inquit, est, qui in breui tempore multùm mouet sensum, grauis verò, qui in multo tempore paucũ mouet auditum. Tandem agit de voce dicẽs, quòd vox est sonus factus ab animali, media respiratione causata à pulmone cum intentione aliquid significandi: vnde ille sonus per gurgulionẽ emissus, vox dicitur, & ita, inquit, pisces non formant voces, quia cum careant pulmone, carent etiam respiratione, & ita non formant vocem.

Disp. VII. De auditu.

MErito quidem Arist. post tractatum de potẽtia visiua, deinde de auditiua sermonẽ instituit, est enim sensus cæteris nobilior, & minùs materialis. In cuius disputatione prius de eius obiecto, scilicet de sono, quàm de ipsa potentia agendum est, dignoscũtur enim potẽtię per obiecta.

Quæst. I. Quid sit sonus, & à quo fiat.

DVo inquirit quæstio hęc: alterũ est, quid sit sonus, alterũ verò, à quo causetur: circa primũ Card. Tolet. hoc loco refert Themistiũ, & alios Græcos intepretes asseruisse, sonum esse motũ localẽ corporis resilientis, expercusione corporũ se collidentiũ, nõ verò esse qualitatẽ aliquã. Quæ sentẽtia videtur in primis habere fundamẽtũ in Arist. hoc capite dicẽte, sonũ esse ictũ, & motũ corporũ se collidentiũ; sen-

sentit ergo, sonum potiùs esse motum, quàm qualitatem aliquam.

Secũdò, quia sonus est quid successiuum, patet enim sonum semel factum successiuè audiri per diuersas partes medij priùs in vna parte, quàm in alia: ergo sonus potiùs est motus, & quid successiuum, quàm qualitas permanens.

Tertiò, quia si sonus est qualitas, vel esset qualitas prima, vel secunda: non prima, quia Aristot. 2. de gener. cap. 1. & 2. tantùm enumerat quatuor primas qualitates, scilicet frigus, calorem, humiditatem, & siccitatem: sonus autem nulla harum est. Neque etiam est qualitas secunda, sonus enim non resultat ex temperamento primarum qualitatum, sed ex vehementi collisione corporum: ergo non est qualitas.

Dicendum tamen est cum communi Philosophorũ sententia, sonum esse aliquid diuersum à motu locali, scilicet qualitatem quandam resultantem ex collisione corporum; quam omnes alij authores in hoc cap. sequuntur. Ratio est facilis, quia motus, vt suprà vidimus, est sensibile commune; sonus autem est sensibile proprium auditus: ergo sonus debet esse qualitas aliqua diuersa à motu spectans peculiariter ad auditum.

Secũdò, quia potest dari motus tam velox, quàm tardus sine sono: de tardo patet, nam si corpora sibi inuicem lentè per motum localẽ appropinquent, ibi adest motus tardus, nullus tamen fit sonus. De veloci probatur, quia si corpus aliquod velociter moueatur, nõ tamẽ cũ alio collidat, etiá nullus fit sonus: ergo sonus nullo modo est motus localis.

Tertiò, quia proprietates soni sunt maximè diuersæ à proprietatib' motus localis, sonus enim, vt docuit in hoc cap. Arist. dicitur grauis, aut acutus, motus verò minimè. Præterea motus dicitur velox, aut tardus, non verò sonus: ergo re vera est qualitas diuersa à motu.

Dico secundò, sonum esse qualitatẽ quandam primã, eo sensu, quo 2. lib. de gener. diximus, lumen esse primã qualitatem, quia nõ oritur ex cõmixtione aliarum primarum qualitatũ: si ergo, quia sonus ex nulla cõmixtione primarũ qualitatum oritur, re vera est qualitas primã, & nõ secunda: nam si ex cõmixtione primarũ qualitatũ penderet, nõ tam citò euanesceret, imò neque posset tam velociter diffundi

per

per mẽdium, nã alteratio præuia primarum qualitatũ non potest tam velociter fieri.

Neque obstat Arist. loco citato tãtũ enumerasse quatuor primas qualitates: nã vt eodẽ loco adnotaui, tantùm eo loco agit de primis qualitatib', quæ disponunt ad omnes eorum omnium generationes, & corruptiones, de qua generatione, & corruptione ibi agere intendit, quæ qualitates solùm sunt quatuor illæ primę connumeratæ ab Arist. tamen re vera aliæ sunt primæ qualitates, vt ibi diximus de lumine, & de impulsu: ad eũdem ergo modum sonus est qualitas prima.

Et si inquiras, vtrũ sonus habeat sub se plures species essentialiter diuersas, partem affirmatiuam videtur indicare Cardin. Tolet. híc q. 1. dũ probat primam conclusionẽ. Ego tamen nõ video sufficiẽs aliquod fundamentũ, vt distinguamus specie vnum sonũ ab alio: nã quòd sonus sit acutus, aut grauis, profectò solùm est differentia accidentalis secundum maiorem, aut minorem soni intensionem. Præterea, quòd sonus causetur ab hoc, aut illo tempore, non potest variare speciem, sicut impulsus q. fiat ab hoc corpore, vel illo, non variat natura, & essentia impulsus.

Solùm potest hìc obijci: Nã alia obiecta sensibilia habent sub se varias species, vt color, & sapor: & idem est de qualitatibus tangibilibus: ergo etiam id debet esse in obiecto auditus. Hoc tamen argumentum non conuincit: nã in alijs obiectis, v. g. in coloribus est sufficiens temperamentum ad colligendam diuersitatem essentialem inter illos: requirunt enim diuersi colores diuersum temperamentum primarum qualitatum, habentque proprietates diuersæ rationis: album enim disgregat visum, &c. nihil verò horum iuuenimus in sonis, & ita non est cur distinguamus specie vnum sonum ab alio. E hinc vlteriùs fit, potentiam auditiuam solùm habere vnũ actum secundum speciem, quia tantùm habet vnicũ obiectũ secũdum speciem infimã, quod tamen non contingit in alijs sensibus, quia habent obiecta specie diuersa sub suo obiecto adæquato, vt patebit discurrenti per singula.

Ad argumentum contrarię sententię respondetur. Ad primũ, propositionem illam, scilicet, sonus est motus corporum

porum collidentium, intelligendum esse in sensu causali, id est, causatur ex motu corporũ se collidentiũ, vt statim dicã: vnde quẽadmodum nomẽ, impulsus, quãuis re vera significet qualitatem causatam ex actione impellendi, tamẽ etiam aliquãdo significat motũ collisionis, ex quo resultat qualitas, quæ est sonus.

Ad secundam, solùm probari, sonum successiuè diffundi per partes medij, vt infrà explicabo, non tamen quòd sit motus localis successiuus. Tandem ad tertiam patet solutio ex dictis.

Circa secundum quod inquirit quæstio, scilicet à quo causetur sonus effectiuè, supponẽdum est, vt docuit Arist. in hoc cap. ꝙ ad sonum requiruntur tria corpora, duo quidem se collidentia per vehementem motũ localem, quę quò magis fuerint dura, meliùs efficiunt sonum, alterum resiliens ex tali corporum percusione, quod quantò minùs fuerit durum, magisque rarũ, aptius est, vt resiliat, vt patet de aere.

Et si obijcias: Nam virga vehementi motu per aerem mota efficit sonũ, ibi tamen tantùm sunt duo corpora se collidẽtia, nihil enim est præter virgam, & aerem: ergo nõ requiruntur ad sonũ tria corpora. Respondet benè Card. Tolet. aerem secũdum partes diuersas habere rationẽ collidentis, & resilientis: illę enim partes, quæ tangunt virgam, illamque collidunt, habent rationem collidentis, quia verò ex tali percusione à virga facta aliæ partes formaliter pelluntur, ideò habent rationem resilientis. Et hoc sufficit, vt causetur sonus.

His suppositis dicendũ est, causam efficientem soni esse corpora se collidentia. Ratio est, quia sonus resultat in corpore resilienti ex vi collisionis corporum: ergo corpora se se collidentia sunt causę efficiẽtes soni, & ita talia corpora dicũtur sonantia, id est, causantia sonum.

Est tamen aduertendũ, vt in simili dicebã de impulsu 8. lib. Physic. sonum non produci per illum motum localem, quo corpora collidũtur, motus enim localis potiùs terminatur ad vbi, quàm ad qualitatem, qualis est sonus: tantùm ergo est ille motus localis conditio necessaria vt producatur sonus: deinde verò per aliam actionem distinctã producitur qualitas, quæ est sonus.

Tan-

Tandem ex dictis potest reddi ratio, quare cœli per suum motum non efficiant sonum, nam vt causetur sonus, debet inter corpora solida se tangentia intercedere corpus rarum, quod resiliat: sed inter corpora cœlestia, quæ solida sunt, nullum est interceptum corpus, quod resilire possit: ergo corpora cœlestia medio suo motu non possunt efficere sonum. Denique de hac re legantur dicta 1. libr. de cœl. cap. 3.

Quæst. II. Quomodò incipiat. & desinat sonus, & in quo subiectò sit.

DIco primò, sonum incipere posse successiuè per vltimum non esse, sicut & ipse motus localis collisionis corporũ. Ratio est, quia hoc ipso, quòd corpora se collidunt, aliud corpus interceptũ resilit per motum localem, & ita fit sonus; sed corpora possunt se continuò collidere, ita vt illa collisio duret tempore aliquo: ergo tunc producitur sonus successiuè.

Sed obijcies: Nam si sonus producitur in tempore: ergo pars soni fit in parte temporis, & indiuisibile soni in indiuisibili tẽporis, debet enim esse proportio inter partes termini, & temporis, vt dicebam 6. lib. Physic. ergo iam auditus audiret in parte temporis partem diuisibilem soni, & in instanti indiuisibile soni, atque adeò posset optimè discernere inter partem, & indiuisibile. Respondetur negando consequentiam: nam sicut visus, quanuis vt diximus, videat partes, & indiuisibilia coloris, hoc tamen adeò est confusè, & inuolutè, vt nõ discernat inter illa, idem est de indiuisibilibus, & partibus soni.

Et si adhùc instes, esse diuersam rationem, nam visus simul tempore videt partẽ, & indiuisibilia coloris; at verò audit' percipit indiuisibile post partem, quia producitur in tẽpore successiuo, in quo instãs est post partem temporis, & ita necessariò debet discernere inter indiuisibile, & partẽ. Respondetur tamen, quòd quemadmodum visus, licèt simul percipiat partem, & indiuisibile coloris, tamen distãtiam illam, qua punctum est extra partem, nõ percipi, quia vnum est immediatè post aliud, estque res tam exigua, vt non possit à sensu cognosci. Sic etiam quid simile intelligendum est in ordine ad distantiam durationis indiuisibilis

bilis soni & partis: sunt enim hæc adeò inter se immediata & cõiuncta, & indiuisibile est res ita minima, vt non possit res hæc discerni ab auditu. Vel secundò, & faciliùs dici potest ad hæc omnia, sonũ nõ esse qualitatem successiuã, vt motus, licèt successiue produci possit, & ita adhuc in hoc instanti durat pars in præcedẽti tempore producta, & ita totum illud auditur, non verò indiuisibile soni præcisse.

Dico secundò in hac quæstione: sonum etiã posse produci in instanti, scilicet quãdo contactus corporum se collidentium per instans tantum durat, ad modum quo. 8. phys. dicebam, dici posse produci in instãti. Et probatur, quia sonus resultat ex collisione corporum, illa autem collisio cum sit motus localis, quo vehementi impetu sibi inuicem appropinquant, finitur in instanti extrinseco, in quo desinit motus ille, in quo instanti est iam contactus: ergo poterit tunc resultare sonus in parte aeris collisa, præsertim cũ sonus non habeat contrariam qualitatem resistentẽ, ne producatur in illo instanti contactus.

Circa modũ autem, quo sonus corrumpitur, certum est in primis sonum nõ corrumpi à contrario, nullam enim inuenies qualitatem sono contrariam. Quod si dicas vnum sonum contrariari alteri, & ita ab illo corrũpi, falsum est omnino, cum vnus sonus, vt vidimus suprà, nõ differat specie ab alio, & si id daremus, necessarium esset, ad corruptionem vnius soni, aduenire alium, & ita post vnum sonum semper audiremus sonum sine interruptione. Dicẽdum ergo est: sonum non corrumpi à contrario: sed neq; potest corrũpi sonus ex defectu subiecti: patet enim deficiente sono in aere, manere aerem ipsum, in quo recipitur: restat ergo q; sonus corrũpatur ex defectu conseruantis.

Restat tamen examinandũ, quid sit illud, à quo sonus pendeat in conseruari: quædã sententia est quorumdam sonum pendere in fieri, & in conseruari à motu, saltem corporis resilientis excollisione aliorũ: dicũt enim motũ illũ, esse causam productiuam soni, atque adeo sonum esse qualitatem successiuam, non minus quàm ipse motus, ita vt sicut nulla pars motus coexistit alteri, sed est vna post aliam, ita nulla pars soni alteri coexistat.

Sed non placet tum, quia

Circa secundū quod inquirit quęstio, scilicet in quo subiecto sit sonus, communis omnium sententia admittit, sonū subiectari ad minus in parte resiliente ex collisione corporum. Ratio est, quia corpus resiliens ex collisione corporum duorum est rarum, ita vt facile per illam collisionē cogatur resilire, & veluti dissipetur, & ita magis aptum est ad recipiendum sonum quam corpora ipsa dura: imo hac ratione experimur partes aeris vento agitatas, nullo alio interueniente corpore sonum efficere, in quantum quædam fortiter pellunt alias, & eas veluti percutiunt.

Maiorem tamen habet difficultatē, vtrum etiā sonus recipiatur in corporibus sonantibus, & se collidentibus. Partem affirmatiuam probabilē satis tenet Vega lib. 1. de arte medēdi: idq; docuere antea nonnulli ex antiquis Philosophis quos refert Apollinari. Cuius sententiæ fundamentum est: quia si post pulsationē cymbali, ex qua sonus resultauit manu cymbalum apprehendas, impeditur sonus, vt patet experientia, signum ergo est ibi subiectari sonum: ergo sonus etiam subiectatur in corporibus se collidentibus. Probabiliùs tamen existimo sonum non subiectari in corporibus se collidentibus, idq; docuit D. Tho. & Auerroes hoc loco, & Card. Tol. q. 20. nec displicet omninò eius ratio. Inquit enim q̄ sonus si est subiectiue in corporibus se collidentibus, cū nō sit maior ratio, quare sit in vno, quā in alio deberet esse in vtroq;, & ita cū sit duplex corpus, esset duplex sonus: ex quo, inquit vlterius, fieret, numquā à nobis vnicum tantum sonū, sed duplicem audiri.

Respondēt quidā, quòd quā uis illi duo soni sint duo in esse soni, tamen sunt vnū in esse audibilis. Exēplū esse potest quando duo canentes, voces ęque prorsus intēsas emittūt; vbi tantùm videtur audiri vna vox, cum tamen reuera sint duæ: tamen cōtrà est, quod cū corpora sonantia non possint adeo mathematice æqualia cōstitui, vt induratione & solidi tate sint prorsus æqualia, necessariò si son' subiectatur in illis, non potest ita indiuisibiliter esse æqualis, quod vnus non excedat alium: vnde iam audirentur duo soni, & excessus vnius supra alium perciperetur.

Secundo probatur quia cū pars resiliens sit sufficiens

ſubiectum ſoni,& ex illa poſſit intẽtionaliter diffundi per totum medium, non eſt cur dicamus ſonum realem ſubiectari in corporibus ſe collidẽtibus, quæ dura nimis ſunt. Præſertim cum ratio in contrarium adducta non conuincat oppoſitũ, nã ꝙ cymbalum tĩniẽs manu apprehenſum, faciat ſonum deſicere, non fit ex eo quòd talis ſonus ſubiectetur in partibus ſolidis cymbali, ſed ex eo quod in aere contento intra poros cymbali ſonus aliquis ſubiectetur.

Deinde examinandum reſtat, quod ſit medium aptum ad recipiendum ſonum, & cõueniunt omnes, tam aerem, quàm aquam eſſe medium aptum ad recipiendam ſpeciem itentionalem ſoni, conſtat enim, nos in aere exiſtentes audire ſonum,& piſces ſub aqua exiſtentes audire voces piſcatorum, & ita, vt refert Ariſt. de hiſtoria animalium, piſcatores dũ pergunt ad capiendos piſces, voces nõ emittũt, ne ab illis audiantur: hac etiã ratione narrat Plinius lib. 1.c. 7. fuiſſe quoſdã piſces in ſtagnis Cæſaris, qui proprio vocati nomine, ſtatim veniebant.

Secundò certum debet eſſe, aerem eſſe ſubiectũ capax ad recipiendum ſonum rẽalẽ, & nõ ſolùm ſpeciem ſoni, eſt enim valde rarũ, & facilè refrangitur ac reſilit. De aqua vero nonnulli dubitant: ſed mihi videtur res certa: nã experientia patet, quòd ſi homo ſub aqua exiſtens lapides inter ſe vehementi impetu tangat, exteriùs in aere auditur ſonus factus ſub aqua: eſt ergo aqua ſubiectum aptum ad recipiendum ſonum. Ratio vero à priori eſt, quia licèt aqua non ſit ita tenuis, ac rara, ſicut aer, tamen reuera rara eſt, & ita non eſt prorſus incapax ad recipiendum ſonũ realem.

Addo vltimò, quod licèt corpora ſolida, non ſint capacia ad recipiendum ſonũ realem, tamen poſſunt recipere ſpeciem intentionalem ſoni, patet enim, quod ſi quis intra cubiculum clauſum loquatur, alius in alio cubiculo exiſtens audit ſonũ, quod aperte indicat ſpeciem intentionalẽ ſonĩ pertrãſiſſe ſolidum parietem per omnes eius partes, & non tantum ſecundum partes poroſas aere plenas.

Quæst.III. Vtrùm sonus perueniat vsq; ad auditũ secundum esse reale, vel secundum esse intentionale.

SEnsus quęstionis facilis videtur, id enim quærimus, an sonus realis causat' ex percusione corporum perueniat vsq; ad auditum nostrum, vel potiùs audiatur sonus per speciem intentionalẽ vsq; ad auditum perueniẽtem. In quare prima sententia est asserentium sonum semper peruenire vsq; ad auditum secundum esse reale. Docuit Auic. lib. 6. de auditu AEgidius hoc lib. tex. 84.

Secũda vero sentẽtia huic extremè opposita asserit, sonũ numquam peruenire vsq; ad auditum, secundum esse reale, nisi tantùm per speciẽ intẽtionalem. Sic tenet Card. Tolet. hic. q. 21. Nobis tamen media via incedẽdum est: potest enim sonus ita prope auditũ causari, vt simul cum parte resiliẽti, in qua subiectatur, perueniat vsq; ad auditũ nostrũ, vt per se patet. Vtrũ vero sonus ille realis ad auditum perueniẽs, debeat producere intentionalem speciem, vt audiri possit, vel potiùs per se ipsum supra sensum positũ possit sentiri, pendet ex quæstione ilia vtrum aliquando sensibile positũ supra sensum possit sentiri, vel potius necessarium sit semper medium aliquod, per quod diffundantur species intentionales obiecti: de quo dicam infrà. c. 12. huius libri.

Dico tamen secundo, vt in plurimum, sonum non peruenire vsq; ad auditum secundum esse reale, sed solum per speciem intentionalẽ sui. Est communis sentẽtia, quam D. Thom. Caiet. & alij hoc loco communiter sequuntur, & videtur satis rationi consentaneum; nam incredibile est paruam particulam aeris resilientem ex percussione, in qua particula subiectatur son' realis, peruenire ad longam illam distãtiam, in qua auditur sonus, & per singulas audientium aures diuagari, pręsertim cũ flante vento in contrariam partẽ, nihilominus ad aliquam distãtiam audiatur sonus.

Et si respondeas, sonum illum realem subiectatũ in parte resilienti nõ peruenire per se ipsum ad auditum, producere tamen alium sonum realem in medio sibi contiguo, & sic secundum esse reale diffundi vsq; ad auditum. Cõtrà est, quòd sonus non potest produci cessante percussione cor-

corporum, eſt enim actio illa conditio quædam prorſus neceſſaria ad productionem ſoni; non ſecus quàm actio impellendi, eſt omnino neceſſaria, vt producatur impulſus: ergo ceſſante iam prima colliſione, ex qua in parte reſiliente reſultauit ſonus, nõ poteſt ibi diffundi alius ſonus realis per medium.

Dico tertiò ſonum in inſtanti productum in eo inſtanti producere ſpeciẽ intentionalem ſui, in tota ſua ſphęra actiuitatis. Ratio eſt, quia vt ſupra dixi ſpecies intentionales nullum habent contrarium, quod productioni illarum reſiſtere poſsit, & ita producuntur in inſtantĩ: ergo in eo inſtanti, in quo eſt ſonus, cum iam adſit obiectum productiuum ſpecierum, debent ſpecies ſoni, in tota illa ſphæra produci.

Poteſt tamẽ obijci cõtra hãc ſententiã, nam ſi in eo inſtanti in quo primo incipit eſſe ſonus producit ſpecies intentionales per medium: ergo in illo inſtãti, in quo fit, debet audiri medijs illis ſpeciebus productis: conſequens autẽ eſt cõtra experientiam; nam ſi videamus hominẽ à longe percutiẽtẽ lapidẽ, prius videmus ictũ, quam audiamus ſonum, quod aperte probat, priùs fuiſſe productũ ſonum, ex tali ictu, quã audiatur ſonus. Reſpondetur tamẽ rẽ hanc explicãdam eſſe exẽplo de lumine à nobis adducto in lib. Phyſi. nam luminoſum, v.g. ſol in primo inſtãti, quo creatus fuit produxit lumẽ in prima ſphęra ſuæ actiuitatis, tamen in partibus ſequẽtibus ſucceſsiue, quia per motum localem ſucceſsiuum fuit illi applicatus. Sic etiam ſonus in prima ſua ſphęra producit ſpecies intentionales in inſtanti, & ita ſi aliquis in ſpatio propinquo exiſtat, ſimul quod videt ictum audit ſonum: Si tamen ſit extra primã ſphęrã ſoni, priùs videt ictũ, quàm audiat ſonum, quia ſonus delatus, in parte aeris reſilientis ſucceſsiue applicatur alijs, atq; alijs partibus vltra primam ſphęram, & ita in illis ſucceſsiue producuntur ſpecies ſoni, & hinc eſt q̃ prius videatur repercuſio corporum, quã audiatur ſonus, quãdo ſitã longa diſtantia.

Hinc obiter intelligitur, quę ſit cauſa, quare prius videatur à nobis lux fulminis, quã audiatur tonitrus, cum tamen euidẽs ſit, prius fieri tonitrũ, quã producatur in aere lumen fulminis, nam cum fulmẽ intra nubem ſolidam contentũ

non

non posſit in aere producere lumen niſi exeat extra nubē, ideò, quia exit ab illa, illam rumpendo, quæ ruptio eſt tonitrus, euidens eſt fieri prius tronitruū, quā luceat fulmē, cum tamē prius nos videmus tale lumen, quā audiamus tonitruū. Ratio in quam huius eſt, quia lumen in inſtāti producitur, per totū aerē vſq; ad noſtrum viſum, habet enim ſpheram actiuitatis lōge magis latam, quàm ſonus; cū experiamur nos à longiſsima diſtantia videre obiecta, cum tamen ſonum in ea diſtantia nō audiamus: quia ergo ſonus ille realis cauſatus ex repercuſione facta in nube, opus eſt per motum localem ad nos, aliquātulum accedat, vt ſphera actiuitatis illius vſque ad nos pertingat, ideo quia mouetur ſimul cum parte reſilienti, in qua ſubiectatur, ſicut motus localis quo mouetur ſucceſsiue fit, ita ſpecies intentionales ab illo productæ, ſucceſsiue vſque ad nos perueniunt, & ita poſt factum ſonum, tonitru tranſacto, tempore aliquo auditur à nobis, lumen vero fulminis in inſtanti vſq; ad nos peruenit, atq; adeo prius videtur lumen, quàm audiatur tonitrus.

Ex dictis etiam ſolui poteſt alia dubitatio, quare ſcilicet, quando plures ſimul loquuntur voces ſingulorum minus perfecte audiantur: nā præter rationem illam generalem, *Quia pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*, eo quòd eſt virtus finita & limitata, eſt etiam alia peculiaris ratio, quia ſcilicet particulæ aeris ex illis varijs percuſionibus reſilientes ſeſe mutuò obuiantes impediunt, ne ſonus realis in illis exiſtens, ita bene diffundatur per medium, & ita parte aliqua diſtanti prope quam aliàs accederet ſonus, ille non producuntur tam intenſæ ſpecies intentionales.

Tandem ex dictis etiam intelligitur, quare flante vento minùs perfecte audiatur ſonus, quia ſcilicet ventus ſecum deferens aerem reſilientem, per conſequens ſecum defert ſonum, & ita verſus illam partem recte auditur ſonus, non tamen verſus contrariam.

Quæſt. IIII. Quomodo fiat Echo.

ECho vt optime docuit Plato in Phędone, nihil aliud eſt,

eſt, quàm ſonus reflexus à loco concauo, quod qua ratione fiat, non caret ſua difficultate. Quidam enim Philoſophi, quos refert Iandunus hoc loco, aſſerunt, Echo eſſe ſonũ ſpecie diuerſum à priori ſono, à quo cauſatur. Quæ ſententia meritò ab omnibus reijcitur, nam in Echo auditur ſonus omnino ſimilis priori, ita vt eadẽ prorſus videatur vox: non ergo eſt cur dicamus ſonum illum ſpecie differre à priori.

Alij vero dixerunt Echo non differre ſpecie à priori ſono, fieri tamen ſecundum reflexionem realem ſoni, & non per reflexionem ſpecierũ intentionalium ſoni. Tenet Philoponus hoc loco Albert. tra. 3. c. 19. & Card. Toletus hic, videturq; habere fundamentum in Ariſt. hoc capite vbi ait, *Fit autẽ Echo, ſonitus inquã is, qui poſt ſonum reſultat cũ aere factus vnus ob vas, vel locum, qui traxit ipſum, atque diſſolui prohibuit, vnde reſilit veluti pila repulſus:* quibus verbis ſignificari videtur, ſonum realem ſimul cum parte aeris, in qua ſubiectatur, deferri vſq; ad locum concauum, in quo fit reflexio, indeq; quaſi pilam reſilire.

Et ratione probari poteſt eadem ſententia, nam ſpecies intentionales non ſolum repræſentant obiectum, ſed præſentiam, quam habet obiectũ in tali, vel tali loco, hac enim ratione, per ſpeciem viſibilẽ, qua videmus colorẽ, cognoſcimus etiam præſentiam coloris, in tali, vel tali loco: ſed quando auditur Echo, nõ auditur in diſtãtia, in qua factus eſt primus ſonus, ſed apparet alia noua vox de nouo formata in loco illo concauo, in quo formatur Echo: ergo Echo non fit per reflexionem ſpecierum intentionaliũ, ſed per reflexionem ſoni realis.

Nihilominus dicendum exiſtimo: Echo nõ fieri per reflexionem ſoni realis, ſed potius per reflexionem ſpecierũ ſoni. Tenet Buridanus hic. q. 21. Apolinarius. q. 24. ſubtilis diſputator Molin. 1. p. q. 55. diſp. 2. & oppoſitum mihi ſatis eſt incredibile; nam Echo ſæpe fit in corpore concauo, quàm maxime diſtanti, ſed impoſsibile eſt tam breui tempore partem aeris reſilientẽ, in qua ſubiectatur ſonus, ad illum locum peruenire, & inde iterum ad auditum reuertere, præſertim cum adhuc flante vento in contrariam partẽ fiat Echo: ergo incredibile eſt, Echo fieri per reflexionẽ ſoni realis.

realis. Omitto hac in re nonnullas alias rationes, quæ ad hanc sententiam probandam à quibusdam adducuntur, nó multùm efficaces, neq; enim est opus singulas rationes refellere.

Ad argumẽta autẽ cõtrarię sententiæ respondetur: ad primum Aristotelem potius indicare nostram sententiam illis verbis (*Sonitus inquam is, qui post sonum resultat*) vbi videtur asserere non esse vnum sonum reflexum, sed aliquid resultans ex primo sono: hoc autem resultans per speciem intentionalem fit, illa autem resultantia aeris ab eo concauo, quam Arist. ponit, non est simpliciter necessaria.

Ad secundum respõdetur species intentionales soni eã habere naturam, vt non tam exactè repræsentent præsentiam, aut distantiam obiecti, sicut species visibiles: quando enim obiectum lõge videmus per speciem visibilem, etiam repræsentatur distantia obiecti, ideſt, præsentia in loco distanti, id tamen minus perfectè habent species soni. Si enim vocem aliquam à longe audias, licèt fortasse percipias confusè nimis ex qua parte perueniat sonus, situm tamẽ, vbi formatus sit talis sonus, non cognoſces, & quid simile experimur in speciebus odoris, per illas enim, non nisi nimis confusè, aut fortasse per discursum, percipies sitũ obiecti odorabilis, nihil ergo mirum, si in reflexione facta in Echo species intẽtionales soni, tum propter imperfectam earum naturã, tum etiã propter distantiam, non repræsentent distantiam soni: imò simĩlem defectum experimur in reflexione specierum visibiliũ, si enim te ipsum aspicias, faciem contra positã videbis, ita vt pars dextra in figura illa sit sinistra, & è contra, quia apparet ibi quasi nouum quoddam obiectum, nihil ergo mirum, quod in reflexione facta in Echo appareat quasi noua vox.

Ex dictis etiam facile potest solui dubium, quod tractat Aristot. lib. de sensu & sensibili capit. 7. an scilicet idem sonus possit à pluribus audiri, nam cum in nostra sentẽtia percipiatur per speciem intentionalem sui, non est opus sonum realem per singulas aures diuagari, sed per speciem intentionalem in medio diffussam à singulis auditur.

Quæſt.V. Quid ſit organũ auditus.

IN aure præter externã auriculam eo fine à natura datã, ne exterior aer tam facile auditũ ingredi poſsit, datur quędam cauitas habẽs anfractus, vt in illis aer externus confractus ne tã facile ad profundũ illius cauitatis peruenire poſsit: datur etiam in profundo illius cauitatis ſubſtantia quædam ſubtilis ac ſpumoſa, quæ aer animatus appellari ſolet, ac perinde longe diuerſæ naturæ eſt ab exteriori aere inanimato: datur etiam neruus quidam à cerebro verſus auditum procedens, per quẽ cerebrum communicat auditui ſpiritus vitales ad ſenſationẽ requiſitos, qui neruus eſt coopertus quadam tunica, quæ dicitur membrana. Communis ergo ſententia eſt, potentiam auditiuam ſubiectari in aere illo animato, nam neruus ille potius videtur à natura datus, vt ſit medium, per quẽ ſpiritus vitales deſcendant à cerebro ad auditum, quã vt ſit organum potentiæ auditiuę: tũ etiã, quia ſubſtãtia illa ſpumoſa ſubtilis nimis apta eſt ad recipiendas ſpecies intentionales ſoni, quibus audire poſsit, & ita magis videtur conſentaneum potẽtiam auditiuam in tali aere animato reſidere: loquor tamen, vt in plurimum, nam vt Ariſtotel. 2. de partibus animalium cap. 12. &. c. 8. docet in quibuſdam animalibus, organum auditus eſt in medio corporis inter anfractus quoſdam: & iuxta dictam ſententiam facile conciliãtur duo loca Ariſt. quæ aliàs videbantur contraria, nam in hoc c. text. 83. dicit, organũ auditus eſſe immobile, cum tamen tex. 82. dixiſſet aerem intra aurem contentum ſemper moueri, primum enim intelligendum eſt de aere animato, hic enim immobilis eſt: ſecundũ vero intelligendum eſt de alio aere elemẽtali, & inanimato intra aurem exiſtente, vel vt alij volunt intelligendum eſt de motione intentionali: ſemper enim immutatur recipiendo ſpecies ſoni. Verũ eſt, aerem illum animatũ aliquando moueri poſſe ex praua diſpoſitione, & morbo, qua ratione ſæpe infirmi internũ ſentiunt tinitum. Et hæc de hoc capite.

Cap. IX. De olfactu.

IN hoc capite agit Ariſt. de olfactu, explicans breuiter, quid ſit obiectũ, mediũ, & ſubiectum

iectum illius. Primò tamẽ proponit huius rei difficultatem, quòd cum homo habeat olfactum imperfectiorẽ omnibus animalibus: nã sicut homo superat tactu omnia animalia, ita superatur ab illis in olfactu: ideo difficile esse nobis iudicare de hac re docet: Dicit tamen, nos de hac re ex eo cõiectari posse: nam olfactus datus est à natura animalibus propter gustum: animalia enim per olfactũ iudicãt, quæ alimenta sint sibi cõuenientia, homo autem superat reliqua animalia in gustu, eo quòd gustus est quidã tactus, homo autem superat reliqua animalia in tactu, & hac ratione adhuc inter homines, illi inquit, qui sunt molles carne, qui habẽt meliorem tactum, etiam sunt magis ingenioſi: illi verò qui habent carnes duras sunt hebetes ingenio. Dicit ergo, quòd sicut inter sapores quidã sunt dulces, alij amari, ita inter odores, quidam sunt dulces, id est delectabiles, alij verò amari, id est, disconuenientes. Deinde dicit medium per quod olfactus immutatur, esse aerẽ, & aquã: de aere patet, de aqua verò probat experientia, pisces enim à lõga distãtia olfaciũt cibos, & ita ad illos capiẽdos pueniũt.

Docet præterea, quod sit subiectũ olfactus, dicens, sensum hunc, tã reperiri in animãtibus respirantibus, quã in nõ respirãtibus, vt patet de piscibus, tandem dicit, quod sicut organũ gustus requirit temperamẽtũ, in quo sit abundãtia humiditatis, lingua enim nimis sicca, perfecte min' percipit sapores, vt patet in infirmis, ita è cõtra ad organũ olfactus, requiritur abundantia siccitatis.

Disput. VIII. De olfactu.

POst auditũ merito agit Arist. de olfactu, est enim præstãtior sensus, quã gustus, & tactus: tũ quia minus materialis est, tũ etiã, quia ad longiorem distãtiã percipit suũ obiectũ: nam gustus & tactus requirũt maiorẽ approximationem in suo obiecto, quàm olfactus.

Quæst. I. Quid sit odor.

DE natura odoris variæ sentserũt antiqui philosophi, Heraclitus enim, vt refert Arist. de sensu & sensibili. c. 5. existimauit, odorẽ esse vaporẽ quẽdã, seu exhalationẽ emissam à corpore odorifero, nec videtur carere fuo fundamẽto, hac enim ratione experimur corpora odorifera successu tẽporis minorẽ lõge odorẽ

habere, quãin principio; signũ ergo est mittere ex se vapores, & exhalationes odoriferas, donec tandem totus illorum odor consumatur. Auice. vero lib. 6. naturalium quæstionum 2. par. c. de odore, asseruit esse humidum quẽdam spiritum.

Tamen dico primò, odorẽ non esse vaporem, exhalationem, aut aliquid aliud substãtiale, sed potiùs qualitatem quandam. Est communis Philosophorum sententia in hoc capite. Cuius ratio est, quia vt Arist. docuit cap. 6. huius lib. substantia, non est aliquid sensibile per se, sed per accidens, scilicet per accidentia illi superaddita: sed odor est aliquid sensibile per se, & spectans per se ad olfactum, ergo nõ potest esse vapor, aut exhalatio aliqua, ista enim sunt substantiæ quædam tenues.

Secundò, quia visus & auditus sunt lõgè perfectiores sensus, quã olfactus: sed obiectũ visus, & auditus, non est substantia aliqua, sed qualitas: ergo obiectum olfactus, nõ debet esse substantia aliqua, sed qualitas, vt patet de omnibus alijs sensibus.

Dico secundo, odorem esse qualitatem secundam, ortã ex certo temperamento primarum qualitatum: quam cõclusionem docuit Arist. c. 5. citato de sensu & sensibili. Albertus summa de homine tractatu de olfactu. q. 9. & cõmuniter interpretes hoc loco. Cuius rei argumentum est in primis, quòd in corporibus simplicibus, qualia sunt elementa, si in sua naturali dispositione existant, nullum experimur odorem, quod non nihil indicat odores requirere temperamentũ primarũ qualitatũ, quale reperitur in mixtis: imò experimur in mixtis reperiri varios odores iuxta diuersum temperamentũ illorum: ergo odor est qualitas secunda.

Addo prætereà, odorẽ requirere tale temperamentum primarum qualitatum, in quo calor, & siccitas excedant alias qualitates, experimur enim fumũ odoriferum sursum ascendere, quasi ignis naturam gerentem, & hac ratione corpora odorifera si calefiãt, meliùs emittunt odorem, qualiter etiam experimur, quòd res odorifera nimis humectetur, nõ emittit odorem: requirit ergo odor prædominium caloris, & siccitatis.

Et si obijcias, nam experimur incipiente pluuia terram odorem quendam mittere: potiùs ergo requiritur ad odorẽ humi-

humiditas, quàm ſiccitas. Reſpondetur tamẽ, potius ex prędicta ſententia efficaciter probari noſtram ſententiam, nam quãdo pluuia incipit, quia adhuc ſiccitas terræ ſuperat humiditatem, emittit terra odorem, deinde verò dum pluuia continuatur, quia iam nõ ſuperat ſiccitas, deſinit eſſe talis odor: ſignum ergo eſt ad odorem requiri prædominiũ ſiccitatis, licèt requiratur aliqualis humiditas.

Dico tertiò: odorem nõ eſſe aliquam ſpeciẽ infimã, ſed habere ſub ſe varias ſpecies: experimur enim in odoribus pprietates maxime diuerſas, ſecũdum quas longe diuerſimode immutãt olfactum: tum etiam, quia nõ omnes odores requirunt idem tęmperamentum, ſed diuerſum.

Tandem vltimò dicẽdum eſt odorem non eſſe qualitatẽ productiuam ſui ſimilis, quãuis producat ſpecies intentionales. Ratio eſt generalis de omnibus ſecundis qualitatibus, ex quibus nulla producit alteram ſibi ſimilem, vt patet de colore, grauitate, &c. Et ratio à priori aſsignari poteſt, quia omnis qualitas ſecunda neceſſariò requirit temperamentum primarum qualitatum: ſed quatuor primæ qualitates à nulla qualitate ſecunda poſſunt produci, vt patet de colore, & alijs: ergo odor, & aliæ qualitates ſecũdæ non ſunt productiuæ ſui ſimilis.

Solum ergo poteſt hoc loco obijci, nam ſi corpora ex ſe nullum habentia odorẽ, apponantur iuxta corpus odoriferum, etiam talia corpora odorifera euadunt: ergo odor eſt productiuus ſui ſimilis. Reſpondetur ibi nullum odorem produci: fiunt tamen talia corpora odorifera, hoc modo, nam exhalationes illę odoriferæ, quæ exeunt à corpore odorifero, dum intra poros alterius corporis continẽtur, emitunt ſpecies intentionales ſui, & ita tale corpus apparet odoriferum propter exhalationes, quas habet in poris incluſas.

Superſunt tamen hoc loco duæ dubitationes. Prima eſt vtrum odor ſit qualitas intenſibilis, & remiſsibilis: reſpondetur affirmatiuè, nam ſicut tactu experimur vnum calorem eſſe intenſiorem alio, ex eo quod fortius immutat illũ, ita etiam olfactus vehemẽtiùs immutatur ab odore intenſo, quàm à remiſſo: ergo eſt qualitas intenſibilis & remiſsibilis, non minus quàm calor.

Se-

Secũda dubitatio, eſt quę ſit cauſa efficiẽs odoris, & reſpõdetur quod cũ odor ſit qualitas ſecũda orta ex tẽperamento iã dicto primarũ qualitatũ, illud eſt cauſa odoris realis, ꝙ tale temperamentum inducit, ſicut illud eſt cauſa albedinis, quod inducit temperamẽtum primarum qualitatum requiſitum ad albedinem.

Tandem ad fundamentũ primæ ſententiæ reſpondetur ſolũ probare, ꝙ odor realis ſubiectatur in vapore illoſeu exhalatione exeũte à corpore odorifero, nõ tamẽ quod odor ſit exhalatio ipſa, aut vapor, & hac ratione, expendo verba Ariſt. ſect. 12. problematũ. q. 10. & ſect. 13. q. 5. & 2. de ſenſu & ſenſibili, dũ dicit, odorẽ eſſe vaporẽ, ſeu exhalationẽ, cum tamen cap. 5. de ſenſu & ſenſibili, dicat cõtra Heraclitũ odorem, neq; eſſe vaporẽ, neque exhalationẽ: debet, inquã intelligi, quòd odor ſit vapor ſeu exhalatio ſubiectiuè, id eſt quòd ſubiectum odoris ſit vapor, & exhalatio, ipſe vero impugnat Heraclitũ, quatenus fortaſſe aſſerebat odorem nõ ſolum ſubiectiuè, ſed etiã formaliter eſſe vaporem.

Et ſi obijcias, nã vapor natura ſua eſt humidus magis quàm ſiccus; ſed odor natura ſua requirit prædominiũ ſiccitatis: ergo odor non poteſt ſubiectari in vapore. Reſpondet bene Card. Tolet. hic. q. 27. nomine vaporis non eſſe intelligendum verum vaporem, ſed potius fumoſam quãdam, calidamque exhalationem, hæc enim habet ſiccitatem, & calorem aptum ad temperamentum odoris.

Quæſt. II. Vtrùm odor perueniat vſq; ad olfactum ſecundum eſſe reale, vel potius per ſpecies intentionales.

DE hac re Aui. 6. lib. naturalium quæſtionũ. par. 2. c. de olfactu, & Albertus. 2. de anima tractat. 3. c. 23. aſſerunt odorẽ realiter peruenire per medium vſq; ad olfactũ. Quæ ſententia videtur habere fundamẽtum in Ariſt. de ſenſu & ſenſibili c. 2. vbi dicit organũ olfactꝰ, nõ debere eſſe actu calidũ, vt patiatur ab odorabili calido: ſed ſpecies intentionalis nullum producit calorem in organo, ſed ſolum habet actionem intentionalem, vt dictum eſt ſuprà; ſentit ergo Ariſt. odorem ſecundũ eſſe reale peruenire vſq; ad olfactũ, illumque phyſica alteratione immutare, & cap. 5. clarius id vi-

videtur docere, dicit enim euaporationem odoris aliquãdo tangere sensorium.

Et ratione probatur primò, quia experiẽtia cõstat ex vehementi & diuturna olfactione dolere caput: sed species intẽtionales non lædunt organũ, quia non sunt principiũ alterationis physicæ,& corruptiuæ,sed intẽtionalis solũ:ergo aptũ inditiũ est odorẽ ipsum realem, & physicũ peruenire vsq; ad organum olfactus.

Secundò,quia vt experiẽtia constat ad olfactionẽ requiritur pręuia respiratio,nisi enim prius respiratione aerẽ attrahamus, nihil olfacimus: sed species intentionales,si per illas odor perciperetur,in instãti perducerentur vsq; ad olfactum, vt in simili dicebam suprà de speciebus visibilibus: neq; indigerent respiratione aliqua,potius enim percipitur odor secũdum esse reale, quã secundum esse intentionale.

Secunda sententia huic ex directo opposita est, asserentiũ odorẽ realẽ numquã realiter exire extra corpus odoriferũ, sed solũ diffundi per medium secundũ species intẽtionales vsq; ad olfactum. Solet pro hac sententia citari Auerroes hoc lib.tex.97. nobis tamen media via incedendũ est cum S.Tho. Philoppono, Ianduno,& alijs hoc loco.

Dico ergo primò:aliquando ex corpore odorifero effluere exhalationem, in qua fertur odor secundũ esse reale vsq; ad olfactũ, quãdo scilicet corpus odoriferũ est prope organum olfactus, iuxta quã sentẽtiam interpretor verba Arist. asserentis.c.5.de sensu & sensibili euaporationẽ odoris aliquando tãgere sensoriũ, eãq; sufficiẽter probat prima ratio adducta pro sentẽtia Auice.& Alberti, aliàs enim ex diuturna olfactione nõ contingeret dolor capitis, quia species intẽtionales nõ lędũt: signũ ergo est fieri lęsionẽ illã ab exhalatione calida deferente secũ odorẽ realem,& ita calefacto, aut exicato organo illo, cõtingit dolor:hac etiã ratione sæpe videmus vaporem fumosum ex odorifero corpore sursum ascendere.

Dico tamẽ secũdò,hãc fumosam exhalationẽ, in qua subiectatur odor realis non semper peruenire vsq; ad potentiã olfactiuã, sed fere semper fieri actũ olfaciẽdi per species intẽtionales, vt in simili dicebam de sono. Tenet D.Thom. hic lect.10.&in.2.d.2.q.2.in fine. Philop.Iauell.Tolet.& cõmuniter autores in hoc capite.

Pro-

Probatur in primis ab experiẽtia nã vt refert Albertus hic cap. 25. poſt bellum Troianũ vultures ad ſpatium quinquaginta leucarum ſenſerunt odorem cadauerum occiſſorũ in tali bello; ſed incredibile eſt fumoſam exhalationem ad tam longam diſtantiam peruenisſe: ergo potiùs ſentitur odor per ſpecies intentionales. Piſces etiam percipiunt odorem ad aliquam diſtantiam, cũ tamẽ exhalatio ſubtilis & ſicca non poſsit per aquas ad ſpatium aliquod deferri, quin potius à frigiditate & humiditate aquæ corrumperetur. Ratio autẽ eſt, quia reliqua obiecta ſenſibilia, habent virtutẽ, vt producãt ſpecies intẽtionales ſui, per quas ſentiri poſſint: ergo neq; id debet negari in odore: vnde ſicut alię ſpecies aliorum obiectorum in inſtanti producũtur, ita intra ſphæram actiuitatis agentis, quia non habent contrarium reſiſtens illis, idem dicendum eſt de ſpeciebus odoris, ſicut tamen dicebam, ſoni ſpecies produci vltra primam ſphęrã ſucceſsiue, ſicut ſucceſsiue applicat' ſonus realis alijs, atq; alijs partib', vltra primã ſphęram. Idem proportionali modo eſt dicendum de ſpeciebus odoris, & ita non ſemper ſentitur odor ſtatim ac eſt, quia odor realis debet magis applicari, verſus noſtrum olfactũ, vt ſphęra actiuitatis illius, vſque ad nos poſsit pertingere. Legantur dicta in ſimili de ſono.

Et hinc colligi poteſt ratio, quare opus ſit corpora odorifera calefieri, vt melius eorum odor percipi poſsit, ratio enim eſt, quia per calefactionẽ, dũ illud corpus rarefit, exhalationes odoriferæ, quaſi concluſæ, & conſopitæ, exeunt, & ita diffundunt ſpecies intentionales ſui per externum medium vſq; ad noſtrum olfactum.

Tandem ad argumenta primæ ſententiæ reſpõdetur. Ad Ariſt. iam patet ſolutio ex dictis in prima concluſione, vbĩ etiam dictum eſt.

Ad primam, & ſecundã reſpondetur ideo ad percipiendum odorem, requiri reſpirationem, quia vt infra dicã, organum olfactus coopertũ eſt, quadam carne ſpongioſa, & ita per reſpirationem aufertur tale cooperculum: vnde iam patet immutari organum olfactus, & ita requiritur præuia reſpiratio, tanquam remouens prohibens.

Quæst. III. Quod sit medium olfactus, & quod illius organum.

IN hac quæstione, quod attinet ad mediũ, per quod immutari potest olfactus, cõueniũt omnes cum Arist. in hoc capite illud esse aerẽ & aquã, nos enim olfacimus per aerem, pisces verò per aquam, & ita vtrumq; est mediũ aptum ad recipiendas species intentionales odoris: est præterea aer medium maxime aptũ ad recipiendam exhalationẽ odoriferam, in qua subiectatur odor realis: aqua vero, vt pote, quæ maxime est contraria tali exhalationi calidę & siccę, nõ potest saltem per multum tẽpus talem recipere exhalationem, statim enim corrumpitur ab aqua, licèt pro breui aliquo tempore, quo duret alteratio præuia corruptiua, non repugnat exhalationem illam aliquãtulùm detineri in aqua.

Quod vero attinet ad organum olfactus notandum est, cum Card. Tolet. hic à cerebro procedere duos canales, vsq; ad ossa foraminosa narium, quæ faciunt in extremitate duas carunculas ad modũ extremitatis mamillæ, & ita appellantur carunculæ mamillares, per illosq; canales deriuãtur rami neruorum, & mittuntur excrementa ad nares: carũculæ verò mamillares habent pro operculo carnem quandã spongiosam, quæ compressa est ante tales carũculas, & per respirationem dilatatur, vt poris apertis exteriores odores interius ingredi possint.

His suppositis prima sententia in hac re est Galeni lib. 8. de vsu partium, vt refert Valesi. lib. 2. controuer. Medicarum cap. 24. asserentis olfactũ in nulla ex dictis partibus subiectari, sed in ventriculo cerebri: eamdemq; videtur sequi Auice. 6. lib. naturaliũ. q. par. 1. c. 5. Et fortasse fundamentum est, nam ex diuturna olfactione, vt supra dicebam, resultare solet dolor capitis: tamen fundamentum hoc nullũ est, nam cum cerebrum non multum distet à carunculis mamillaribus, ad quas aliquãdo peruenit odor secũdũ esse reale, potest facile alterari cerebrũ ab alteratione odorifera prope illud existente, & ita contingit capitis dolor absq; eo quòd olfactus resideat in cerebro: nam reuera experimur nos in parte inferiori cerebri percipere odores: tum etiam, quia aliàs absq; respiratione, posset fieri odoratio aperto ore per cauitates occultas ad

cerebrum tendentes, q̃ tamẽ est contra experientiam.

Quare Auerr. 1. lib. collectaneorum cap. 7. asserit olfactum residere in quibusdã nervis deriuatis per cartilagines narium. Hæc tamen sententia simili ratione refutari potest, nam cum nerui isti vsque ad inferiores partes nasi descendant, non esset opus respirare ad odorationem. Tum etiam, quia aliæ potentiæ sensitiuæ non subiectãtur in neruo, vt vidimus de visu, & audi tu: ergo neq; idẽ est dicendũ de olfactu.

Dicendũ ergo est cum cõmuni sententia, olfactum subiectari in carunculis mamillaribus, vt Tolletus in hoc capite, & alij communiter docent, tenet etiam Gregorius Nissenus de viribus animæ lib. 4. c. 5. Et ex dictis probatur, quia talis potentia neq; residet, in cerebro, neque in neruis, neque in toto nare, aliàs sine respiratione possemus percipere odorem, restat ergo sit in illis carunculis mamillaribus.

Est tamen aduertendum operculum illud, quod supra carũculas mamillares posuit Arist in fine huius capitis, nõ esse aliquid durum & cartilaginosum, vt ex Anatome plurimi docent, sed est ante illas carunculas, quædam caro spongiosa, quæ per respirationem dilatatur, & ita patet aditus odoribus subintrantibus.

Sed obijcies primò Arist. lib. 4. de historia animaliũ. c. 8. vbi indicat potentiam odorandi esse in naribus & 2. lib. de partibus animalium. c. 16. idem videtur docere. Respõdetur tamen Arist. nomine narium superiorem partem, intelligere in qua sunt illæ carũculæ mamillares.

Et si obijcias secundò: nam si in his carunculis residet olfactus, sequitur q̃ per canales ab ore ad illas tẽdentes sentiretur molestus odor ventriculi, aut stomachi. Respondetur tamen non sentiri, quia tẽdit recta via ad ipsum os, sicut etiam homines, qui ex ore molestum emittunt odorem, nõ olfaciunt illum. Nec desunt, qui existimẽt aliquando molestum illum odorem sentiri, sed de hac re dicant medici.

Quòd si tandem inquiras, quòd sit huius organi temperamentum respondetur esse humidum & frigidum: tum propter vicinitatem cum cerebro, quod frigidum, & humidum est: tum etiam, vt immutetur ab odore, qui calorẽ & siccitatem requirit.

Car-

Cap. X. De gustu.

AGit Arist. in hoc capite de gustu, docēs gustabile esse quoddā tangibile, idest, in tantū aliquid gustari, in quantum tāgitur, ita, inquit, gustus nō immutatur per mediū externū: dicit præterea, ꝙ sicut visus est visibilis, & inuisibilis, tā enim percipit lumē, quā tenebras, & auditus, sonū & silentiū, ita, inquit, gust⁹ est gustabilis & inguſtabilis: inter sapores autē dicit esse suā contrarietatē sicut inter colores, amarū enim cōtrariatur dulci. Dicit præterea organum gustus potentia quidē humidū esse, debere tamen actu humectari, vt gustare possit; nā hac, inquit, de causa, lingua cum est multùm sicca, aut multùm humida non percipit recte saporem, & ita, inquit, infirmi ob indebitum temperamentum organi non recte iudicāt de saporibus.

Disp. IX. De gustu.

QVanuis gustus maximam habeat similitudinem cū tactu, fit enim actio gustandi per contactum obiecti gustabilis cum organo gustus, merito tamen Aristoteles distinxit hunc sensum à tactu, vt ex dicendis constabit, & ita à nobis agendum est seorsum de vtroq; sensu.

Quæst. Prima. Quid sit sapor, & quomodo immutet gustum.

CIrca naturam, & essentiam saporis simili modo philosophandū est, sicut de odore diximus, est enim sapor qualitas quædā, sicut aliæ qualitates, à qua denominatur corpus aliquod quale, scilicet saporosum, est autem qualitas secunda, & ita in mixtis diuersi sapores sunt, iuxta diuersum eorum temperamentū solū enim posset obijci, nam aqua habet saporem, apparet enim vna aqua magis dulcis, quā alia, cum tamē sit corpus simplex. Respondetur tamen quòd si aqua esset in statu naturali, ita vt esset prorsus libera à partibus terrestribus, nullum haberet saporem; de facto tamen multis partibus terræ est permixta, & ita non mirum est, quod nō nihil habeat saporis.

Dicendum est præterea: saporem non esse qualitatē productiuam sui similis, vt in simili dixi de colore, sono, & odore, si enim corpus dulce iuxta amarum ponas, neutrū

intrinſecum ſaporẽ mutabit, niſi forte intercedat aliqua localis mixtio inter partes vtriuſque, quales ſunt mixtiones artificiales, quæ fiunt à coquis, ac tandẽ ſapor eſt qualitas intenſibilis & remiſsibilis, qualiter inter ſapores dulces, quidã ſunt intenſiores alijs. Quę omnia ſuppoſitis his, quæ diximus de odore, facilia videntur.

Circa ſpecies ſaporis multa tradunt Galen. de ſimplicium medicamentorum facultatibus lib. 1. c. 28. Plinius lib. 15. c. 27. Ariſt. de ſenſu & ſenſibili cap. 4. cuius doctrinam ſequitur Card. Tolet. hic. q. 29. docet ergo Ariſt. loco citato octo eſſe ſpecies ſaporis ad quas omnes reduci poſſunt. Prima eſt ſapor dulcis, qualis reperitur in melle, & ſaccharo, cui opponitur ſapor amarus tamquã extremus ſapor. Tertia eſt ſapor pinguis, qualis reperitur in pinguedine, & rebus vnctuoſis, vt in butyro. Quarta eſt ſapor acutus, qualis reperitur in pipere, & zinzibere. Quinta eſt ſapor auſterus, qualis reperitur in fructibus ante maturationem. Sexta eſt ſapor ſtipticus, qualis reperitur in fructu myrti, & ſerua immatura. Septima eſt ſapor ponticus, qualis reperitur in limonibus. Octaua eſt ſapor acetoſus, qualis reperitur in aceto, ad quas veluti ad capitales ſpecies aliæ reduci poſſũt, quia illas ſapiũt. Vnde ſicut in coloribus album, & nigrum ſunt colores extremi, alij verò ſunt medij, quia quodam modo illos participant & ita dulce & amarum in ſaporibus ſunt extremi, alij vero ſunt veluti medij ſapores.

Etſi inquiras, quod temperamentum primarum qualitatum requiratur ad ſaporem, reſpondetur requiri temperamentũ, in quo humiditas vincat ſiccitatẽ, hac enim ratione ad dandum ſaporem rebus vtimur aqua & liquore.

Et ſi obijcias ex dictis ſequi, quod non poſsint in eadẽ parte ſubiecti reperiri odor & ſapor, quod videtur falſum, vt patet in pomo. Probatur ſequella quia ſapor requirit prędominium humiditatis, odor autem è contra requirit prædominium ſiccitatis, vt vidimus: ſed non poteſt fieri vt in eadẽ parte ſubiecti ſiccitas ſuperet humiditatẽ, & ſuperetur ab illa; ergo nõ poſſunt eſſe in eadẽ parte ſapor & odor.

Reſpõdetur quòd, vt bene notauit Card. Tolet. ex Auicena. Alberto & alijs, in nullo corpore reperitur in eadem

parte:

parte præcisè sapor, & odor, vt argumẽtum probat, ad sensum tamẽ non potest percipi differentia inter illas partes, nam in partibus crassioribus, in quibus humiditas superat siccitatem, est sapor. In partibus verò subtilioribus, in quibus siccitas prędominatur, est odor; & quia istæ partes inter se sunt permixtæ, non potest hęc differentia ad sensum percipi. Atque hęc de natura saporis dixisse sufficiat. Alia videri possunt apud authores citatos, quæ tamen potiùs ad Medicum, quàm ad Physicũ spectant.

Circa secundum quod inquirit quæstio, quomodò scilicet sapor immutet gustum, Valle lib. 2. controu. Medic. cap. penult. negat in gustu, & tactu dari species intentionales; dicit enim, quòd cùm obiectum gustabile, & tangibile non percipiantur, nisi supposito reali contactu illorũ cum organo, quia talia obiecta sunt illis prędentia per se ipsa, nulla indigent specie intentionali, vt concurrant simul cum potentia ad actum sensationis, sed per se ipsa id efficere possunt, præsertim cùm sensus isti sint nimis materiales, & ita proportionati cum obiectis ipsis materialibus, quin opus sit talia obiecta depurari per species intentionales: quod in visu, auditu, & olfactu nó cõtingit; isti enim sensus sunt minùs materiales, & ita, inquit, requirunt speciem intentionalem, quæ minùs materialis est, quàm obiectũ, vt illud percipiant. Neq; existimo, sententiam hanc esse òmnino improbabilem, & qp attinet ad tactum; idem sentit Cardin. Tolet. 3. lib. de anima, quæst. 2.

Nihilominùs probabilius existimo, nullum obiectum sensibile per se ipsum efficere sensationẽ, sed mediante specie intentionali, atque adeò saporem non percipi, nisi per speciem intentionalem. Docuit expresè S. Thom. 1. p. q 78. ar. 3. quem communiter hoc loco plures sequuntur. Est etiam hæc sententia nimis conformis Arist. qui in frà cap. 12. sine limitatione dixit, commune esse sensibus recipere formas sine materia, id est, species intentionales, vt omnes interpretantur: sentit ergo etiam gustum percipere saporem per speciem intentionalem illius.

Et ratione probatur, quia vel obiectum saporosum supra linguam existens causat sensationem immediatè per se ip-

ſe ipſum, vel producendo alium ſaporem realem in organo guſtus, non per ſe ipſum immediatè. Primò, quia ſi ex communi omnium ſententia, organum guſtus eſt neruus quidam diſperſus per linguam, quem obiectum ſaporoſum ſupra linguam exiſtens non tangit immediatè, ſolùm ergo tangit immediatè ſuperiorem pelliculam linguæ: ſed agens immediatum debet immediatè tangere paſſum: ergo tale obiectum non poteſt cõcurrere ad ſenſationem immediatè per ſe ipſum; imò etiamſi eſſet contiguum cum tali organo, non poſſet concurrere cum potentia ad ſenſationem. Primò, quia vt ſuprà capit. 5. dicebam, ſicut potentia vt determinetur ad facilè operandum, requirit principium illi inhærens, ſcilicet habitum illi intrinſecũ, ita vt determinetur ad operandum tali, vel tali actione, requirit multò melius principium intrinſecum, & ita non ſufficit præſentia obiecti per contiguitatem, ſed mediante ſpecie intima in illa recepta. Tùm etiam, quia cum omnis potentia cognoſciti-ua, ſit apprehenſiua, opus eſt ad cognoſcendum obiectum, teneat illud intra ſe, ſaltem per ſpeciem intentionalem.

Si autem dicas, diffundere alium ſaporem per illud medium vſque ad organum guſtus, contrà eſt in primis, quia vt ſuprà dixi, ſapor non eſt qualitas actiua ſui ſimilis, & ita non poteſt vnus ſapor ſaporem realem producere. Tùm etiam, quia Ariſt. vniuerſaliter dixit, *Senſibile poſitum ſuprà ſenſum non ſentiri*: de quo dicam infrà cap. 12. Neque debet ſine ſufficienti fundamento limitari..

Tandem, quòd guſtus ſit ſenſus minùs perfectus, quàm viſus, & auditus, ſolùm probat vti ſpeciebus minùs perfectis, non tamen quòd non requirat ſpecies intentionales illi accõmodatas: ergo ſicut alij ſenſus percipiunt ſua obiecta per ſpecies intentionales, ita & guſtus.

Quæſt. II. Vtrùm guſtus differat ſpecie à tactu.

IN hac re Ægidius videtur ſentire, guſtum non differre eſſentialiter à tactu, ſed quòd tactus per omnes corporis partes diffuſus ratione certi temperamenti, quod habet in lingua, percipiat ſapores ibi, non verò in alijs partibus corporis. Nec deſunt rationes,

nes, quibus hæc sententia probabilis fiat. Nam in primis Arist. in hoc cap. dicit, gustabile esse quoddam tangibile, vbi videtur asserere, obiectum gustus pertinere ad obiectum tactus: erit ergo gustus quidam tactus in lingua existens.

Secundò, nam per tactū percipimus primas qualitates, vt calorē, humiditatem, &c. sed per gustum percipiuntur huiusmodi qualitates, gustus enim diuersimodè immutatur à cibo calido, ac quando est frigidus.

Tertiò, nam vtraque hęc potentia immutatur eodem modo, scilicet per contactum realem obiecti, & ita facilè quis poterit dicere, obiectum tāgibile in communi, prout hæc omnia comprehendit, scilicet sapores, & primas qualitates, esse obiectum adæquatum huiusmodi potentię. Prętera vtraq; potētia est in eodem organo: in lingua enim sicut est gustus, etiam tactus: ergo non est cur distinguamus specie gustū à tactu.

Dicendū tamen est cū cōmuni sentētia, gustū essētialiter differre à tactu, & ita sunt quinq, sensus externi essentialiter diuersi: sic enim expressè docuit Aristot. c. sequenti. Ratio desumit primò ex parte obiecti, quia gust⁹ habet p obiecto saporē, qui est qualitas secunda: tactus verò habet pro obiecto primas qualitates.

Et si respōdeas, omnia hæc cōstituere ratione tangibilis in communi, & hanc esse obiectum adæquatum gustus, & tactus; contrà: nam similiter dicā ego, omnia obiecta sensibilia pertinere ad eundē sensum externū, quia omnia conueniunt in ratione communi sensibilis: ergo sicut ad differentias sensibilium ponuntur plures sensus externi, ita ad differentias tangibilium, quales sunt, & maximè diuersæ, sapor, & primæ qualitates, debent plures sensus poni.

Secundò etiam colligitur ex diuersitate organi, quia tactus est per totū corpus diffusus: gustus verò eam habet naturam, vt solùm sibi expoſcat determinatam partē, scilicet linguam, quod satis indicat potentiam hanc gustatiuam diuersam longè habere naturam à tactu. Neque dici potest, gustum solùm esse in determinata parte, quia ibi tantùm adest debitum temperamentum illi debitum: hoc ergo probat nostram sententiam; nam si gustus requirit diuersum temperamentum à tactu: signum ergo

est,

eſt, eſſe qualitatem eſſentialiter ab illo diuerſam, vt in ſimili id colligimus de alijs ſecundis qualitatibus diuerſæ rationis; vel certè ſi non differt ſpecie à tactu, nec requirit diuerſum temperamentum ab illo, per quálibet partem, vbi eſt tactus, poſſemus alimentum guſtare.

Dices hoc ſolùm probare diuerſitatem indiuidualem inter tactum, & guſtum, nam ex maiori perfectione indiuiduali, quam habet guſtus, poteſt prouenire, quòd poſtulet melius temperamentum, & ita ibi tantùm erit organum guſtus, vbi tale téperamentum extiterit. Tamẽ contrà eſt, quòd quanuis hoc poſſet intelligi ſecundum maiorem, vel minorem intenſionem illius temperamenti, ita quòd perfectior qualitas poſtularet perfectius temperamentum, ſemper tamen intra eandem ſpeciem temperamenti, ſicut & ipſæ qualitates primæ iuxta hanc ſententiam ponuntur habere eãdem ſpeciem, hoc autem ſolùm impediret, ne pars illa, in qua eſt temperamentum minùs perfectũ, habeat perfectũ actum guſtãdi, non tamen quòd imperfectũ aliquẽ actũ guſtandi poſsit habere, ſicut & imperfectum habeat temperamentum: quod tamen eſt contra experientiam, nam extra linguam nec imperfectum actum guſtandi experimur.

Ad fundamenta contrariæ ſententiæ reſpõdetur. Ad primum, propoſitionem illam, *Guſtabile eſſe quoddam tangibile*, ſolùm ſignificare obiectum ſaporoſum, non poſſe guſtari, niſi per contactum illius cum organo guſtus, non autem quòd guſtabile ſit obiectum tactus, prout guſtabile eſt, ſed tantùm ſecundum qualitates primas, quas habet tangibile, vel vt alij volunt, *Guſtabile eſt quoddam tangibile*, inquantum tangibile dicit rationem generica ad obiectum tactus, & guſtus, ſicut animal ad hominem, & equũ, quanuis ſpecie differant, & iuxta hũc ſenſum etiá verificatur, ꝙ guſtus eſt quidá tactus, ſũpto tactu ꝓ ratione generica ad guſtũ, & tactũ cõdiſtinctũ ſpecie ab illo.

Ad ſecundum, per guſtũ nõ percipi calorẽ, aut humiditatẽ alimenti, ſed per tactum ibi etiam exiſtentem, guſtus verò tantũ ordinatur ad ſaporem.

Ad tertiũ, quòd ſicut quãuis viſus, & auditus conueniãt in hoc, quòd immutentur per idem medium, ſcilicet per aerem, non licet colligere, quòd

ſint

sint in eadem potentia, sic etiam quanuis gustus, & tactus conueniãt in hoc quòd absq; medio externo immutentur, non debet intelligi esse eandem potentiam. Præterea; neque habent gustus, & tactus idem organum adæquatũ, nã lingua, quæ est organum adæquatum gustus, est organum inadæquatum tactus, cum tactus etiam in alijs partibus reperiatur, & ita non licèt colligere esse eandem potentiam; nam etiam in carunculis mamillarib⁹, vbi residet olfactus reperitur aliquis tactus, cum tamen sint sensus maximè diuersi.

Quæst. III. Quod sit organum gustus.

IN hac rẽ communis sententia est, potentiam gustatiuã residere in lingua, & palato, non quidem in quauis parte illarum, sed in quibusdam neruis, quos gustatorios appellãt, & sunt diffusi per huiusmodi partes, & quidem de vtraq; parte est res certa, quæ patet experientia, & de lingua id docuit Arist. lib. 1. de historia animalium. c. 11. & 15. & 2. lib. de partibus animalium. c. 17. de palato vero idem etiam docuit eodem. c. & lib. de historia animalium. c. 15. sed in qua parte linguę vigeat hic sensus, non conuenit inter autores, quibusdam asserentibus vigere in lateribus. Sic docuit Lactantius lib. de opificio mundi. c. 10. alijs vero asserentibus vigere in radice linguæ: tenet Thomas de Garbo. q. 70.

Meliùs tamen Arist. 1. lib. de historia animalium c. 11. docet, vigere in anteriori parte linguę scilicet in cuspide illi⁹, hac enim ratione, vt cibum aliquem meliùs gustemus, eũ ad anteriorem partem linguæ trahimus.

Quod si inquiras quod sit temperamentum huius organi, respondetur cum Arist. de sensu & sensibili. c. 4. esse in aliquali prædominio siccitatis, licèt tale prædominiũ exiguũ sit, & hac ratione immutatur gust⁹ sapore⁹, qui prędominiũ humiditatis requirit. Vnde dicendũ est organũ gustus quodã modo esse terreũ, licèt imperfecte, quia in eo nõ multum prædominatur siccitas, & ita Arist. 3. lib. de anima c. 5. dixit nullum organum sensus esse terreum, quod intelligendũ est de perfecte terreo, nõ vero ab aliquali prædominio siccitatis, quæ est propria terræ. Et hæc de hoc capite.

Caput Vndecimum.

IN hoc capite duo agit Arist. Primò proponit aliquas dubitationes, deinde verò agit de obiecto, medio, & organo tactus: dubitat ergo primò Arist. vtrũ tactus sit vnus sensus, vel plures, nã alij, inquit, sensus solũ percipiũt vnã cõtrarietatem, vt visus album, & nigrum, gustus amarũ, & dulce: sed tactus percipit plures contrarietates, scilicet caloré, & frigus, siccitatem, & humiditatem: ergo non est tantũ vnicus sensus. Respondet Arist. quod reuera videtur q̃ sint plures sensus tactus.

Dubitat secũdò Arist. an tactus habeat mediũ internum, ideſt, an caro, quæ interna est, nobis sit mediũ distinctum ab organo tactus per quod medium percipiamus qualitates tangibiles. Respõdet carnem esse mediũ internũ distinctũ ab organo tact'. Ratio, inquit, est, nã si esset organũ tactũs, maxime, quia posito obiecto tãgibili super carnẽ, statim illud sentimus. Hęc tamẽ ratio, inquit, nulla est, nã si supra carnem apponamus subtilem aliquam pelliculam, & deinde superponas obiectum tãgibile, statim illud percipimus, ac si illa pellicula nõ mediaret: sed illa pellicula nõ est organum, quia non est pars nostra, sed potiùs esset mediũ, per quod obiectum tangibile immutaret tactum: ergo nec modo caro est sensoriũ tactus, sed medium internum.

Vnde dubitat Arist. tertiò an sit in tactu aliquod mediũ externum, vt in alijs sensibus vt aer, vel aquã, & respondet inter corpus tangibile, & nostrã carnẽ mediare aliquid, nã inquit, quãdo duo corpora dura se tangunt in aqua, talia corpora humectantur, illa autem humiditas est in aliquo, scilicet in aqua: ergo mediat aliquid aquæ inter vtrumq; corpus, quanuis nobis lateat. Ad eundem ergo modum mediat aliquid aeris inter corpus tangens nostram carnem, & inter illã, qnanuis nobis lateat, quia aer subtilior est aqua.

In secũda parte agit Arist. de medio per q̃ immutatur tactus, & dicit omnes sensus immutari per medium externũ, quanuis sit differentia, nam gustus & tactus non immutantur nisi ab obiectis prope existentibus, tamen semper mediat aliquid inperceptibile aeris inter corpora dura tangibilia, & inter tactum; alij vero sensus immutantur ab obiecto distanti.

Agit

Agit deinde de organo tactus, & dicit carnẽ non esse organũ tactus, sed mediũ internum. Et probat, quia sensibile positum supra sensum non sentitur; sed posito corpore tãgibili supra carnẽ sentitur: ergo caro nõ est organum tactus, sed mediũ: vnde, inquit, cũ obiectum tactus sint quatuor primę qualitates, organum tactus debet esse in potentia ad primas qualitates, quas tangit, quia obiectum agit in potentia, & ita debet esse in potentia, vt patiatur ab obiecto, sicut visus, inquit, est in potentia ad album, & nigrum: hæc omnia, quæ Arist. docet in hoc capite satis sunt difficilia, de quibus iam in hac disputatione dicam.

Disput. X. De tactu.

IN hac disputatione sicut, & in præcedentibus priùs de obiecto dicã: deinde vero de ipsa potẽtia, neq; est cur hoc loco varias tactus acceptiones adducam, scilicet prout significant contactus corporũ, &c. quas hoc loco adducit Tolet. Patet enim nomine tactus hac in parte intelligi, quandã potẽtiam sensitiuam percipiẽtem qualitates tangibiles, cuius naturam quærimus.

Quæst. 1. Quod sit obiectum tactus, & quomodo illum immutet.

CErtum est in hac re obiectũ tactus comprehendere quatuor primas qualitates, patet enim nos per tactũ percipere calorẽ, frigus, &c. Secũ dò certũ esse debet, nõ solum primas qualitates pertinere ad obiectũ tactus, sed etiã plures, & ex secũdis, vt molle, & durum, & similes, vt in hoc capite intendit Aristot. & experiẽtia patet. Vtrum vero asperũ, & lene sint propriæ qualitates, vel potiùs dicant partium positionem, alibi dixi.

Posset tamen hoc loco dubitari de grauitate & leuitate, quæ sunt etiam qualitates secundæ, an percipiãtur à tactu. In qua re Iulius Scaliger exercitatione. 19. satis singulariter sentit. huiusmodi qualitates non percipi per tactũ, sed per potentiã nostrã loco motiuam. Quæ sentẽtia error est in Philosophia: nã omnis potẽtia cognoscitiua sensitiua est sensus: sed si potẽtia loco motiua est potentia quędam sensitiua (est enim potentia propria animæ sensitiuæ) ergo percipit grauitatem, & leuitatem corporum: sequitur esse potentiam sensitiuã, & ita

darentur plures ſenſus præter eos quos tota Philoſophorum ſchola ponit. Tum etiam quia potentia loco motiua, vt adhuc nomen ipſum indicat, potius ordinatur ad cauſandum motum localem progreſsiuũ animalis, quàm ad aliquid aliud.

Quare in hac re dico duo, alterum eſt, grauitatem & leuitatem non ſentiri immediate, & per ſe ipſas à ſenſu tactus: ratio eſt euidens, nã alias poſſet tactus percipere grauitatẽ lapidis etiamſi per ſuperiorẽ partem tangat lapidem, quod eſt contra experiẽtiam. Patet conſequentia, quia tunc adeſt ſufficiẽs approximatio, vt poſſit immutari à tali obiecto, nõ minus quàm ſi è contra lapis ponatur ſupra manum, vtrobique enim intercedit cõtiguatio illorum corporum.

Quare dico ſecundò: grauitatem & leuitatem ſolum ſentiri à tactu per impulſum, quẽ in manu, aut alia parte imprimũt, & ita exvi tactus nõ poſſet percipi differentia inter grauitatem & leuitatem, nam impulſus ab vtraq; productus non differunt ſpecie, etiam ſi alter ferat ſurſum, alter vero deorſum, iuxta dicta octauo libro Phyſi. colligitur ergo hæc differentia per diſcurſum, nã dum corpus imprimit impulſum deprimentem manũ, colligit intellectus tale corpus graue eſſe, dũ vero imprimit impulſum eleuãtem manum, colligit intellectus tale corpus eſſe leue.

His ergo ſuppoſitis dubium eſt quomodo huiuſmodi qualitates tangibiles immutẽt manũ, in quo ne rem aliàs difficilem difficiliorẽ reddamus, ſingula, quæ hic dubitari poſſunt, ſeparemus oportet.

Primò ergo dubitari poteſt vtrũ qualitates tangibiles percipiantur à tactu per ſpecies intentionales, vt de aliis obiectis ſenſibilibus diximus, vel potius per ſe ipſas ſine ſpecie aliqua. In qua re Card. Tolet. hic, & Valleſ. lib. 2. contro. Medi. cap. penultimo negãt opus eſſe ſpecie intentionali, vt tactus percipiat qualitates tangibiles. Dicunt enim, quòd cum calor, v.g. realiter immutet organum tactus, impertinens eſt ſpecies illius, imago enim obiecti tãc tantùm deſideratur, quando eius obiectum nõ eſt præſens: ſi ergo calor per ſe ipſum immutat organum tactus, ad quid debet poni ſpecies eius?

Communis tamen, & vera ſententia aſſerit, tactum non percipere qualitates tangibiles.

les, nisi per spẽcies intentionales, ita vt hîc etiam verum sit quod Arist. docuit cap. sequẽti, *Sensum recipere formam sine materia*. Et ratione probatur primò, quia vel calor ligni sentitur à tactu per se ipsum, quia scilicet dum tangitur, est cõtiguus cum organo tactus, vel sentitur per calorem, quẽ producit in organo tactus, neutrum dici potest: ergo necessariò calor percipitur per spẽciẽ intentionalem. Probatur primùm, quia vt in simili dicebam de obiecto gustabili: vt potentia determinetur ad facile operãdum, requirit principium cooperans cum illa, scilicet habitus illi inhærens: ergo multo melius principium determinans illam ad talẽ sensationem, atq; adeo necessaria est species informans potentiam.

Secundò probatur ab incõuenienti, nam si calor contiguus cum tactu sentitur per se ipsum: ergo similiter lumen contiguum cum oculo videretur per se ipsum absq; specie, consequens autem est falsum, vt dicebam cap. de visu, nam lux remota non videtur per se ipsam, cum sit distans à potentia visiua, neq; etiã per lucem contiguam cum tali potentia visiua. Primò quia cum vtrumq; lumen sit eiusdẽ rationis, vnum non est repræsentatiuum alterius: debent ergo imago, & res imaginata differre specie. Tum etiam, quia vt dicto loco vidimus, potest oculus existens in tenebris videre lumen à longe existens: ergo necessarium est lumen distans videri per speciẽ sui: ergo etiam lumen proximum debet videri per speciem sui. Consequentiam probo, quia si lumen est productiuum speciei intentionalis, multo melius illam producet lumen cõtiguum cum oculo, quam lumen distans, quia est magis applicatum, & est agens naturale, quod non operatur ex libertate: fit ergo consequens ex dictis, quod neq; in qualitate tangibili sit sufficiens cõtiguitas cum passo, vt nõ percipiatur per speciem sui. Solũ hîc oriebatur obiectio nã phãtasma concurrit effectiue determinando intellectum agentem ad productionẽ talis speciei intelligibilis, cum tamen phantasma non possit esse inhæsiue in intellectu agẽti, est enim quid materiale: Dicã tamen de hac re. 3. lib. de anima cap. 5.

Quod vero, neq; possit calor externus percipi per alium calorem realẽ, quem in tactu pro-

producit, ꝓbatur primò: quia calor receptus in organo tactus numquàm eſt tantus, ac calor ignis, quem ſentimus per tactum eſſe vehementiſſimũ: ergo non poterit remiſſus ille calor eſſe quaſi ſpecies, & ratio ſentiendi caloré maxime intenſum.

Secũdò, quia ſi prope fornacẽ accedas, ſenties caloré adeò vehementem, vt poſsis vix illum ferre, ſi tamen ſubitò occludatur fornax, ſtatim nó ſenties illũ, ſed impoſsibile eſt caloré in organo tactus productũ in tã breuiſsimo tempore fuiſſe corruptũ, corrũpitur enim per alterationẽ à cõtrario procedentẽ, atq; adeò paulatim: ſignũ ergo eſt vehementẽ illum caloré percipi per ſpeciem intentionalẽ caloris exiſtentis in fornace, quæ occluſo fornace ſtatim corrũpitur, non vero per calorem realem in organo exiſtẽtem, iſte enim adhuc durat, quando non ſentitur calor fornacis.

Tertiò, quia ſi calor externus ſentitur per aliũ internũ in organo productũ: ergo adhuc corrupto, & abſente calore externo, poſſet ſentiri talis externus calor. Patet cõſequẽtia, quia adhuc corrupto externo illo calore, poteſt durare calor internus ab illo productus, qui ſecundũ hãc ſententiam eſt quaſi ſpecies, & ratio percipiẽdi externũ caloré, ſicut ſuprà dicebã, ꝙ ſi corrupto colore Deus cõſeruaret ſpeciẽ impreſſam illius in oculo, poſſet optime videri color corrupt⁹. Deniq; de alijs obiectis ſenſibilibus oſtẽſum eſt non percipi, niſi per ſpecies intentionales: ergo neque de tactu id debet dici.

Ad fundamentũ autẽ Vall. patebit ſolutio ex dicẽdis ſtatim, oſtendemus enim calorem in hærentem in organo tactus non poſſe illum intentionaliter immutare.

Sed ſtatim nónullę inſurgũt dubitationes. Prima eſt, an tactus poſſet percipere qualitates tãgibiles, quas in ſuo organo habet, vt internũ caloré organi. Videtur enim ꝙ ſic: nam febricitãtes ſine dubio ſentiũt vehementẽ illum caloré, quo defatigãtur: ergo calor inhærens in organo tactus poteſt percipi ab illo.

Secũdo, quia ſi calor externus habet virtutẽ ad producẽdã ſpeciẽ intẽtionalẽ ſui in tactu: ergo multo melius calor inhærens poterit producere ſpeciẽ ſui in tali organo, eſt enim magis præſens, & coniunctus cum paſſo, & ita poterit percipi per talem ſpeciem.

Di-

Dicendū tamen est, tactum nō posse percipere qualitates intrinsecè inhærētes in organo. Ratio est, quia aliàs tactus semper esset in cōtinua sensatione, cum semper habeat in suo organo qualitates tangibiles, consequens tamen est cōtra experientiam, quia nō semper sumus in actuali sensatione nostrarum qualitatum.

Dicere enim hāc sensationē continuā ideo non dignosci à nobis, quia ab assuetis non fit passio, nō satisfacit, quia cum omnes sensationes cessent in somnijs, saltē cū quis post lōgū somnū excitatur, in qualibet parte sui corporis sentiret qualitates omnes sui organi, ꝙ tamen est contra experientiā. Et hinc fit tactū nō solum nō percipere qualitates inhærētes in suo organo in statu naturali, id est in proportione, & intensione, qua illas requirit, sed neq; in gradu excellēti præternaturali, ita vt si organū tactus habeat excellentē calorē violentū illi, adhuc nō posset illū percipere, quia vterq; calor est eiusdē speciei, & ita si calor intensus existēs in organo tactus potest tactū immutare, etiam calor remissus illi connaturalis posset illum immutare saltem remissè.

Et si inquiras, quæ sit ratio, quare cū calor sit productiuus speciei intētionalis nō producat illā in suo organo, in quo inhæret. Respōdēt quidā, cautam eam esse, quia productio speciei intentionalis est actio assimilatiua, fit enim per illā species intētionalis, quæ est similitudo obiecti. Vnde dicūt, ꝙ quia iā organū illud realiter habet calorē non est opus aliqua similitudo caloris, imago enim tantùm desideratur, vbi obiectum deficit.

Sed nō placet, quia esse reale, & esse intētionale sūt maximē diuersę rationis, imago enim, & obiectū necessario debēt differre specie: ergo cū calor, & species illius nō informēt subiectū eodē modo, quā tūuis subiectū habens calorē, habeat iā quasi expletā capacitatem recipientem calorē realem, capacitas tamen, qua respicit speciem intentionalē illius caloris, adhuc videtur remanere vacua.

Quare dicendum est, quòd sicut nulla alia ratione colligimus calorem esse calefactiuum, nisi à posteriori, quia scilicet experimur ipsum calefacere, ita quia experimur in ternas qualitates organi tactus non percipi à nobis, inde à posteriori colligimus calorē non esse productiuum speciei in-

intentionalis in ſubiecto, in quo eſt.

Dices: lumẽ, quod virtualiter continet calorem, producit illum in ſubiecto eodẽ, in quo eſt: experimur enim lumen ſolis in nobis receptum, quantò intenſius eſt, tãtò intenſius nos calefieri: ergo etiã calor cũ virtualiter contineat ſpeciem intentionalem ſui, poterit illam producere in ſubiecto, in quo eſt.

Forte dici poſſet, calorem non produci in nobis à lumine nobis inhærente, ſed à lumine exiſtẽte in aere contiguo. Videtur tamẽ gratis dictum: quis enim dicat, quod ſi per impoſsibile ſol intenſe nos illuminaret nihil producendo in medio, non eſſet in nobis calor tanto intenſior, quantò lumen intenſius eſt.

Quare dicendum eſt: differentiam hanc reducendã eſſe ad diuerſam naturam harum qualitatum, lumẽ enim ex ſua maiori perfectione eſt productiuũ caloris adhuc in ſubiecto, in quo eſt, calor tamẽ nõ eſt productiuus ſpeciei intentionalis in ſubiecto, in quo inhæret. Sicut etiam magnes talem habet naturã, vt ſolũ ferrum attrahat, nõ verò alia corpora: ſic etiã à poſteriori hæc diuerſitas colligẽda eſt ab experientia, vt dictum eſt.

Vel ſecundò poteſt reddi optima huius rei ratio, nam vt ſtatim dicam ad productionẽ ſpeciei intentionalis primarũ qualitatum tãgibilium, debet præcedere realis & phyſica alteratio, quia ergo calor nequit agere alteratione phyſica circa ſubiectum, in quo eſt, vt ſuo loco dixi, ita neque poteſt intentionaliter immutare organum, in quo eſt.

Ex dictis patet ſolutio ad ſecundam rationem dubitandi. Ad primã reſpondetur infebricitantibus nullam partẽ ſentire calorem intenſum illi inhærentem, ſed vehemẽs calor exiſtens in ſanguine diffuſo per totum corpus ſentitur in carne, vel vna pars carnis ſentit calorem vehementẽ in alia exiſtentem.

Sed dices: fingamus caſum, quod aliquis manu immediatẽ tangeret ſolẽ, tunc ſine dubio ſentiret vehementẽ calorem, eſt enim ſol maxime calefactiuus, ſed in ſole non eſt calor formaliter: ergo tunc tactus ſentiret internum calorẽ ſui organi productum à ſole, quia in tali caſu nullus alius adeſt calor, qui ſentiri poſsit. Reſpondetur quod cum ſol intenſius agat in partem ſibi propinquam, quam in diſtan-

tem

tem, pars habens calorem minùs intensum sentiret calorẽ intensiorem alterius partis, ꝙ si darem⁹ per impossibile omnes partes recipere æqualẽ calorem, certe nullus calor sentiretur, non enim sentiretur calor solis, quia non est formaliter talis calor in sole, neq; etiá calor existens in organo, vt ostensum est: ergo nullus calor sentiretur.

Et si dicas saltem sequi ex dictis partem illam contiguã cum cœlo nihil sentire, quia non potest sentire internũ calorem, neq; etiam calorẽ solis, quia non est in illo formaliter: ergo saltem pars illa immediata Soli nihil sẽtiret. Respondetur quod vt sæpe dixi, quanuis in passo contiguo cũ agenti detur pars aliqua aliquota vltima, & ita immediata agenti, tamen adhuc in illa parte aliquota, cum non possimus dare partem proportionalem vltimam, nulla est pars vltimate propinquissima soli, atq; adeò, neq; illi omnino immediata, sed sicut ante quamlibet est dare aliam, ita ante quamlibet est alia, cuius calor sentiri possit.

Neq; dici potest satis esse, quòd calor sit in sole eminenter, aut virtualiter, vt possit sentiri calor aliquis diuersus ab eo, qui ad extra producitur à sole: nam ex natura rei, omnis sensus requirit obiectũ actu existens, quod autem calor sit in sole eminenter, non est quòd verè, & formaliter actu sit ibi calor, sed quia possit illum producere, hoc autẽ non sufficit, vt calor actu sentiri possit, sicut nec per naturam potest videri color possibilis tantùm, nisi actu, & formaliter existat.

Secundò dubitari potest in hac quæstione vtrum, vt qualitates tangibiles immutẽt tactum per species intentionales, necessarium sit priùs immutare ipsum organũ tactus secundum esse reale, v. g. an vt calor externus tactu percipi possit per species intentionales, necessarium sit, ꝙ prius immutet ipsũ alteratione reali & physica. Ratiò dubitandi est primò, quia sensatio tantũ fit per speciem intentionalem receptam in potentia sensitiua: ergo absq; omni prꝙuia reali alteratione poterit obiectũ tangibile percipi, per species intentionales, atq; adeo alteratio præuia Physica impertinens est.

Secundò, quia inter qualitates tangibiles, quædam sunt secundæ qualitates, vt molle, & durum, quæ non sunt pro-

ductiuæ ſui ſimilis, quanuis enim corpus molle ponatur iuxta durum, nõ amittet propriam duriciem: ergo ſaltẽ in his non poteſt ante immutationem intentionalem produci alteratio Phyſica, & realis.

Tertiò, quia ſequitur ſpecies intẽtionales obiectorum tangibiliũ non produci in inſtanti, nã alteratio phyſica, ad cuius proportionẽ calor immutat tactũ per ſpecies intentionales, ſucceſsiue fit: ergo ſimiliter immutatio intẽtionalis, quæ illã committatur, erit ſucceſsiua: ſed ſpecies intẽtionales debent produci in inſtãti, quia carent cõtrario, vt ſuprà vidimus: ergo qualitates tangibiles non immutant tactum intentionaliter, concomittantur enim ad alterationẽ phyſicam, & realem.

Dico primò: in qualitatibus ſecundis tãgibilibus, nõ requiritur, imo nec poteſt eſſe prœuia alteratio phyſica ante immutationẽ intentionalẽ, & ita huiuſmodi qualitates in inſtãti immutant tactũ. Ratio deſumitur primò ab experientia, quia cum quis manu apprehẽdit lapidem, reuera in inſtanti contactus in quo finitur motus localis, per primum non eſſe, in illo inſtanti per contactum ſentit duriciẽ lapidis, nulla ergo requiritur alteratio phyſica.

Et ratio à priori eſt, quia qualitates ſecundæ, quales ſunt molle, & durũ, non ſunt productiuæ ſibi ſimilis, vt ſupra vidimus: ergo in his ante immutationẽ intentionalẽ nulla realis phyſica alteratio poteſt præcedere. Et hinc infero ad actum tangendi, quantum eſt ex parte potentiæ tactiuæ, nõ requiri prœuiam alterationem phyſicam: potentia enim ſi ſimul recipiat ſpeciem ab obiecto ſufficienter cõſtituitur in actu primo ad eliciendum actum ſenſationis, & ita tactus quantum eſt ex parte ſui, nullam phyſicam alterationẽ prę requirit, ſed ſi talis alteratio aliquãdo requiritur, potiùs eſt ex parte obiecti, quia ſcilicet obiectum etiam eſt actiuũ alteratione phyſica, & ita quia ſecundæ qualitates tangibiles non ſunt actiuę hoc modo, ſolùm intentionaliter immutãt tactum.

Dico ſecundò: in qualitatibus primis tãgibilibus, quales ſũt quatuor primę qualitates, immutatio intẽtionalis conſequitur ad immutationem realem per alterationem phyſicam, & ita in his neceſſaria eſt ad immutationem intentionalem prœuia alteratio realis. Ratio

tio cõclusionis desumitur ex differentia, quæ versatur inter huiusmodi primas qualitates, quæ sunt obiectum tactus, & obiecta aliorum sensuum, nã obiecta aliorum sensuũ sunt qualitates secundæ, vt patet de colore, odore, & sapore, qualitates autem secundę non sunt productiuæ sibi similis, & ita solùm habent actionem intẽtionalem, solus sonus qui est obiectum auditus est qualitas prima, non tamen productiua sibi similis propter rationem suo loco tactam, & ita quantum ad hoc eandem habet naturam, ac si esset qualitas secunda: at vero qualitates primæ tangibiles, præter actionem intentionalem qua producunt speciem intentionalem sui, sunt productiuæ sibi similis, vt calor, & ita etiam necessariò immutãt organum tactus alteratione physica, inter quas actiones, ea est differentia, quod alteratio realis, & physica ordinatur ad bonum speciei, scilicet vt per multiplicationẽ talis qualitatis in pluribus indiuiduis conseruetur species, at vero actio intentionalis solùm ordinatur ad bonum potentiæ sensitiuæ, scilicet, vt mediante specie in illa recepta possit elicere actum sensationis, & quia maius bonum est respectu harum qualitatum conseruare suam speciem, quã reddere potentiam aptam ad sentiendũ, ideò huiusmodi qualitates maiorem habent appetitum ad alterationem physicam, quàm ad actionem intentionalem, & ideò alteratio præcedit saltem natura actionem intentionalem, ita vt actio intentionalis ibi solũ possit esse, vbi præcesserit alteratio physica.

Ex quo patet hanc præuiã alterationem potiùs requiri ex parte obiecti, quia scilicet obiectum ad talem actionem potissimè inclinat, quàm ex parte potentiæ, & ita si Deus miraculosè impediret, ne calor calefaceret, produceret tamen speciem intentionalem caloris in tactu, posset optimè percipi talis calor: atque ex dictis, vt antea dicebã, colligitur ratio à priori, quare calor existens in organo tactus non possit producere ibi intẽtionalem speciem sui, quia scilicet non potest immutare realiter tale organum alteratione physica.

Et si dicas hoc saltem non habere locũ in secundis qualitatibus tangibilibus, vt in mollicie, & ita posset optimè quis mollicię proprij organi

percipere. Reſpõdetur hîc habere locum primam ſolutionem ſuperiùs adductam, nam cum experientia conſtet, tactum non ſentire ſuam duriciem, aut molliciem, licèt colligere à poſteriori huiuſmodi qualitates talem habere naturam, vt non immutent intentionaliter quoduis ſubiectũ, ſed tantum externum?

Dico tertiò, in hac difficultate: immutatio intẽtionalis primarum qualitatum tangibilũ non debet proportionari immutationi reali, per alterationem phyſicam. Ratio eſt, quia actio intentionalis, poteſt eſſe longe intenſior, quàm immutatio realis, & phyſica. Primò, quia cum actio intentionalis fiat abſq; reſiſtentia cõtrarij, fit longe faciliùs & meliùs, quàm immutatio realis, hæc enim fit cum reſiſtentia contrarij, & ita in æquali tempore fit maior immutatio intentionalis, quàm realis.

Secũdò id docet manifeſta experientia; nam ſi manũ prope ignem calefacias, ſentis vehementiſsimum calorem ignis, cum tamen tam vehemẽs calor nõ poſsit realiter in nobis percipi ſine magna corruptione, & iactura, eſt ergo maior immutatio intentionalis, quàm realis & phyſica. Accedit quod vt infra oſtendam tactus non percipit niſi qualitatem excellẽtem, & maiorem, quàm in ſe habeat: ergo immutatio intẽtionalis maior eſt quàm alteratio realis, & phyſica.

Ad primam rationem dubitandi ex dictis eſt facilis ſolutio ſolùm enim probat alterationem phyſicam præuiã non requiri ex parte potentiæ actiuæ, ad hanc enim ſatis eſſet recipere ſpeciem intentionalem, requiritur tamen talis actio ex parte obiecti, vt explicatum eſt.

Ad ſecundam etiam patet ſolutio ex dictis in prima cõcluſione.

Ad tertiam ſpecies intentionales ſecundarum qualitatum tangibilium produci in inſtanti: iſtæ enim, vt vidimus, non fiunt cum alteratione reali, & phyſica; tamen ſpecies intentionales qualitatum primarũ tangibilium, & per inde ſenſatio, quę per illas fit, incipiunt, & deſinunt in tempore, ſicut alteratio præuia: fit ſimul cũ illa.

Neq; obſtat quòd talis actio fiat abſq; reſiſtentia contrarij, hoc enim tantùm probat poſſe fieri in inſtanti, quãtum eſt ex ſe, tamen ſicut lumen quãuis non habeat contrariũ pro-

du-

ducitur ſucceſsiue vltra primam ſphæram per accidens, quia luminoſum ſucceſsiue applicatur per motum localem, alijs atq; alijs partibus medij, ita quia huiuſmodi ſpecies intentionales producuntur concomitanter ad alterationẽ realem phyſicam præcedentem, ab eaq; dependent, eo quod obiectum magis inclinat in illam actionem, ideo per accidens tales ſpecies, & ſenſatio ipſa incipiunt, & deſinunt ſicut alteratio illa. Et hinc vlteriùs fit quod in ſingulis inſtãtibus illius temporis, quo paulatim ſentitur intẽſio caloris, ſint quædam indiuiſibilia ſenſationis, quæ correſpondent indiuiſibilibus intenſionis ipſius obiecti, vt in ſimili ſupra dicebam de ſpecierum intenſione: tamen vt loco citato adnotaui non diſtinguit tactus inter indiuiſibilia, & partes qualitatis, ſicut nec viſus diſcernit inter partes extenſionis coloris, & indiuiſibilia illius, quanuis reuera quodammodo videat talia indiuiſibilia, eo quod videt colorem continuũ, quæ continuatio neceſſariò fit per indiuiſibilia. Sicut enim tum propter exiguitatẽ indiuiſibiliũ, tũ propter magnam ſimultatem localem, quã indiuiſibilia coloris habẽt cũ eius partibus, non diſcernit viſus inter indiuiſibile, & partẽ: ita propter exiguitatem indiuiſibilis intenſionis, magnãq; ſimultatẽ, quã habẽt cũ partibus tẽporis inſtãtia, in quibus ſentiuntur indiuiſibilia caloris, non diſcernit tactus inter indiuiſibilia intẽſionis, caloris & partes tales intẽſionis: imò etiam in alijs ſenſibus poteſt fieri ſenſatio ſucceſsiue per accidẽs, qualiter color poteſt videri ſucceſsiue per partes, ſi contingat ſucceſsiue, & paulatim produci, aut ſi ſucceſsiue illum diſcooperias. Similiter ſapor poteſt ſucceſsiue ſentiri ſecundum quod aliquãdo opus eſt ad hoc linguã humectari: talis autem alteratio fit ſucceſsiue. Et intenſio ſoni ſucceſsiue percipi poteſt, ſicut ſi ſonus ipſe realis magis ac magis approximetur auditui, aut intenſiorem ſpeciem intentionalem efficiat, & eodem modo poteſt intenſio odoris ſucceſsiuè percipi.

Tertiò dubitari poteſt in hac quæſtione, quæ qualitas tangibilis ſentiatur immediate, verbi gratia, quis calor ſit, qui immediate tangitur, an ille, qui eſt in aere, qui eſt contiguus cum tactu, an vero qui remotus eſt in igne aliquantulùm diſtãti. Reſpõdetur ſolũ ſen-

ſentiri calorem cõtiguum. Et probatur primò ex ipſo nomine tactus, neq; enim vere dicitur eſſe tactus, niſi inter immediata, tum etiam, quia lingua non guſtat ſaporem diſtãtem, ſed eum, qui illi eſt contiguus: ergo neq; tactus.

Tertiò, quia ſenſibile commune non percipitur ſine proprio, ſed quando quis per tactum percipit calorem ignis diſtantis, reuera per tactũ non percipit eius quantitatem: ergo neq; eius calorem, ſed eũ, qui eſt in aere ſimul cum quãtitate illius: vnde quando vulgò dicitur percipi in hoc caſu calor ignis, minùs propria, ac philoſophica eſt locutio, ſolumq; illi tribuitur talis ratio obiecti in quantum calor per aerem diffuſus ab illo tãquàm à prima radice habuit ortum.

Solum poteſt hoc loco obijci, nam ſi baculum impingas in parietem, manus tangẽs immediate baculum, reuera ſentit duriciem parietis, ſentit enim difficultatem in tali actione, qua impingit baculũ, ergo duricies diſtans poteſt percipi à tactu. Reſpondetur in tali caſu manum nequaquã percipere duriciẽ parietis, ſed impulſum parietis impreſſum in tali manu, indeque intellectus per diſcurſum colligit parietem talem impulſum imprimentem durum eſſe.

Quæſt. II. Vtrùm tactus ſolum percipiat excellentes qualitates.

CVm organum tactus mixtum ſit neceſſariò componitur ex quatuor primis qualitatibus, licèt in gradu remiſſo. Quærimus ergo in præſentia, an ſi calor exiſtens in organo tactus ſit, verbi gratia, vt duo, ſolũ poſsit percipere calorem maioris intenſionis, vel certè æqualem, aut minùs intenſum.

Dico primò: in qualitatibus ſecũdis tangibilibus, nõ requiritur quòd obiectum, quod tangitur, excedat in intenſione qualitates ipſius organi, ſed poſſunt percipi in æquali, imò, & in minori intenſione. Ratio eſt, quia ſæpe contingit aliquem habentem manũ nimis mollem apprehendere manum alterius minus mollem, & reuera ſentit molliciem illius manus, quam apprehendit: ergo in ſecundis qualitatibus tangibilibus non requiritur exceſſus qualitatis tangibilis ſupra qualitates ipſius organi.

Se-

Secundò, quia si aliqua esset repugnantia in hoc, ea maxime esset, quia immutatio intentionalis in tactu requirit immutationem realem: tactus autem non potest recipere qualitatem sibi similem in gradu, ac iam habet, quia iam habet illam, hæc autem ratio in secundis qualitatibus non procedit, quia in his ad actionem intentionalem nulla requiritur præuia alteratio, nihil ergo debet repugnare in his qualitatibus secundis, vt tactus percipiat qualitates non excellentes, sed potiùs minoris intensionis.

Contra hanc conclusionem potest obijci in primis Aristot. 3. lib. de anima cap. 4. qui ex eo probat intellectum debere esse incorporeum, & immixtum, vt alias res possit intelligere, quia inquit. *Intus existens prohibet extraneum*: ergo hoc ipso, quòd tactus habeat in se aliquam qualitatem, non poterit aliam similis gradus percipere, quia intùs existens prohibebit extraneum, solùm ergo poterit percipere gradum excellentem, quem in se non habet. Tunc enim non est aliquid intus existens, quod extraneum prohibeat. Sed de hac re, & de intelligentia huius rationis Arist. quam non omnes recte intelligũt, dicam loco citato.

Difficiliùs posset obijci ex Arist. in hoc capite ꝑpe finẽ, vbi reuera nullã agnoscit differentiam inter qualitates tãgibiles primas, & secũdas, quin potiùs sentit nullã qualitatem similem siue primã, siue secundã posse à tactu percipi, sic enim inquit. *Quo circa simile calidũ ac frigidũ, & durũ, & molle non sentimus, sed exuperationes.* Quæ verba adeò sunt aperta cõtra nostrã sentẽtiam, vt illa nullo modo commentari, audeã, quãuis enim cõclusio Arist. vera sit in primis qualitatibus, in molli tamẽ, & duro nequaquam, vt manifesta cõprobat experientia, quare vt ipse dixit magis amica veritas.

Dico secundo in hac quæstione, si sermo sit de primis qualitatibus tangibilibus, tactus non percipit nisi excellentes qualitates, & in hoc benè Aristot. estque communis Philosophorum sentẽtia, quã D. Tho. Niphus. Tolet. & alij in hoc capite super textum 118. amplectuntur, & ex dictis in superiori quæstione potest facile desumi ratio, quia qualitates primæ tangibiles non possunt immutare tactũ intẽtionaliter, nisi prius immutent illum realiter; sed si organum

num tactus, verbi gratia, habeat calorem vt duo, non potest pati ab alio calore habente æqualem, aut minorem intensionem, sed à calore excellenti iuxta dicta. 1. lib. de generatione cap. 7. ergo tactus solùm potest percipere qualitates primas excellentes.

Potest tamen obijci contra hanc conclusionem, quia vt dictum est, immutatio intentionalis non debet proportionari cum immutatione reali, sed est maior illa: ergo quartus gradꝰ caloris, qui sentitur potest producere speciem sui, quin efficiat quartum gradũ sibi similem: ergo similiter poterit calor vt quatuor producere speciem sui in tactu, habente aliàs caloreꝫ, vt quatuor, etiamsi illum de nouo nõ immutet realiter: ad quid enim debet illum realiter immutare, si habet iam calorem sufficientem ad immutationẽ intentionalem?

Respondetur, quòd si calor adueniens non immutat priùs realiter tactum, saltem cõcurrẽdo ad gradus inferiores producendos in organo tactus nõ immutabit illũ, si tamen quartus gradus caloris cõcurrat ad producẽdum aliquem gradũ inferiorem, scilicet vt vnum, vel vt duo iuxta doctrinã tradità in libris de generatione, tunc poterit immutare tactũ intentionaliter, & ita saluatur optime, tactum percipere excellentes qualitates, præuia tamen facta immutatione reali, qua gradus excellẽtes, qui percipiuntur, cõcurrunt ad productionem graduum inferiorum, per quos realiter immutatur tactus, tamen absq; præuia aliqua immutatione reali non potest immutari tactus intentionaliter propter rationẽ suprà adductam, & ita experientia constat nos nunquam sentire caloreꝫ, nisi tactus noster realiter calefiat.

Sed obijcies secundò, nam si tactus solùm percipit qualitates excellentes, si ergo tactus habeat calorem, vt duo, non percipiet in obiecto calorem vt duo, sed vt tria, & ita percipiet gradum superiorem sine inferioribus, hoc autẽ est impossibile. Et probatur, quia sequeretur dari in specie, per quã immutat tactum, gradus intensionis superiores correspondentes superioribus gradibus caloris, absq; gradibus inferioribus: hoc autẽ est contra naturam intensionis, vt vidimus suo loco: gradus enim superiores in qualitatibus ex natura rei dependent ab inferioribus, & illos supponũt;

vi-

videtur ergo impossibile tactum solùm percipere excellẽtes qualitates.

Pro solutione reuocandum est in memoriam id, quod supra cap. 5. diximus, nempe in qualibet specie dari duas intẽsiones, alteram correspondentem intensioni obiecti, secundum quòd species repræsentat plures, aut pauciores gradus obiecti: alteram verò intensionem subiectiuam, secundum quod circa vnum, & eũdem gradum potest dari species magis, aut minùs intensa: inter quas intẽsiones hæc est differentia, quòd intẽsio obiectiua, licèt hoc nomine appelletur, quia correspondet intẽsioni obiecti, & non partibus extensionis illius, tamen reuera potiùs habet modum extẽsionis, quàm veræ, & propriæ intensionis, quia se extendit ad repræsentandos plures, aut pauciores gradus: quando autem qualitas aliqua extendit se ad nouum obiectũ, potius est augmentum extensionis, quam intensionis, & ita quando habitus scientificus, extẽdit se ad nouam conclusionẽ ex vi nouæ demõstrationis habitæ de illa, illud augmentum potius appellatur ab omnibus augmentum extensionis, quã intensionis: sola ergo intensio subiectiua est, quæ propriè est intensio; habet enim circa eũdem gradũ obiecti gradus intensionis subordinatos.

Ad argumentum ergo respondetur non dari gradũ intensionis superiorem sine inferiori, quia illa non est intensio in rigore, sed extensio speciei secundum partes correspondentes gradibus obiecti, in extensione autem nulla est subordinatio partium, qualiter habitus scientificus potest extendi ad hanc conclusionẽ, quin extendatur ad illam, & è cõtra, nihil ergo mirũ quod detur species repræsentãs gradum superiorẽ absq; eo quod repræsentet inferiorem.

Tertiò obijci potest contra conclusionem: nam si tactus solùm percipit qualitates excellentes, sequitur quòd quãto magis calefit, tantò minùs sentit calorem, quia quantò magis calefit, habet maiorẽ calorem, & ita minus superatur ab alio calore. Respondetur negando sequellam, nam vt suprà dicebam immutatio intentionalis maior est in mutatione reali, ita vt calefactioni vt duo, correspõdeat immutatio intentionalis caloris vt quatuor; & sic de alijs: & ita quantò tactus magis calefit, magis sentit gradus superiores, quia

Immutatur etiã magis intẽtionaliter, quanuis ſentiat pauciores ex inferioribus, vt argumẽtũ probat, quia iam illi inferiores non excedunt illum.

Quæſt. III. Quòd ſit obiectum tactionis dolorificæ, ſimiliterq; & voluptatis, famis, & ſitis.

SÆpe præſertim per ſciſsionem ſentimus dolorem tactu ipſo, & ita dubium eſt, q̃ ſit obiectum, quod per illã tactionem dolorificã ſentitur: vbi non intendimus diſputare, quid ſit dolor, de hoc enim dicam Deo fauente latiùs aliquando in. 3. lib. de anima, diſp. de dolore, ſed tantùm, quærimus quid ſentiatur per tactionem dolorificam: ſunt autem de hac re variæ philoſophorũ placita, & etiã medicorum. Simon Portius opuſculo de dolore. c. 11. ſentit obiectũ huius tactionis eſſe acuciẽ, vel duriciem corporis ſcindentis carnem, quem plures medici ſequuntur. Hæc tamen ſentẽtia ſine dubio eſt falſa, nã adhuc ſemoto cultello ſcindẽte carnem, perſeuerat poſt talem ſciſsionem dolor eiuſdem rationis qui à principio ſentiebatur, dũ erat actualis ſciſsio, ſed poſtea non ſentitur duricies, aut acucies cultelli, vt pote, quæ iã nõ eſt: ergo neq; in principio, eſt enim cadẽ ſenſatio continuata, ac perinde debet habere idem obiectum.

Quare Auerroes lib. 1. collecta. c. 21. exiſtimat obiectũ huius tactionis dolorificæ eſſe aliquam primam qualitatẽ excedentem naturalem tẽperiem tactus: hæc tamen ſententia manifeſtè contrariatur experientiæ, quia longe aliter ſentimus, calorem aũt frigus, quàm dolorem illũ ex ciſsione cauſatum: vnde multoties, præſertim tempore æſtatis, ve hemẽtem calorem ſentimus, non tamen dolorem.

Vnde: tertius modus dicendi, quem plures cõmuniter ſequũtur, eſt obiectũ illi' tactionis dolorificæ eſſe ipſam ſolutionẽ cõtinui, pro qua ſententia citatur Ariſt. 6. lib. topi. c. 47. Gale. lib. de inæqualitate, & tẽperie, & lib. 2. de locis. c. 1. Sed neq; hęc ſentẽtia placet primò quia multoties ſentim' doloré, nulla facta ſciſsione, ſed dumtaxat ex prauo aliquo humore interiùs exiſtẽte: ergo hæc ſententia nõ aſsignat obiectũ adæquatũ huius molẽſtę ſenſationis, imò etiãſi dolor cauſetur ex ſolutione cõtinui, falſa eſt hæc ſentẽtia, quia no-

nomine solutionis continui, duo possunt intelligi, scilicet motus localis, quo caro scindi tur, quæ est solutio cõtinui in fieri cõsiderata, & iste motus localis est sensibile cõmune, vt ex cõmuni Philosophorum sentẽtia vidimus supra c. 6. ac perinde non potest percipi se solo absq; alio sensibili proprio: vel nomine solutionis cõtinui intelligitur ipsa solutio in facto esse, prout significat præsentias diuisas illarum partium, & huiusmodi præsentiæ diuisæ etiam sunt sensibile cõmune, scilicet numerus, vt vidimus loco citato: ergo nullo modo sola sõlutio continui potest esse obiectum talis sensãtionis.

Quare alij hanc sententiam explicantes asserũt solã solutionem continui non esse obiectũ illius actus, cũ sit sensibile commune, illam tamen simul cum acucie, aut duricie corporis scindẽtis tanquam cũ sensibili proprio esse obiectum illius actus. Tamen cõtra hanc solutionem est ratio nuper facta nam adhuc ablato cultello sentitur dolor similis præcedenti, & iuxta hanc sententiam tunc tantùm perciperetur sensibile cõmune.

Secundò: quia sensibile cõmune tantum sentitur cũ sensibili proprio, quod modificat, vt loco citato diximus: sed præsentiæ illæ diuisę non modificant acuciem, aut duriciem cultelli, sed carnem, in qua sunt: ergo nõ possunt percipi à tactu simul cum qualitate aliqua cultelli.

Quare hac in re dicendum sine dubio videtur: obiectum tactionis dolorificæ esse qualitatem quamdam innominatam, quã vocant dolorificã, siue resultet ex sciſsione facta, vt quando sentitur dolor ex sciſsione partis, siue ex prauo humore interiùs existẽte, aut alia quauis causa, vt quando sentitur dolor nulla sciſsione facta. Quæ sententia plane colligitur ex refutatione aliarum opinionum, nec mirum est nos ponere qualitatem istam innominatam, nam quemadmodum, quia experimur magnetem attrahere ferrum, ponimus in illo quamdã occultam qualitatem ferriferam, vt ita dicã, ita ex eo quod sentiamus dolorem, & tactus habeat pro obiecto qualitates, sicut & alij sensus, nõ mirum est, ꝙ ponatur ista qualitas dolorifera.

Sunt tamẽ hoc loco duo aduertenda, alterum est, istã qualitatem, non produci prꝙciſſe

ex ſolutione continui, nam cũ ſolutio continui, vt ſuprà vidimus, ſit motus localis, quo partes ſegregantur, & diuidũtur, potius terminãtur ad præſentiam localem, quã ad qualitatem, potius ergo fit illa qualitas per aliam actionem, quæ ſit alteratio quædã ſubſequẽs ad ſolutionem continui, & ita motus localis eſt quaſi conditio ad efficiendum dolorẽ, ortum ex ſolutione continui, ad modum, quo in libris de cœlo dicebam motum eſſe cauſam caloris.

Secundò aduertẽdũ eſt huiuſmodi qualitatem doloriferam, aliquando cauſari ex ſolutione, & diuiſione continui, & ita Ariſt. loco citato dixit dolorem eſſe ſolutionẽ continui, quod non eſt intelligendum in ſenſu formali, ſed in cauſali, non ſecùs ac cum dixit quòd generatio vnius eſt corruptio alterius, vt ſuo loco vidimus.

Circa famem vero, & ſitim Ariſt. ſupra. c.4. & ſæpe alibi docet famem eſſe appetitum calidi & ſicci, ſitim vero eſſe appetitum frigidi & humidi. Pro cuius intelligẽtia aduertendũ eſt ex Galeno lib.1. de cauſis ſymptomatũ.c.6. quod quando ſtomachus patitur famem aut ſitim, reperitur quędam corrugatio, & compreſſio partium ſtomachi ex qua cauſatur quędam qualitas ſuo modo dolorifera, & moleſta, & ita ſenſatio illius qualitatis eſt fames, ſitis vero etiam eſt ſenſatio alterius qualitatis diſconuenientis, quæ qualitates cum non poſsint fieri à compreſsione formaliter ſumpta, hæc enim eſt motus localis, qui potiùs terminatur ad vbi, dicendum eſt fieri ab aliquali impulſu, quem ſibi inuicem parıes ſtomachi imprimunt ex vi motùs localis, quo comprimuntur, ad modũ, quo ſupra dicebam, cauſam effectiuã ſoni eſſe impulſum cauſatum ab impetu reſilientium, neq; enim apparet alia particularis cauſa cui talis effectus tribui poſsit.

Vnde colligitur, quòd quãdo Ariſt. ſupra cap. 4. definit famem, quòd ſit appetitus calidi & ſicci, ſitim vero quòd ſit appetitus frigidi, & humidi, non tradit rationem formalem famis, & ſitis, ſed potius eas definit per effectus, & per appetitũ qui oritur ex fame. Ratio eſt, quia appetitus ille oritur tamquam ex cauſa ex fame, & ſiti: ergo ante talẽ appetitum præintelligitur ſitis, & famis tamquã cauſa illius, dicendum ergo eſt famem &

ſitim

sitim esse sensationes illarum qualitatum molestarum, quæ causantur ex corrugatione, & compressione partium stomachi.

Vbi obiter aduerto, ibi Arist. dixisse famem esse appetitum calidi, & sici, non quia re vera quòd ex fame appetitur, debeat esse siccum, appetitur enim ad reparandum humidum radicale; & ita debet esse saltem aliqualiter humidum: sed quia ex comparatione ad id, quod appetitur ex siti, habet rationem sicci, id enim, quod appetitur ex siti, est valde humidum.

Circa vltimũ verò, quod inquirit quæstio, scilicet in quo consistat voluptas, nõ loquimur de voluptate, prout idem est, q̃ delectatio, quæ est actus volũtatis, vel appetitus sensitiui: de hac enim latè disputãt Theologi 1. 2. loquimur ergo de voluptate venerea, quæ per tactum sentitur in coitu. Et dicendum est breuiter, illam esse quandam suauem, & delectabilem sensationem ad tactum pertinentem, sicut è contra dolor est molesta sensatio: neque oportet hìc fingere occultam aliquam qualitatem, quæ sit obiectum illius tactionis: nam cùm in illa parte, qua sentitur hæc voluptas, sit magna multitudo neruorum, viget ibi maximè facultas sentiendi, & suauitas, & mollicies partium, quæ tanguntur, causant delectationem illam: quibus accedit, quòd etiam semen, quod deciditur, habeat moliciem, & alias qualitates delectabiles, ex quib⁹ omnibus causatur illa delectatio, & sensatio.

Quæst. IIII. An tactus sit vnus in specie infima.

MIrum est, quàm sint de hac re diuersæ opiniones. Primus dicendi modus est, esse duos tactus specie diuersos, quorum alter percipiat vnam cõtrarietatem, quæ est inter calidum, & frigidum: alter verò alteram, quę est inter humidum, & siccum, tenuit olim D. Thomas hoc libro, lectione 22. & 1. part. quæstio. 78. articulo 3. ad 3. existimat hanc esse de mente Arist. & reuera videtur res non multùm ab eius mente aliena: nam in hoc cap. in principio proponit eam dubitationem, an sint plures sensus tactus, conficitque duplicem rationẽ, qua id probari videtur. Prima est, quia vnus sensus tantùm percipit

cipit vnam contrarietatem, qualiter visus tantùm percipit contrarietatem, quę est inter album, & nigrum; sed in qualitatibus tangibilib⁹ sunt plures contrarietates extremæ, alia enim est inter calidum, & frigidum, alia verò inter siccum, & humidum: ergo sunt plures sensus tactus.

Cui rationi respondet Aristoteles, dicens, etiam in alijs sensibus quodámodò esse plures contrarietates, qualiter, inquit, in voce acumen, & grauitas, & magnitudo, & paruitas, lenitas, & asperitas.

Secunda ratio est, quia in alijs sensibus signamus obiectum vnum, sicut sensus ipse vnus est, qualiter obictum visus est color: in tactu tamen non videtur posse assignari aliquod obiectũ vnum. Quã rationẽ Arist. insolutã relinquit: nunquamque in hoc cap. docet, tantũ esse vnicum tactum, propter quod S. Tho. & plures alij existimãt Arist. re vera sensisse esse plures sensus tactus specie diuersos: Scio Arist. 3. lib. de anima, cap. 1. apertè docere, tantùm esse quinque sensus externos, vbi tantùm vnicum tactum constituere videtur, & ita alij dicunt, eo loco priorem sententiam retractasse.

Nobis tamen, quidquid sit de mente illius in hoc cap. vltimæ eius voluntati attendentibus dicẽdum videtur, reuera ipsum saltem loco vltimo citato vnum tantùm constituisse: Auerroes verò hoc libro text. 108. prẽter duos tactus perceptiuos duarum contrarietatum, aliũ ponit ad percipiendum graue, & leue. Albertus verò summa de homine, tractatu de tactu, quæst. 2. & Auicena lib. 6. p. 2. de tactu duos alios tactus addunt, alterum ad percipiendos dolores, & delectationes; alterum verò specialiter ad delectationes venereas. Tandem alij alium tactum specie ab his diuersum constituunt in stomacho ad percipiendam famem, & sitim.

Vera tamen, & cõmunis sententia est, tactum esse vnicum sensum in specie infima, cuius obiectum adæquatum sit qualitas tangibilis in communi, prout comprehendit omnes qualitates tangibiles. Tenet expresè S. Thomas 1. part. quæst. 7. ar. 3. ad 3. vbi soluit rationes Arist. in hoc cap. & ita retractauit sententiam, quã hoc loco olim tenuerat. Idem docet quæst. de anima ar. 3. ad 17. & opusculo 48. capite 3. Philopponus hoc loco, digres-

greſsionē ſuper text. 17. Simplicius verò ſuper eundē textum, Venetus ſuper text. 108. Cardin. Tolet. & omnes recētiores in hoc capite.

Et ratio eſt primò, quia quē admodùm omnes colores immutant viſum eodem modo, qũanuis ſint inter ſe maximè diuerſi, ita & omnes qualitates tangibiles habent eundem modum immutandi tactum, ſcilicet per contactum: ergo ad eundem ſenſum tactus poterunt pertinere.

Secundò, quia magis differunt qualitates contrariæ, quàm contrarietates qualitatum contrariarum, nam duæ contrarietates qualitatū contrariarum non ſunt inter ſe contrariæ, qualiter contrarietas, quæ eſt inter calorem, & frigus, non eſt contraria contrarietati, quę eſt inter ſiccitatem, & humiditatem: ſed qualitates contrarię poſſunt percipi ab eadē potentia; ergo etiam plures contrarietates qualitatum cōtrariarum.

Per quod patet ſolutio ad primam rationem Ariſt. nam quando plures contrarietates habent ſimilem modum immutandi ſenſum, poſſunt ad eundem ſenſum pertinere.

Ad ſecundum, falſum eſſe non dari aliquid cōmune omnibus qualitatibus tangibilibus, ſicut enim omnes colores conueniunt in ratione generica coloris; ita omnes qualitates tangibiles conueniunt in ratione generica qualitatis tangibilis.

Sed obijci poteſt difficiliùs: Nam guſtus ex eo diſtinguitur à tactu, quia obiectum guſtabile natura ſua tantùm poteſt ſentiri in lingua, & non in alia parte: vnde colligimus guſtum, & tactum natura ſua eſſe potentias diuerſæ rationis; ſed eodem modo dolor ille, qui ſentitur in capite, in nulla alia parte corporis ſentiri poteſt; & idē eſt de ſimilib⁹ doloribus, qui natura ſua videntur habere connexionem cum determinata parte corporis: ergo debent dari diuerſæ potentię tactiuæ ad percipiēdos illos.

Reſpondetur, dolores omninò per accidens habere connexionem cum determinata parte corporis; quia ſcilicet tantùm in illa parte poteſt excitari qualitas illa dolorifica, quę eſt obiectum illius ſenſationis: tamen ſi ſimilis qualitas in alia parte excitaretur, haberetque ſimile temperamentum, ac eſt in ea,

capite, aut alio quouis mẽbro, ſimilis dolor in alijs partibus ſentiri poſſet, tamen cum ſit tam diuerſa natura organorũ in eiſq; ſint tam varia temperamenta nihil mirum quod tã diuerſi dolores excitentur.

Quæſt. V. Quod ſit medium per quod immutatur tactus.

AVerroes hoc loco exiſtimauit neque corpora dura neque liquida immediate tangi à nobis, & ita tactũ ſemper indigere medio externo ad percipienda corpora. Iandu. vero & Card. Tolet. hoc loco, in aliud extremum inclinant, dicentes, neq; corpora dura, neq; fluida indigere medio externo, vt percipiantur à tactu, ſed immediate tangi ab illo. Cum qua ſententia dico primò. Tactus non indiget medio externo vt tangat corpora liquida, verbi gratia, aerem, aut aquam. Ratio eſt facilis, quia vel inter aerẽ circumdantem nos, & corpus noſtrũ eſt vacuum, & hoc dici nõ poteſt, cum vacuum per naturam ſit impoſsibile, vel intercedit aliud corpus liquidum, & ſic iam illud tanget nos immediate, & ita idem poterit dici de aere: vel nihil mediat, & ita abſque externo medio poterit aer tangi à nobis, dicere enim inter aerem, & nos mediare aliquod corpus durum: & contra experientiã eſt, poſſet enim à nobis percipi, & ſine fundamento dicitur: ergo tactus, vt tangat corpora liquida nullo indiget medio externo.

Dices quòd quanuis aer ſit immediatus nobis, tamẽ eius qualitates non poſſunt percipi à tactu immediate: ſed contra eſt, nam ſi qualitates aeris ſunt prope tactum noſtrum, ergo ſaltem illæ, quæ excedunt in intenſione qualitates organi noſtri tactus, poterunt illum immutare; tactus enim excellentes qualitates ſaltem poteſt percipere: ſed illæ ſpecies intentionales non mittuntur ad organum tactus per medium aliquod nobis externum medians inter nos & aerem, quia vt vidimus, nullum tale corpus eſt: ergo neque ad percipiẽda intẽtionaliter corpora liquida indigemus medio externo.

Quòd autẽ hoc loco obijcit Auerr. ſcilicet, quòd cum aer ſit locus naturalis noſter, & locus ſit potiùs conſeruatiuus locati, quã deſtructiuus, non poteſt immutare noſtrũ tactum, atq; adeo non poteſt

rit immediate à tactu percipi, sane ridiculum est, nam quâuis de ratione loci naturalis sit, quòd magis conseruet locatum, quam in ipsum agat: tamen locus naturalis ratione qualitatis disymbolæ nõ nihil agit in locatum, qua ratione vnum elemẽtum est locus naturalis alterius, cum hoc tamen ratione qualitatis disymbolæ vnũ agit in aliud, vt aer agit in aquam per calorem, cũ hoc tamen absolutè loquendo conseruat aquam: tũ quia habet alteram qualitatẽ symbolam illi, tum etiam ratione influentiæ cœlestis, quæ in illo modificata habet vim conseruatiuam locati, vt ex communi sentẽtia vidimus. 4. lib. Physi.

Dico secundò: etiam corpus durum immediate posse tangi à nobis: atq; adeò potest esse immediatus contactus etiam inter corpora dura, & nõ fluida. Hæc cõclusio adeo est mihi certa, vt mirari non desinam, eam negari à quibusdam viris huius ætatis, aliàs doctis, eamq; bene probat Card. Tolet. hoc loco, nam si ingentẽ lapidem planam habentem superficiem supra terrã ponas, vel inter illam & terram nihil mediat, & sic iam se tangunt immediatè, vel aliquid mediat, scilicet parua aliqua portio aeris, & tunc sequitur ingentem molem illo quã paruo aere sustentari, quod quis credet?

Responderi posset fortasse superficiem illam lapidis non esse adeò mathematice planã per naturã, vt non habeat paruas cauitates, inter quas, & terram necessarium est contineri particulas aeris, ne detur vacuum. Tamen cõtra est quòd sicut illæ cauitates paruæ non sunt terræ immediate, vt bene probat hæc solutio, tamen saltem partes illæ, quæ supereminent illis cauitatibus debent immediate tangere terram, vel certe in aere sustentari.

Quare secundò alij respondent nihil esse mirum ingentem molem super paruam aeris portionem prope terram immediate sustineri; nam si ingentem molem supra papyrũ supra terram existentem apponas, ingens illa moles in leui papyro sustentatur, hæc tamen instantia nullius est momẽti: nam papyrus illa & si tenuis, habet tamen consistentiam in suis partibus, & ita terræ innixa ingentem lapidem sustentare potest: at vero aer, vt pote, qui maxime fluidus est, facillimè cedit, atq; adeo

nõ poteſt in ſe conſiſtẽs magnam molem ſuſtinere. Præterea multo meli⁹ id poſſet magna portio aeris, & ita meli⁹ ingẽs lapis detineretur magis diſtãs à terra, quàm prope illã.

Secundò probatur, quia mediãte figura ſigilli imprimitur figura ſimilis in cera: ergo opus eſt ſigillum ipſum tangere immediatè ceram, & nõ medio aere, iſte enim cũ nimis ſit fluidus inconſtanter ſatis recipit figuram, & tamen reuera incredibile videtur malleum fortiter lapidem percutientẽ ipſum non tangere.

Poteſt tamen contra noſtrã ſententiam obijci. In primis Ariſt. in hoc capite dicẽs corpora dura ſe tãgentia in aere, vel aqua, nõ ſe tangere immediate, quia, inquit, corpora quę ſe tangũt in aqua humectãtur adhuc ſecundũ partes, quibus ſe tangũt: ergo ibi intercedit aqua humectans partes illas. Reſpõdet Tolet. & Philopo. in hoc tap. Ariſt. tantùm voluiſſe, quòd regulariter, & vt in plurimum mediat aer, vel aqua inter corpora dura ſe tangẽtia, quia cũ nullum corpus ſit perfectè, & mathematicè planum ſecũdum ſuperficiẽ, qua aliud tangit, neceſſarium eſt in cauitatibus illius contineri partem aliquam aeris vel aquę, ne detur vacuum: crediderim tamen Ariſt. etiam loqui ſecundũ partes eminẽtes, quibus corpora ſe tangunt, nã illius ratio ad hoc videtur tendere, nam adhuc illæ partes eminentes, ſecũdum quas corpora ſe tangũt, humectantur: ſed ex eo quod humectentur intendit Ariſt. ibi intercedere aquam humectantem partes illas: ergo reuera etiam loquitur de partibus eminentibus ſe tangentibus.

Quare alij ſicut liberiùs, ita & veriùs loquuntur, dicentes reuera Ariſt. deceptũ fuiſſe, ſicut etiam, vt vidimus, deceptus eſt, exiſtimans molliciem, & duriciem, ſolum ſentiri à tactu in gradu excellenti: neque oportet plus Ariſt. quàm firmæ rationi tribuere.

Ratio autẽ Ariſt. friuola eſt; nã humiditas illa, quæ reperitur in partibus ſecundũ quas corpora ſe tangũt, nõ opus eſt, vt producatur ab aqua interiecta inter vtrãq; partẽ, ſed poteſt ab aqua circũuicina produci, illa enim medijs partib⁹ ſibi proximis alias magis diſtãtes humectare poteſt, quin ſit immediate in omnibus partibus, quę humectantur.

Obijciunt ſecũdò alij, quia ſi duo corpora dura ſe immediate tangunt, ſequitur quòd

ex

ex eorum ſimultanea ſeparatione detur vacuũ, quia omnes partes illorũ ſimul ſeparãtur, & aer non poteſt ſimul intrare ad replendum illud vacuũ, debet enim ingredi per motũ localẽ, atq; adeo ſucceſſiue: ergo ne concedamus dari vacuum, quãdo talia corpora ſeparantur conſultius erit aſſerere non ſe tangere immediatè. Reſpondetur, tamen nũquàm dari per naturam corpora dura adeò perfectè plana, nec impulſus ita æqualiter producuntur in omnibus partibus, vt nõ eleuetur corpus magis per vnam partem, quã per aliã, licèt id non ſit nobis perceptibile, & cum aliàs aer ſit maxime fluidus, ſubitò confluit ad paulatim replendum vacuũ, prout tale corpus priùs ſecundum vnas partes, quàm ſecundũ alias eleuatur. Quòd ſi fingeremus caſum metaphyſicum, quòd corpora illa haberent ſuperficies perfectè planas, & omnino æqualiter ſecundum omnes partes, ad inuicem, & ſimul ſepararentur, eſſentq; ita occluſa vt per nullam partẽ aer ingredi poſſet, certè vnum corpus traheret poſt ſe aliud, vel rumperetur, qualiter dicebam. 4. Phyſic. hãc eſſe cauſam, quare paruo inſtrumento, quale eſt illud, quod vulgò appellatur (Zapatilla) ſi vndiq; æqualiter lapidi adhæreat lapidẽ aliquantulùm grandẽ eleuamus, vel certe ſi lapis ingens ſit, ita vt tali inſtrumento eleuari nõ poſsit, frangitur tale inſtrumẽtum.

Deniq; hæc eſt cauſa quare ſi tabulam ſuper aquam natantẽ velis per omnes partes æqualiter eleuare, opus eſt magno impulſu, quia talis tabula trahit poſt ſe aquam, ne detur vacuum. Vtrum autem tangibile poſitum ſupra tactum poſsit ſentiri, vel potiùs opus ſit medio aliquo interno, ita vt per vnam partem viuentis, producat ſpecies intentionales, & ab alia ſentiatur, dicam capite ſequenti, quæſt. 1.

Quæſtio. VI. Quod ſit organum tactus.

DE hac re prima ſententia fuit Simplicij aſſerẽtis tactum reſidere in corde: ſi tamen hæc ſentẽtia affirmet potentiam tactiuã ſolùm reſidere in corde non verò in alijs partibus, aperte eſt falſa, cum etiam in alijs partibus ſentiamus calorẽ, doloré, aliasq; tãgibiles qualitates: alij vero aſſeruerunt ſenſum iſtũ ſolùm

reſidere in neruis diſperſis per totum corpus, non vero in carne, ſed potiùs carné eſſe medium internum, & intrinſecũ ipſi animali, per quod hic ſenſus immutatur. Tenet D. Th. hic & Auerr. comm. 108. Iandunus. q. 29. & hanc ſententiam docet expreſſe Ariſt. in hoc capite, eam tamen vt ſatis falſam retractauit. 1. lib. de hiſto. animalium c. 4. & 2. de partibus animalium. ç. 1. &. 5.

Dicendum ergo eſt, tactum non ſolùm reſidere in neruis, ſed etiam in carne. Docuit Galen. lib. 9. de decretis Hipocratis, & Platonis. c. 2. Fernelius li. 5. Phyſiolo. c. 7. Auicen. lib. 6. naturalium. par. 2. c. 3. Alexãder hoc lib. c. de contactu. Deniq; hoc tẽpore eſt iam communis ſententia, quã experientia rerum omniũ magiſtra ſatis docet, nã per quãlibet partem quantumuis carnoſam ſentimus qualitates tãgibiles: nec dici poteſt ſentiri illas qualitates per neruos quoſdã diffuſos per tales partes carnoſas, quia etiã ſentiuntur huiuſmodi qualitates tangibiles in partibus nullũ neruum habentibus, vt in iecore ſentitur dolor, & in corde.

Secundò id probatur: nam tactus requirit temperamentũ omniũ qualitatũ, vt poſsit ab omnibus immutari: ſed inter omnes partes animalis caro habet perfectiſsimum temperamentum: ergo in illa reſidet tactus.

Deniq; ex fine ſumitur cõgruentia: nam tactus eo fine eſt à natura datus animalibus, vt per illud noxia, & diſconuenientia reſpuãt, ad hunc autẽ finem oportuit diſperſum eſſe per totum corpus: ergo in qualibet parte quantũuis carnoſa ineſt tactus. Quod vero etiam reſideat tactus in neruis patet experientia, quia etiã in illis ſentitur dolor: neq; obſtat, quod nerui habeant aliquod prædominium ſiccitatis, & frigiditatis, nam ab ſpiritibus vitalibus, quos cõtinẽt, continuò calefiunt, & à carne humida ſibi adiuncta humectantur, & ita redduntur inproportionata tẽperie, vt poſſint ſentire.

Maiorem habet difficultatẽ an etiam in oſsibus, & dentibus ſit ſenſus tactus: quibuſdã enim placet partes iſtas non habere tactum propter nimiã ſiccitatem, quam habẽt, & ita quando ſentitur dolor in dentibus, non tam ſentitur in oſſe ipſo, quàm in carne circunſtãte. Alij vero dicunt, in oſsibus & dentibus reperiri aliqualem tactum, licèt remiſſum, neque eſt,

est omnino improbabile, quia dicunt quando brachium, aut pes hominis abscinditur, etiã scissa iam carne sentiri dolorẽ in scisione ossis; hoc tamẽ reduci posset in commotionẽ, inde causatam in carne circũuicina, & ita reuera non sentiri dolorem in osse, sed in carne: vtraq; tamen sententia nõ caret sua probabilitate. Fateor Arist. 1. lib. de anima text. 79. non solùm ossibus, sed etiam neruis negasse inesse tactum, illam tamen, quantum attinet ad neruos, mutauit in hoc capite: de quo hæc latis.

Caput. XII. de communibus omnium sensuum.

POstquã Arist. egit de quinque sensibus externis iã in hoc capite vltimo traddit quædam, quæ communia sunt omnibus sensibus, & inde aliquas dissoluit dubitationes: dicit ergo cõmune esse omnibus sẽsibus recipere formas sine materia, appellat autẽ formas sine materia ex cõmuni interpretum expositione species sensibiles, istæ enim cum sint quædam imagines obiectorũ gerunt speciem, & formam illius, & ita dicit sensus recipere formas sine materia, quasi dicat potentiam visiuam recipere formam corporis colorati, idest, speciem quæ est quædam soma repræsentatiua illius, non tamen recipere materialitatẽ ipsius corporis, quod explicat Arist. exemplo de cera recipiente figuram sigilli, vbi cera recipit formam, idest figuram sigilli, non tamẽ eius materiam: nam si sigillum ferreũ sit, cera non recipit intrinsece in se ferrum.

Sed obijcies, nam medium, verbi gratia aer, recipit formã sine materia recipit enim species sensibiles: ergo hoc non est propriũ solius sensus. Respondetur Aristot. non dixisse hoc esse proprium solius sensus, sed generale esse omni sensui.

Et si obijcias secundò, nam tactus recipit formas cum materia: recipit enim non solùm speciem caloris, sed etiam calorem realẽ. Respondetur calorem realẽ non recipi in potentia, sed in organo potẽtiæ, potẽtia enim sensitiua solùm ordinatur ad immutationẽ intentionalẽ, & ita solæ species intentionales recipiuntur in potentia ipsa.

Secundò inquit commune esse omnibus sensibus quòd illud sit sensorium seu organum illius, in quo est talis poten-

tentia receptiua formarũ ſine materia.

Ex quo duas ſoluit dubitationes, alteram quare excellẽs ſenſibile corrumpat ſenſum, qualiter viſus læditur à vehementi lumine, & tactus à vehemẽti calore, & dicit cauſam eſſe, quia potentia ſenſitiua re quirit in ſuo organo proportionem, & temperiem primarũ qualitatum, quam quia diſſoluit vehemens ſenſibile, qualiter vehemens calor deſtruit temperiem tactus, ideò, inquit, excellens ſenſibile lædit viſum.

Secundò ſoluit ex dictis aliam dubitationem, quare ſcilicet plantæ non ſentiãt, cum reuera viuant. Reſpondet cauſam eſſe, quia non habent debitam temperiem qualitatum requiſitam ad organum ſenſus. Tandem concludit dicens ſpecies ſenſibiles etiam recipi in medio externo, ſed non vt tales ſpecies ibi permaneant, ſed vt diffundantur vſque ad potentiam ſenſitiuam, ad quam informandam per ſe ordinantur, vt illam cõſtituant in actu primo ad ſenſationem.

(.?.)

Diſp. XI. De cõmunibus omnium ſenſuum.

HOc loco diſputant quidã de ſpeciebus ſenſibilib⁹, illę enim ſunt cõmunes omnibus ſenſib⁹: egimus tamẽ nos de hac re cõmodiùs ſupra c. 5. quare nonnulla alia, quæ omnibus ſenſibus cõmunia ſunt, hoc loco explicabuntur.

Quæſt. I. Vtrùm ſenſibile poſitum ſupra ſenſum cauſet ſenſationem, an verò impediat illam.

REm hãc attigit obiter Ariſt. ſupra. c. 7. & 11. quia tamẽ difficultas hæc generaliter de omnibus ſenſibus tractari poteſt, eã hoc loco merĩtò examinandam reliquimus.

In qua re prima ſententia affirmat nullum ſenſibile poſitũ ſupra ſenſum cauſare ſenſationem, ſed potiùs illam impedire, & conſequenter aſſerunt, quòd cũ manu tãgimus obiectũ aliquod, pars, quę immediate tangit tale obiectum contactu quantitatiuo, nõ ſentit illud, ſed alia pars diſtans, & ita pars immediata illi obiecto potiùs deſeruit, vt medium, per quod altera pars diſtans immutetur, vt ſaluetur ſenſibile poſitum ſupra ſenſum

sum non sentiri ab eo sensu super quem ponitur. Sic tenet Auerr.commen.116. Iandu quæst.29.& plures alij.Pro qua sententia nullum video fundamentum alicuius momẽti, nisi quòd Arist.prędictam propositionem absque limitatione protulerit,&.3. li. de anima ex diuersitate medij colligit diuersitatem sensuũ externorum.Supponit ergo omnem sensum externum requirere medium,per quod immutetur, atq; adeò numquamipotentias sentire sensibile positum supra sensum.

In hac re dico primò:colorem, si ponatur supra oculũ, non videri. Ratio est,nam vt vidimus capit.7. lumẽ requiritur ad visionem coloris ex parte obiecti, & ita non potest videri color, nisi illuminatus:vnde, quia quando ponitur super pupillam,obscurus manet, illamq; obscurat, ideo hoc sensibile positum supra sensum impedit sensationem.

Dico tamen secundò: per se loquendo nullum aliud sensibile positũ supra sensum impedit sensationem. Hanc sententiam docuit optimè Tole. 3.lib.de anima.c.1.q.2.& quidem ratio id videtur manifeste suadere, quia omne agens naturale fortiùs ac meliùs agit in propinquum, quàm indistans, si ergo obiectum sensibile aliqualiter distans à sensu potest illi imprimere speciem sui,multò melius id poterit, quando est contiguum & immediatum ipsi sensui: ergo sensibile positũ supra sensum per se loquendo non impedit sensationem.

Respondet Iandunus loco citato reuera obiectum sensibile positũ supra sensum producere speciem sui in tali sensu, dicit tamen eam adeò esse materialem,vt visus,qui potentia minus materialis est, requirat speciem magis depuratam, & ita opus est medio, in quo talis species depuretur, vt ad potentiam minùs materialis perueniat.

Hæc tamen solutio non placet,nam aliud est loqui de intensione speciei sensibilis, aliud vero de eius materialitate; quanuis ergo obiectũ,quò magis distat à potentia sensitiua producat in illa speciem minùs intensam,tamen reuera species intensa, & remissa eandem materialitatem habent, sicut tam materiale accidens est calor remissus, quàm intensus, quia non abijcit materialitatem aliquam ex eo quòd remittatur, sed solum amit-

amittit intenſionem, & ita tã depurata eſt ſpecies intenſa, ſicut remiſſa.

Et ſi obijcias: Nan ſenes, & alij habentes debilem potentiam viſiuam meliùs res intuẽtur per ocularia, ſolentque, vt cartam legere poſsint, eam ab oculis aliquantulùm elongare: ſignum ergo eſt ſpeciem per illud medium magis depurari. Reſpondetur in primis, aliud eſſe loqui de ſpecie, aliud verò de alijs qualitatibus realibus, quæ produci ſolent ab obiectis ſimul cum ſpecie intentionali: vnde multoties medium interiectum inter potentiam viſiuam, & obiectum, ad id deſeruit, vt obiectum minùs immutet potentiam illam debilem alteratione reali, & Phyſica: & ita minùs lædat organum potentiæ viſiuæ.

Addo præterea: adhùc ſecluſa omni mutatione reali, & Phyſica multoties requiri elõgationem obiecti ex imperfectione potentiæ viſiuæ: nam vt ſuprà dicebam capit. de viſu, potentiæ viſiuæ ſecundum quod magis, vel minùs ſunt perfectæ, pro ſua differentia indiuiduali poſtulant maiorẽ, aut minorem magnitudinem obiecti, ita vt ſi potentia aliqua viſiua perfecta habeat vim ad videndam rem nimis parvam à longè, tamen non quælibet potentia id poteſt; & ita obiectum, quod habet quantitatem proportionatam cũ virtute potentię perfectioris, ne quaquam illam habet reſpectu alterius potentiæ imperfectioris. Ad eundem ergo modum ſpecies intenſa, quæ eſt proportionata cum potentia viſiua perfecta, habet intenſionem, & acrimoniam non proportionatam cum potentia viſiua obiecti, & ita opus eſt ocularijs aliqualiter denſis, vel elongatione obiecti à potẽtia, vt ſpecies illa non tam intenſa ad potentiam perueniat: tamen in alijs ſenſibus res hęc non habet locum, experimur enim caloré eò perfectiùs ſentiri à tactu, quò magis approximatur, & quò minùs impeditur à medio, vt poſsit agere in tactum; & idem eſt de ſono, & alijs obiectis ſenſibilibus.

Vnde ſecundò probari poteſt facta inductione in alijs obiectis ſenſuum prẽter colorem: nam tactus cùm non ſolũ reſideat in neruis, ſed etiam in carne ipſa, cùm obiectum tangibile poſsit immediatè tãgere carnem, nihil profectò impedire poteſt, quòd tale obiectum percipiatur à parte illa, qua tangitur; & idẽ ſuo modo de guſtu, cùm per ſaliuam, aut

aut alium humorem liquidũ, posit ſapor realis in illo cauſatus deferri vſq; ad organũ guſtus. De auditu vero id videtur experientia comprobari, pluriès enim infirmi ſentiunt commotionem factam in aere interno auris, cauſatã ex morbo aliquo, vt de viſu id probatur, ſaltem reſpectu luminis, quia multotiès dum clauſis oculis, illos digito cõprimimus, videtur interius lumen quoddam, quaſi ſcintillans, ortum ex compreſsione humoris albuginei, quod dũ peruenit ad pupillam, cauſat ſenſationem ſui.

Etſi inquiras: ſi ergo lumen poteſt videri, etiamſi contiguum eſt cum oculo, quæ ergo eſt ratio, quare non videmus lumen aeris donec terminetur viſio ad corpus aliquod aliqualiter opacum? Reſpondetur id quidem non repugnare ex parte luminis; nã ſi iuxta oculum ponas Cryſtallum, aut vitrum illuminatũ, videbis illud, quia in illo corpore aliqualiter denſo poteſt iã terminari viſio, non tamen in aere, quia nullatenus denſitatem habet, & ſimili modo ſi daretur corpus aliquod coloratũ diaphanum, ita vt poſitum ſupra oculum poſsit habere lucem, tunc videri poſſet ille color illuminatus, quantumuis ſit ſupra ſenſum.

Oritur tamen ex dictis dubitatio, quare potentia viſiua reſidens in pupilla, nõ videat tunicas ſupra illam exiſtẽtes, cum diaphanæ ſint, & illuminatæ, ſaltem lumine externo, imò & habẽt colorem aliquẽ, licèt exiguum, ſi verũ eſt ſenſibile poſitum ſupra ſenſum poſſe ſentiri per ſe aliquo modo. Reſpondetur tunicas iſtas ita eſſe coniunctas, & vnitas pupillæ, vt cum illa ſe habeãt per modum vnius, atq; adeo ſicut color pupillæ nõ poteſt videri ab illa propter rationẽ dictam ſuprà, ita nec telę, quæ ſe habent cum illa per modũ vnius, quin potiùs ſicut color pupillæ eam habet naturam, vt non producat ſpeciẽ ſui intra ipſam pupillam, ſed ad extra, ita videmus pupillam noſtram in ſpeculo: idem habent tunicæ, per modũ vnius illi vnitæ. His etiam accedit nimia remiſsio illius coloris, ita vt comparatione colorum externorum fere nullus ſit, & ita externi colores ad ſe attrahunt viſum.

Dixi tamen meritò in concluſione nullum obiectũ ſenſibile præter colorem poſitum ſupra ſenſum impedire ſenſationem per ſe loquendo, nam

per accidēs aliquando ſenſibi le poſitū ſupra ſenſum impedit, ne fiat ſenſatio perfecte in quantū per qualitates reales illud immutat, & ita diſſolui tē periem organi, qua ratione fumoſſa exhalatio, in qua ſubiectatur odor realis, dum per calorem agit in organum olfactus cauſat in eo diſtemperiē, & ita non adeo perfecte odoramur, vt enim dicam quęſtione ſequenti, multotiès ſenſus læditur ab excellenti ſenſibili.

Vnde propoſitio illa Ariſt. *Senſibile poſitum ſupra ſenſum, impedit ſenſationem*, non debet intelligi vniuerſaliter, ſed indefinite, & quod nō impediat ſenſationem quantùm ab ſubſtantiam, ſed quātum ad perfectionem, id eſt, aliquando impedit ſenſationē perfectā per accidens, vt dictum eſt. Prętereà quando. 3. lib. de anima. c. 1. probat diuerſitatem ſenſuū externorum ex diuerſitate medij per quod immutantur, nō intēdit ſenſus omnes indigere neceſſariò medio aliquo, per ꝙ immutētur, ſatis eſt ꝙ poſſint immutari per media diuerſa, ad colligendā diuerſita tē illorū, quanuis non ſemper neceſſariò petant medium.

Difficilior eſt locus Ariſt. in capite de tactu, vbi aperte docet, quòd ſenſibile poſitū ſupra illum non ſentitur. Reſpō detur tamen ſupponere opinionē illā, ꝙ ſcilicet corpora dura nō ſe tāgant immediate, ſed mediet aer, vel aqua, & ita, inquit, corpora tangibilia, quamtūuis ſupra organū tactus apponantur, nō tangūtur immediate ab illo, atq; adeò nec proprie dicūtur tāgi, quia tactus, aut contactus, vt ſupra dixi, ſi propriè loquamur, requirit immediationem inter corpora ſe tangētia, & ita ſuppoſito illo principio vera eſt ſentētia Ariſt. tamē principiū illud falſum eſt, vt vidimus.

Quæſt. II. Vtrùm excellens ſenſibile corrumpat ſenſum.

RAtio dubitandi eſt, quia nec ſenſus internus, nec intellect⁹ læditur ab excellēti obiecto, quātumuis enim imaginemur, aut intelligamus obiectum excellēs, nulla fit lęſio imò perficitur ſenſus intern⁹, & intellect⁹ ab excellēti obiecto: ergo nec debet ſenſus extern⁹ lędi ab excellēti ſēſibili.

Quare in hac re explicanda Caiet. hoc lib. text. 123. & ibidē Palatius exiſtimant ſenſum externum lædi ab excellentī ſenſibili, adhùc ratione ſpeciei intētionalis, fingit enim Caiet.

iet. nescio quã proportionem requisitã inter potentiã & obiectũ, & ita quia excellens sensibile mittit speciem excedentem illam proportionẽ, ideò asserit excellens sensibile lædere sensum, per speciem intentionalem. Hæc tamen sententia aliquid habet verũ, aliquid verò prorsus falsum, verum quidem est, debere esse proportionem quandam inter speciem & potentiam, vt obiectum possit percipi perfecte à tali potẽtia: hac enim ratione, vt supra dicebã res à lõge existens, quæ remissam speciem mittit ad potentiam visiuam, videtur à potentia visiua perfecta, & perspicaci, ita vt illa species sufficiẽs sit ad causandam visionẽ obiecti in tali potentia perfecta, non tamen in alia potẽtia visiua debili, falsum tamẽ est speciẽ sensibilẽ, quamtumuis sit intensa, & ab excellẽti sensibili proueniens lædere potentiã sensitiuã. Ratio est euidens, quia species intentionalis solùm est actiua actione intentionali, non vero alteratione reali, & corruptiua, quia non est productiua primæ, aut secundę qualitatis alteratiuæ, sed alterius specici intẽtionalis sibi similis.

Secundò id patet à simili nam species intentionales sensus interni non lædunt illum, vt patet, quamtumuis quis fingat obiectum excellens. Denique hæc videtur aperta sentẽtia S. Tho. quia. 1. part. quæst. 67. art. 3. ex eo probat lumen non esse speciem intentionalem, quia est principium trãsmutationis realis, quanuis enim lumen ex se nullam habeat contrariam qualitatem, quam expellat, quia tamen est productiuum caloris, qui est principiũ alterationis corruptiuæ, ideo lumen non est qualitas intentionalis, sed realis.

Quare dicendum est hac in re cum communi sententia, excellens sensibile lædere sensum, non quidem ratione speciei sensibilis, quam producit, sed ratione alterius adiunctæ qualitatis alteratiuæ, quam habet: hac enim ratione, cũ quis à tenebroso cubiculo exiens intensum intuetur lumen, sentit dolorem in oculis, quia frigiditas, quã oculi in tenebroso illo loco acquisierunt, per calorem à lumine productũ, subito dissipatur, inde & distemperies quædam resultat in oculo causans illius dolorẽ. Hac ẽtiam ratione obiectum odoriferũ nimis intensum causare solet dolorem capitis,

quia ſcilicet exhalatio illa odorifera, dū ad carúculas prope cerebrum exiſtentes peruenit, ratione caloris phyſice immutat cerebrum, vnde cauſatur dolor. In auditu etiam ex vehementi ſono fit lęſio, nam propter vehementem aeris cō motionem, qua percutitur organum, reſultat quædam illius contuſio, aut ſolutio continui. In tactu etiam ex vehemēti calore ignis cauſatur dolor ex diſtemperie organi inde cauſata: quid ſimile in guſtu contingere poteſt, vnde numquam fit læſio ab ſpecie intentionali, ſed ab alia phyſica qualitate, per quam excellens ſenſibile realiter immutat organum.

Tandē ex dictis poteſt reddi ratio ad nonnullas experiētias ſatis communes: nam inprimis dum oculus diuturna viſione colorem album intuetur, læſionem patitur ratione luminis inde reflexi. Prætereà in aſpicienda re minima defatigari ſolet viſus, quia requiritur ad hoc magna fixio oculi, & ita impeditur motus naturalis palpitationis oculi, quo conſeruatur, non ſecus quàm conſeruatur animal reſpiratione, & ita aliquando poteſt ſenſus viſus lædi à minimo ſenſibili, ſicut alij læduntur ab excellēti ſenſibili.

Tādem ex dictis colligitur, ratio quare exiguum luminoſum in præſentia ſolis non videatur, quia ſcilicet excellens ſenſibile, propter ſuam perfectionē, quaſi cogit potentiā, vt cū magna applicatione ad ipſum tendat, vnde nō poteſt obiectum exiguū ſimul perfecte percipi, quia pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Tandem ad rationem dubitandi reſpondetur inprimis, intellectū à nullo obiecto intelligibili quantumuis excellenti lędi, quia cum ſit potentia ſpiritualis nulli corporeo organo eſt affixa, ac proinde nullam temperiem qualitatū ſibi expoſcit, qua diſſoluta, lędatur. Dixi autem, ſibi, nam cum actus intellectus pro hoc ſtatu dependeant à ſenſu interno, vt 3. lib. dicam, multoties ex læſione facta in ſenſibus, intellectus minùs bene elicit ſuas operationes, vt patet infurioſis, & amentibus, tamen hæc læſio non eſt illi intrinſeca, ſed potius in ſenſu interno, à quo depēdet in ſua operatione. Ratio autē quare ex diuturna, & vehemēti imaginatione contingat dolor capitis, ea eſt, quia ex diuturna imaginatione accenditur calor,

lor, indeq; causatur distempe ries in cerebro, atq; adeò cau satur dolor, non tamẽ dicitur proprie sensus internus lædi ab excellenti sensibili, sicut sensus externus, quia calor ille causans distemperiem cere bri, non causatur ab obiecto sensibili, qualiter causatur distemperies in organo sensus externi ab obiecto ipso, vt explicatum est.

Quæst. III. Vtrùm in eodem sensu possint simul recipi plures species sensibiles numero tantùm diuersæ.

REm hanc obiter attigi. 1. lib. Physic. disputatione vltima, & ad hũc locum latiùs disputandam remisi, nec difficilem habet solutionem, suppositis principijs ibi adductis. In hac ergo re vt vidimus loco citato, plures ex Thomistis vniuersaliter defendunt nulla accidentia solo numero diuersa posse recipi simul in eodem subiecto etiamsi intentionalia sint. Tenet Sonci. 7. Met. q. 4. Herue⁹ quodlibeto 3. q. 9. Paludan. in 3. d. 8. q. 2. deniq; hoc tempore est communis apud Thomistas, & præter rationes, quibus generaliter intendunt probare plura accidentia solo numero diuersa, non posse recipi simul in eodem subiecto, quæ loco citato videri possunt, argumẽtantur etiã ex proprijs de speciebus intentionalibus.

Primò, nam si sensus habet naturalem capacitatem, vt simul recipiat plures species intentionales, eandem etiã habebit ad plura alia accidentia quantumuis realia sint. Et probatur: nam ideo vt dicemus infra est capax ad recipiendas simul plures species intentionales, quia nõ habent omninò similem modum informandi subiectum, sed eundẽ modum informandi habent accidentia realia, verbi gratia, duo calores: ergo æqua est ratio vtrobiq;. Probatur minor, quia cum duæ species intentionales numero diuersæ tantùm differant numero, tantũ possunt habere modum informãdi numero diuersum; nam si tribuerẽt informationes specie diuersas, formæ ipsæ specie differrent, & non tantùm numero, sed etiam duo calores cum sint formæ numero diuersæ, tribuunt informationes diuersas numero: ergo nulla est maior ratio de speciebus intentionalibus, quàm de accidentibus realibus.

Secundò, quia aliàs qua ratio-

tione poſſunt duę ſpecies numero diuerſæ eſſe in eodem ſubiecto, etiã poſſent multiplicari in infinitũ, quia nõ eſt maior ratio de vno numero quã de alio, conſequẽs autem eſt falſum, quia capacitas, quã habet ſenſus, vel medium ad recipiendas ſpecies ſenſibiles finita eſt: ergo ſicut nec poteſt infinitas ſpecies recipere, ita nec plures. Ad hãc ſententiam probandam, vt pote, quæ ſatis infirma eſt, licèt in academia noſtra ſatis recepta, Thomiſtę varia congerunt argumenta, quibus eam confirmant, ſunt tamen prorſus futilia, ab his autem ſemper ſuperſedendũ duxi.

Quare in eius decisione duo videnda ſunt. Primò vtrũ duo ſpecies impreſſæ poſsint ſimul eſſe in eodem ſenſu, aut in eodẽ medio. Secundò vtrũ etiam poſsint dari duæ ſpecies expreſſæ in eodẽ ſenſu. Dico ergo primò. Plures ſpecies impreſſæ numero diuerſæ recipiũtur ſimul in eodẽ ſenſu, & in eadẽ parte medij: hanc ſententiã ſequuntur nõnulli etiã ex Thomiſtis, Capreol. enim clare id videtur docere in. 2. d. 3. q. 2. ad argumẽta cõtra non nã cõcluſionem. Iauellus etiã idem ſentit. 5. Meta. q. 16. ex alijs vero autoribus idem ſentiũt Antonius Andreas. 5. Meta. q. 8. cõcl. 1. Palatius in hoc loco, Fõſeca. 5. Met. c. 10. q. 1. Pater Suarez. 1. tom. Met. diſp. 5. ſectio. 6. ſubtilis diſputator Molin. 1. p. q. 58. ar. 2. diſput. 1.

Et ratione probatur primò, quia vt experiẽtia cõſtat, duo corpora alba per quãlibet partẽ aeris, qua opponas oculũ, videntur, ſignum ergo eſt illa duo alba imprimere ſpeciem ſui in eadem parte medij, vel ergo videntur per eandẽ ſpeciem, quam intelligamus ab vtroque ſimul procedere, & vtrumq; repręſentare, vel per duas ſpecies: ſi dicatur hoc vltimum habetur intẽtum, iam enim erunt in eadẽ parte medij duæ ſpecies ſenſibiles nũmero diuerſæ. Primum autem dici non poteſt, quod ſic oſtẽdo; quia ſi vtrumq; illud album videtur per eandem ſpeciẽ, vel ergo videtur per eandem prorſus entitatem indiuiſibilem ſpeciei, vel per diuerſas entitates partiales: primũ dici non poteſt, quia ſi alterũ ex illis corrumpatur, iam non videtur, nec repręſentatur per talem ſpeciem: ſignum ergo eſt fuiſſe corruptam in tali ſpecie aliquam entitatem illi correſpondentẽ. Patet conſequentia, quia tota entitas, & eſſentia ſpeciei eſt repræſentare

tare: ergo si aliqua res, quæ repręsentatur corrupta est, plane cõuincitur fuisse corruptã aliquã entitatẽ illius speciei.

Secundò, quia si vtrumque obiectum videtur per eãdem indiuisibilem entitatem speciei, sequitur, quòd si alterum illorum obijciatur nostris oculis, alterum verò è regione ponatur atergo, etiá videatur illud obiectũ, quod est atergo, quod est cõtra experiẽtiã. Patet consequẽtia, quia vidẽtur per eandẽ indiuisibilẽ speciẽ.

Tertiò, quia si eadẽ indiuisibilis species ab vtroq; procedit, sequitur dari per naturam duas causas efficiẽtes totales, & non subordinatas respectu eiusdẽ prorsus effectus, quia cũ vtrũq; illud album sit eiusdẽ speciei, & simul producat speciẽ illam, neutrũ alteri subordinatur, & verò nec possint repræsentari per diuersas species partiales integrantes vnicam totalẽ, patet, quia cũ per eandem partem medij vtrũque simul videatur, saltem sequitur quod duæ species partiales numero diuersæ recipiantur simul in eadem parte medij, & ita non repugnabit recipi etiam duas totales numero diuersas.

Dices consequentiã esse nullã, quia per nos plures gradus caloris diuersi numero partialiter recipiuntur in eadẽ parte subiecti, non tamen duo calores totales: tamen contrà est quia vt in libris de generatione dicebã, quia diuersi gradus caloris non habent eundẽ modum informandi subiectũ, eo quòd habent inæqualitatẽ in perfectione indiuiduali, ideo subiectum informatum vno gradu, adhùc est in potentia, vt informetur per alium: si autem illæ duæ species partiales non informant eodem modo, quia repręsentant diuersa obiecta: ergo longe facilius dicĩ potest esse ibi duas species totales, sicut sunt duo obiecta totalia, quæ quia diuerso modo informant subiectum in ordine ad diuersa obiecta, quæ repræsentant, possunt dari simul in eodem subiecto: ergo sicut concedũtur duæ species partiales, eadẽ ratione cõcedi possunt duæ totales.

Secũdò argumẽtor sic, quia, vel duæ illæ species partiales cõponũt vnicã totalẽ speciẽ, per cõpositionẽ physicã, vel per subordinationẽ tantũ: nõ per subordinationem, quia ea quæ sunt subordinata nõ sunt physicè vnũ: ergo iam physicè loquẽdo nõ est vnica species, sed plures, & ita habetur intentum, siue efficiant aliquod vnum

vnum per compoſitionẽ phyſicam.

Contrà eſt, quia compoſitio phyſica tãtùm eſt duplex, ſcilicet ex materia, & forma, vel per continuationẽ. Ex his autem prima compoſitio hic non poteſt habere locũ, quia materia, & forma neceſſariò debẽt eſſe diuerſę ſpeciei, ſaltem partialis, vtraq; autem illa ſpecies partialis, eſt eiuſdẽ ſpeciei, quia repręſentant obiecta eiuſdem ſpeciei. Quod vero nec poſsint vniri per cõtinuationem inter ſe, probo, quia vt. c. 5. dicebam, duplex tantùm extenſio fingi poteſt in ſpecie ſenſibili: altera ſubiectiua correſpondens diuerſis partibus ſubiecti, & iſta non poteſt habere hìc locũ, quia, vt oſtẽdi, per eandem indiuiſibilem partem medij videtur vtrumq; obiectum: altera vero obiectiua petita ab extẽſione obiecti, quia obiecta nõ habent inter ſe extenſionẽ continuã: ponimus enim eſſe duo corpora totalia, diſcontinua, ergo illis potius debent correſpondere duæ extenſiones obiectiuæ totales, quam duæ partiales, ſpecies enim diſtinguuntur ex diuerſitate obiectorũ, & eadem ratione cõuincitur illas partiales ſpecies nõ poſſe inter ſe vniri, per intenſionem obiectiuam, quia neq; obiecta ipſa hoc modo inter ſe vniuntur. Præterea, quia ad intenſionem requiritur ſubordinatio partium, illæ autẽ duę ſpecies non ſubordinãtur inter ſe, ſicut neq; obiecta ipſa: ergo reuera ibi ſunt plures ſpecies totales numero diuerſæ.

Secundò probari poteſt eadem ſententia non minùs efficaciter, quia quãdo quis ſe ipſum intuetur in ſpeculo, producit ſpeciem ſui per mediũ vſq; ad ſpeculum, & deinde in ſpeculo fit reflexio, qua alia ſpecies reſultat ex ſpeculo ad potẽtiam viſiuam; nã per priorem ſpeciem, quę antecedit reflexionem, nõ poſſet quis ſe ipſum videre, quia illa ſpecies non tendit ad ſuũ oculum, ſed ad ſpeculum: ergo plane conuincitur dari in eadem parte medij plures ſpecies numero tantum diuerſas. Nam ſi dicas eandem ſpeciem iterum reuertere ad potentiã viſiuam, ſequitur idem accidens migrare de ſubiecto in ſubiectum.

Tertiò id probari poteſt ratione illa generali, qua diſputantes de principio indiuidua tionis oſtendimus accidentia illa diuerſa numero, quæ non habent ſimilem modum informandi

mandi ſubiectum, poſſe ſimul eſſe in eodem ſubiecto.

Quam vt à ſuis ordiamur principijs aduertendum eſt vt notauit Pater Suarez loco citato inter accidentia ſolo numero diuerſa, quædã eſſe, quę ſimili prorſus modo informãt ſubiectum, ita vt ſaltẽ ex parte differẽtię indiuidualis nullam habeant inęqualitatem in modo informãdi ſubiectum, quales ſũt duo calores, vt quatuor, vel duæ albedines: alia tamen ſunt accidentia, quę quãuis in ratione ſpecifica conueniant, tamen ex parte differentiæ indiuidualis diuerſimode informant ſubiectum, huiuſmodi ſunt gradus diuerſi qualitatis, nam ſecundus gradus caloris ſicut in ſua perfectione indiuiduali eſt perfectior primo, & ita quodammodo in perfectione, & actiuitate illi diſsimilis, ita etiam in modo informandi non habent omninò ſimilem informationẽ cũ primo gradu, huiuſmodi etiã ſunt duæ ſpecies diuerſorum obiectorum, verbi gratia, Petri, & Pauli; nam ſpecies Petri tantùm repræſentat illum, nõ vero Pauli; nã abſente Paulo, videtur Petrus per ſuam ſpeciem, non vero Paulus, & ita duæ illæ ſpecies non habent eundem modum informandi omninò ſimilem, quælibet enim illarum reddit ſubiectum intentionaliter ſimile in ordine ad ſuũ peculiare obiectũ, non vero in ordine ad aliud.

Secundò vlteriùs fit, quod accidentia numero diuerſa, habentia tamen ſimilem modũ omnino informandi, nõ poſſint dari ſimul in eodem ſubiecto, bene tamen accidentia, quę diſsimili modo informãt, & habent diuerſa munera, qꝑ in primis cõſtat in calore: hac enim ratione adueniente ſecũdo gradu caloris diuerſo numero à priori, non corrumpitur primus gradus, quia cum præſtent informationes diſsimiles, neuter illorum eſt fruſtra.

Secundò id optime coniectat Pater Suarez ex parte cauſarum: primò ex parte cauſæ finalis, nam finis agentis naturalis eſt aſsimilare ſibi paſſum, & ita quando accidentia ſunt omnino ſimilia, iam actio terminata ad ſecundum accidens, eſt omninò ſuperflua, & otioſa; ſecus tamẽ quãdo ſunt diſsimilia, tunc enim diuerſimode aſsimilant paſſa. Secundò ex parte cauſæ efficientis, quia agens cũ operatur propter finem, ceſſante fine, ceſſat eius actio, vnde cum per accidens iam adeptum fuerit aſsi-

milationem, quam intendebat, nisi accidens aduenies in munere, & modo informãdi sit diuersum à priori, cessat actio eius.

Tertiò tandem ex parte causæ materialis, quia quando accidentia habẽt dissimilẽ modum informandi, informatio vnius non est sufficiens ad replendã totã capacitatem subiecti, quia adhuc habet capacitatẽ ad aliam informationem diuersæ rationis, cum non sit omninò similis præcedenti.

Ex dictis ergo colligitur ratio, quare species visibiles Petri & Pauli non tribuunt subiecto effectum formalem omninò similem, quælibet enim tantùm reddit subiectum intẽtionaliter simile suo obiecto, non alteri, ergo subiectum informatũ vna specie, adhuc habet capacitatem vt possit informari per aliam alterius indiuiduri: ergo non repugnat species sensibiles numero diuersas, esse in eadem parte medij.

Oritur tamẽ ex dictis nõ leuis difficultas: nam iuxta hanc sententiã duæ species eiusdẽ numeri obiecti, nõ poterũt esse per naturã in eadẽ parte medij, quia habent omnino similem modũ informandi in ordine ad idẽ numero obiectũ, cõsequens autẽ videtur esse falsum, vt ostendit secunda ratio adducta de reflexione facta in speculo. Respondetur, q̃ quãuis species recepta in speculo repræsentet idẽ numero obiectum, ac species procedens ab obiecto versus speculũ, adhuc tamẽ diuersimode illud repręsentat; nam species reflexa in speculo, repræsentat obiectũ quasi ibi existens, nã quanuis vt supra cap. 5. dicebam, species in speculo relucẽs repręsentat, in qualibet distantia existat, obiectũ, verè enim videmus in speculo Petrũ existentẽ in senestra, aut alio simili loco, hæc tamẽ omnia repræsentat, quasi reuera essent in speculo: quem modum repræsentandi non habet species, quæ est in aere, & ita suo modo habent dissimilem modum repræsentandi idem obiectum, atque adeo possunt esse in eadem parte medij.

Ex his dico secundò in hac quæstione etiam dari simul in eodẽ sensu plures species expressas, numero diuersas, quãdo videntur simul plura obiecta numero diuersa. Hæc cõclusio aperte sequitur ex superiori: nã eadem argumẽta, quæ cõuincũt plura alba nõ posse repræsentari per eandem speciẽ impressam, siue indiuisibilẽ, siue diuisibilẽ, eandẽ habẽt vim

vim in ſpecie expreſſa. vt diſcurrenti patebit. Præterea, quia cũ ſpecies expreſſa producatur ab impreſſa, illiq; proportionetur, ſicut ſpecies impreſſa Petri tantùm repreſentat Petrum nõ vero Paulũ, ita producit ſpeciem expreſſam illi ſimilem repræſentantẽ Petrum dumtaxat: ergo vt ſimul videatur Paulus opus eſt alia ſpecie expreſſa repræſentatiua illius. Deniq; in hac re nulla maior repugnantia aſsignari poteſt de ſpeciebus expreſſis, quàm de impreſsis.

Solum poteſt hic obijci; nã ſi quãdo quis ſimul videt obiecta numero diuerſa, producit ſpecies expreſſas: ergo etiã habet duas viſiones numero diuerſas productiuas taliũ ſpecierũ, & ita iã poſſet potentia cognoſcitiua cognoſcere ſimul plura, & per modum pluriũ, quia cũ talia obiecta numero diuerſa, nõ ſint ſubordinata, non poſſunt coaleſcere in aliquod obiectum vnũ, conſequens autẽ eſt contra S. Tho. qui adhuc videtur negare. 1. p. q. 58. ar. 4. & de veritate. q. 8. ar. 14. & ſæpe alibi: reſpõdetur tamen cõcedendo antecedẽs, quõd veriſsimũ eſſe oſtendã 3. li. de anima. Et ex dictis plane conuincitur, nã plures ſpecies expreſſæ neceſſariò poſtulant plures cognitiones productiuas illorum: de mente autẽ S. Tho. ſi quã patitur interpretationem, ibi dicam.

Ex dictis infero, quòd quãuis poſsint dari ſimul plures ſpecies numero diuerſæ repreſentantes diuerſa obiecta: nõ tamen plures idẽ numero obiectum, & eodem modo repræſentantes, habent enim ſimilẽ omninò modũ informãdi ſubiectũ, loquor autem ex natura rei, nã per diuinam potentiam id non repugnat, ſicut neque repugnat dari duos calores tales in eodem ſubiecto, vt docuit optimè Gregor. in. 1. d. 17. quæſt. 5. Ocham. q. 7. & Ægidius quodlib. 4. q. 1. nã ſicut poteſt Deus duas quãtitates in eodẽ loco collocare, ſeruata earũ diſtinctione, tametſi ex natura rei ab illo mutuo ſe ſe expellãt, cur nõ poterit Deus, duas ſpecies eiuſdem prorſus obiecti ſalua earũ diſtinctione in eodẽ ſubiecto conſeruare: neq; enim ſatis eſt ad vnionẽ Phyſicã illarũ, q̃ ſint in eodẽ ſubiecto, niſi aliquo indiuiſibili intenſionis, aut extenſionis inter ſe copulentur, quod impoſsibile eſſe ſupra vidimus.

Tandem hac in re non parùm mihi diſplicet doctrina, Caie. 1. p. q. 76. ar. 2. aſſerẽtis, nõ poſſe eſſe in eodẽ ſubiecto

duas ſpecies numero diuerſas in eſſe rei, bene tamen numero diuerſas in eſſe intentionali: nam eſſe intẽtionale, quod eſt eſſe repreſentatiuũ, eſt tota eſſentia, & entitas ſpecierũ, & ita ſpecies, quę in eſſe repreſentatiuo, ſeu in repræſẽtatione differunt, neceſſario differunt in entitate, re ipſa.

Ad argumẽta autẽ Thomiſtarũ ex dictis eſt facilis ſolutio. Ad primũ, quod vt vidimus, adhuc intra limites differentiæ indiuidualis quædam accidentia differũt magis, quã aliá, ita vt quædã habeãt ſimilem omninò modũ informandi, alia vero diſsimilem, ita enim quælibet diuerſitas indiuidualis accidẽtium, ſatis eſt vt poſsint per naturam plura numero diuerſa eſſe ſimul in eodem ſubiecto.

Ad ſecũdũ tot ſpecies numero diuerſas, eſſe cõpoſsibiles ſimul in eodẽ ſubiecto, quot ſint obiecta diuerſa apta illas producere. Vnde ſicut poſsũt eſſe plures, & plures albedines ſine termino, ita poſſunt eſſe plures, ac plures ſpecies ſenſibiles, tamen ſicut nõ ſunt poſsibiles albedines infinitæ in actu, ſed ſolum in potẽtia, ita & ſpecies. Ex hoc autẽ non licet colligere capacitatẽ receptiuam ſubiecti eſſe infinitam, ſicut quanuis ignis poſſit plura, & plura combuſtibilia comburere, ſi illi applicentur, non licet colligere habere actiuitatem infinitam.

Et ſi dicas, quòd quanuis Deus non poſsit producere infinitum in actu, probamus tamen habere infinitam virtutẽ, ex eo quod poteſt nõ tot, quin plura producere: ergo ſimiliter in genere cauſæ materialis, ex eo quod ſubiectũ habeat capacitatem, ad recipiendas non tot ſpecies, quin plures, debet probari talem capacitatem receptiuam eſſe infinitam. Reſpondẽtur eſſe diuerſam rationem, quia virtus infinita Dei ex eo probatur, quia ſecundum perfectiorem eſſentiam poteſt quacumque data ſpecie aliam perfectiorẽ efficere, & hoc ſe ſolo abſque dependentia ab alio: ſubiectũ autem in ſua receptione ſemper ſubditur agenti, ab illo enim accipit formã, quam recipit. Et hæc de hoc ſecundo libro.

LIBER

LIBER TERTIVS DE ANIMA.

CVM Hactenus egerit Arist. de potentijs animæ vegetatiuæ, & de potentijs externis animæ sensitiuæ, scilicet de sensibus externis, intendit iam hoc tertio libro agere de potentijs internis tam animæ sensitiuæ, quàm rationalis, vt sic disputatio de anima completa, & absoluta maneat.

CAPVT PRIMVM.

QVANVIS Arabes interpretes huius libri initium sumant à cap. 4. in quo Arist. incipit iam disputare de potẽtijs animę rationalis: cõmunis tamen Grecorum & Latinorũ partitio illud ab hoc cap. desumit, in quo intẽtum Arist. est probare nullũ esse aliũ sẽsum externũ præter quinq; cõnumeratos, vt deinceps de sẽsib⁹ internis disputationem cõstituat. Id autẽ probat. Primò, quia si esset alius sensus externus, vel esset diuersæ rationis ab istis, vel eiusdem rationis: nõ eiusdẽ rationis, ita quòd sit alius visus, quia, inquit, quolibet sensu percipimus omnia sensibilia illius generis, vt tactu omnes qualitates tãgibiles, visu omnes colores, & sic de reliquis: ergo alius sensus eiusdem rationis superfluus est, natura autẽ nihil egit frustrà. Quòd autẽ nec sit alius diuersæ rationis ab istis, probat ex diuersitate medij, vt statim dicam.

Se-

Secundò ergo probat, q̃ non ſit alius ſenſus ratione petita à ſenſorijs, ſeu organis ſẽſuum, quia nullũ aliud eſt organum ſenſus præter quinq; connumerata, neque illud experimur: ergo neque eſt alius ſenſus.

Tertiò id probat ex diuerſitate medij, quia quidquid à nobis ſentitur, vel ſentitur per mediũ internũ, qualiter tãgibilia ſentiri poſſunt per mediũ, vel ſentit̃ per mediũ externũ, vt viſus, &c. tale autem debet eſſe mediũ, quale eſt elementum prædominans in organo, vt ſi prædominatur aer, mediũ eſt aer. Tantùm autem eſt duplex medium externum, ſcilicet aqua, & aer; terra enim ob ſuam ꝙmiam denſitatem non eſt medium ſaltem aptũ: nam abſolutè loquendo aliquis ſonus audiri poteſt medio pariete terreo: ignis verò, inquit, aut in nullo prædominatur, aut communis eſt omnibus, quia ſine calore nihil eſt ſenſitiuum; ſed animalia perfecta, inquit, in quibus ob ſuam perfectionem debẽt eſſe omnes ſenſus, habent organa, in quibus hæc elementa, & non alia prędominantur: ergo nullus eſt ſenſus præter connumeratos.

(.?.)

Diſputatio I. huius libri de pluralitute ſenſuum externorum.

QVanuis Ariſt. tantùm intendat in hoc cap. nullũ alium eſſe ſenſum externum præter connumeratos, omnia tamen, quæ ad eorum perfectionem, & actiuitatem explicanda ſuperſunt, hac diſputatione cõplectar, vt deinceps ad ſenſus internos gradum faciamus.

Quæſt. I. Vtrùm tantùm ſint quinque ſenſus externi, & an perfectiori modo reperiantur in homine, quã in alijs animalibus.

COnueniunt omnes reuera potuiſſe Deũ per diuinã potẽtiã plures alios ſẽſus producere, in hoc enim nulla inuoluitur implicatio contradictionis, ſiue loquamur de multiplicatione ſpecifica, ſiue de indiuiduali: de ſpecifica quidẽ, nã poſſet Deus aliud genꝰ obiecti ſenſibilis creare iuxta immenſam eius ſapientiam, cuius non eſt numerus, & ita alius ſenſus diuerſæ rationis ab iſtis correſponderet. De indiuiduali verò, quia potuiſſet ſane

sane plures olfactus, aut plures sensus auditus in quolibet viuenti creare, hoc enim nullam inuoluit implicationem: tantùm ergo quæritur, an de facto sint plures, quàm quinque sensus.

Dicendum est cum cõmuni Philosophorum sententia, tantùm esse quinque sensus connumeratos, scilicet visum, auditum, &c. Quæ conclusio ex eo sane sufficienter colligitur, ꝙ neq; ab experientia, neque ex ratione habeamus indi tiũ aliquod, vnde in nobis sensus alius exterior debeat poni, & cũ gustus sufficiat ad omnes sapores, & visus ad omnes colores, & sic de alijs, sine fine, & necessitate nõ debet poni alius sensus, natura enim nihil agit frustrà.

Ratio autẽ illa Arist. petita ex diuersitate medij, vt omnes admittũt, nõ est demõstratiua, licèt habeat aliquid probabilitatis. Plures aliæ rationes solent hoc loco adduci, nulla tamẽ est demonstratiua, & si experientiã secludas, qua nullũ alium sensum experimur, nihil probant: quare in illis ad vnguem examinandis non est opus tempus consumere.

Dubitabit aliquis, an omnes isti sensus reperiãt in quouis animali; & quidẽ de tactu res est apud omnes certa illum in quouis animali reperiri. Docuit Arist. lib. 2. cap. 4. vbi ex eo ꝙ animalia omnia habent sensum, probat habere tactũ, quasi tactus sit omninò necessarius omnib' animalibus: & idem docet hoc libr. text. 63. & de sensu, & sensibili, cap. 2. Et ratio est, quia tactus discernit noxia, & nociua ab vtilibus, & ita oportuit sensum istum omnib' animalib' inesse, vt quæ sibi sunt vtilia, prosequerẽtur, quæ verò nociua, fugiant. De gustu verò, licèt res sit magis dubia, etiam videtur dicendum omnibus animalibus inesse. Docuit Appollinarius hìc text. 29. Venetus sum ma de anima, cap. 34. & apertè Arist. 2. de partibus animalium, cap. 17. vbi docet, omnia animalia tam sanguinea, quàm exanguia, eam habere partem, qua sapores sentire possint; & congruentia eadẽ est, ac de tactu: nam gustus discernit inter alimentũ conueniens, & nociuum, vnde ad vitãda nociua oportuit sensum istum omnibus animalibus inesse; tùm etiam vt ex delectatione, quam ab alimento in gustu suscipiunt, escas quærant, vt conseruari possint. Vnde quando Arist. suprà lib. 2. tex. 17. dicit, tactum

posse

posse inueniri in reliquis sensibus, nomine tactus etiã gustum comprehẽdit, est enim, vt ipse docuit, gustus quidam tactus, & ita statim subdit, *Sapor autem vnus est tangibilium*: & eodem modò est interpretandus, quando textu 13. dicit quædam animalia habere omnes sensus, quædam aliquos, quædam verò vnum, scilicet tactum.

De alijs vero sensibus dicendum est nõ reperiri in omnibus animalibus saltem imperfectis, nam animalia perfecta omnes sensus habent. Docuit Arist. 1. de historia animalium cap. 9. & sæpè alibi: vnde de talpa plures docent nõ habere visum. Sic Arist. loco citato, Plin. lib. 30. cap. 3. dicit naturam adeò fuisse talpæ aduersam, vt illam perpetuis damnauerit tenebris, viuamque sepelierit, semper enim sub terra habitat. Alij verò, & forsan non improbabiliter, affirmant, nã cùm habeat de organizationem oculi, frustrà esset tota illa deorganizatio, nisi visum aliquem haberet. Docet Cardin. Tolet. hoc loco sequutus Simplicium, & Albertum lib. 22. de animalibus, cap. de talpa.

Circa secundum quod inquirit quæstio, an scilicet hi sensus externi perfectiores sint in homine, quàm in alijs animalibus. Ferrara 2. lib. de anima, quæstio. 22. nescio quo fundamento ductus, asserit sensus hominis distingui specie à sensibus brutorũ, nõ quidẽ in ratione potẽtiæ, sed in ratione accidentis. Contra quod est, nã vel loquimur de ratione generali accidentis, quæ saltẽ analogicè omnibus est cõmunis, & in hac potiùs conueniunt omnia accidẽtia, quã differant, vel de particulari, & specifica ratione talis accidentis, quæ est sensus externus. Et reuera si in hac specie distinguuntur, etiã distinguũtur in ratione talis potentiæ: accidens in communi contrahitur ad esse sensus per esse talis potentiæ sensitiuæ: ergo si sub hac rãtione specie differunt, etiam differrẽt specie in ratione potentię sensitiuæ. Dicendum ergo est, sensus hominis non differre specie à sensibus brutorum, vt patet de visu, tactu, & de alijs, habent enim obiectum, à quo specificantur., & simili modo vtrobique immutantur: ergo non est dicendum differre specie.

Neque obstat, quòd potentiæ istæ oriantur ab animalib⁹ diuersæ speciei, nam etiam calor

calor procedens à sole, & ab igne non differt specie, & ita potentiæ istæ non sunt propriæ passiones quarto modo cuiuslibet animę sensitiuę, sic enim differrent specie pro diuersitate animarũ, sed potiùs procedũt ab his animabus, in quantùm omnes conueniunt sub generali ratione animæ sensitiuæ: cum hoc tamen dicendũ est ex parte perfectionis accidẽtalis huiũsmodi sensus non esse æqualiter perfectos in omnibus animalibus, & quidẽ de olfactu plura bruta, vt vultures, & canes, in eo superant hominem, quod ad maiorem longe distantiam olfaciunt, homo verò illa excedit, ex eo quòd plures odorũ differẽtias percipit ex diuerso temperamẽto organi, neq; inde licet colligere diuersitatem specificam inter hos sensus: nã adhuc intet homines, quidam percipiunt obiectum aliquod, quod tamen alius nõ percipit, quare tota hęc diuersitas ad diuersitatem temperamentorum reducenda est.

De visu verò communis est sententia visum lyncis in eo visum hominis superare, q̃ sit longe eo perspicacior, & à lõgiori distantia obiectum aspiciat. Nonnulli tamẽ affirmãt, visum hominis plures colorũ differentias percipere, quàm visus lyncis, & quidẽ hoc non repugnat, vt in simili de olfactu diximus: an verò de facto ita se res habeat, nescio quo indicio coniectari possit.

De tactu hominis communis medicorum sententia tenet perfectiorem esse tactu brutorum, habet enim organum tactus in homine optimam temperiem: vnde quod de aranea dici solet, quod habet perfectiorem tactum, quã homo, fortasse tantũ est verũ in aliquo peculiari tangibili.

De gustu etiam videtur hominem reliqua bruta excedere, nam cum egeat perfectiori alimento, perfectiorem etiam gustum debuit habere, licèt fortasse quo ad aliqua particularia obiecta ab alijs animalibus possit superari, vt de Simia dici solet.

Tandem de auditu saltem quo ad perfectionem distantiæ, plura animalia superãt ipsum hominem, qualis est sus ex communi omnium sententia, licèt fortasse secundum aliam accidentalem perfectionem homo vincat reliqua animalia. Et iuxta prædictam doctrinam intelligenda sunt carmina illa pluribus forsan notiora, quã bene, ac Philosophicè intellecta.

Nos ſus auditu, lynx viſu, ſimia guſtu.
Vultur odoratu, præcellit aranea tactu.

Solet tandem hoc loco diſputari, quem ordinẽ perfectionis habeãt huiuſmodi ſenſus inter ſe: de quo initio diſputationis eorum nos diximus, & patet viſum excedere auditũ, auditum olfactũ, & hũc perfectiorem eſſe guſtu, & tactu, tũ quia nõ requirit tantã obiecti approximationẽ, tum etiam, quia abſtractiori modo tendit in ſuum obiectum.

Difficilius eſt, quis ſit ordo perfectionis inter guſtũ, & tactũ. Et abſolute loquẽdo veri ſimilius videtur tactũ excedere guſtũ, habet enim pro obiecto tam primas, quàm ſecũdas qualitates: guſtus verò ſolum ſecundas, ſaporem ſcilicet, & humectationem, vt ſaporem percipiat: quæ omnia cum nõ ſint tanti ponderis coniecturis potius, quàm firmis rationibus nituntur, quare altiora petamus.

Quæſt.II. Vtrùm externi ſenſus eã habeant perfectionem, vt poſſint ſuas ſenſationes percipere.

HAnc quæſtionẽ diſputat Ariſt.c.ſequenti, nc tamẽ diſputationẽ de ſenſib' internis quã eo loco incipit, cũ diſputationẽ de ſenſibus externis cõfundamus, placuit antequã ad alia properem, diſputationẽ hanc abſolutam relinquere. In qua re duo ſunt certa: alterum eſt ſenſationẽ ſenſuum externorũ percipi ab illis, ſaltem vt, quo, id eſt quòd ſint rationes percipiẽdi aliud obiectum, vt quod: hoc enim negari non poteſt, vt nomẽ ipſum, ſenſatio ſignificat, eſt enim ſẽſatio obiecti ſenſibilis, & ita eſt id, quo aliud ſentitur, ac per conſequens cognoſcitur vt, quo; imo hoc generale eſt omni cognitioni tam ſenſitiuæ, quàm intellectiuæ, vt patet; eſt tamen nimis impropria locutio, proprie enim ſolum dicitur cognoſci obiectũ quod cognoſcitur, non vero cognitio ipſa.

Secundò certum eſt, huiuſmodi ſenſationes, ſaltẽm cognoſci, vt quod, ab homine medio intellectu, vt experientia patet, continentur enim intra latitudinem entis in cõmuni, quod eſt obiectum adæquatũ intellectus. Solũ eſt dubium, an etiã per ſenſum ipſum externum cognoſcãtur: nam de ſenſu interno dicam diſputatione ſequenti.

In qua re partem affirmatiuam

iam sequuntur Plusarchus, & Philoponus, quos refert Tolet. 3. lib. de anima quæst. 3. idem sentit Simplicius, saltē de sensibus externis hominis, his enim nescio quid maioris perfectionis tribuit, quàm alijs, propter coniunctionem, quam habent cū ratione. Scotus vero in. 4. dist. 45. q. 3. & Ferra. 2. contra Gent. c. 66. asserunt, quod quanuis sensus externus non possit actu reflexo cognoscere suū actū, ita vt per alium actum illum cognoscat, benè tamen actu directo. Et fundamentum esse potest, quia visus percipit tenebras, quæ minorem longe entitatem habent, quàm eius visio: ergo multo meliùs poterit cognoscere suam visionem.

Secundò posset sumi argumētum à simili de actibus intellectus, qui ab illo cognosci possunt, facile tamen potest reddi diuersitas rationis ex eo quòd sensus præcipue externus non est potentia ita perfecta, nec tam vniuersalis, sicut intellectus, vnde nō quidquid perfectionis in intellectu reperitur, sensibus externis tribuendum est.

Quare hac in re dico primò, sensum externū nō percipere suam sensationē actu reflexo, qui scilicet sit cognitio cognitionis existentis in eadē potentia: est cōmunis sententia, quā sequuntur autores infra citandi, & quidē q̄ absolute loquēdo nullus exterior sensus sensationē suam percipiat, videtur clare docuisse Arist. de somno, & vigilia. c. 2. vbi de quouis animali dicit, *Nō enim visu se videre videt*, quo nihil clarius dici potuit. Similia verba docet. 4. Met. c. 5. in fine, imo & capite sequēti eandē videtur docere sententiā, quanuis non ita aperte.

Et ratione probatur primò, quia multò magis visibilis est color, quā visio coloris, nihil enim est tam visibilis, quā color & lumen, & cum hoc color intrinsice inhærens in organo visus, non videtur ab illo: ergo multò min' potest videri actus ille intime inhærēs.

Secūdò, quia si sensus per nouū actū diuersū ab eo, quo cognoscit suū obiectū, cognoscit deinde suā sensationē, tā propriū cōceptū formaret de suo actu, quā de suo obiecto, q̄ tamē falsum esse vnusquisq; nostrū potest in se ipso experiri. Imò & vlteriùs deberet percipere secūdam sensationē, qua cognouit primam, & deinde cognoscere secundā per aliū actum, & sic in infinitum, nulla enim videtur maior ratio

vnius cognitionis, quàm alterius.

Tertiò quia si visio visibilis est, etiam posset videri ab alio visio existens in oculo alterius, quidquid enim in se ipso aliquis intuetur, multò melius ab alio videri potest, quod tamen est contra experientiá. Tandem, quia reflexio supra proprium actum vix cóuenit intellectui, percipit enim proprios actus nimis confusè: ergo id non est tribuendũ sensui externo, qui imperfectissima potentia est inter omnes cognoscitiuas.

Dico secundò, neque actu directo posse sensum externũ percipere suam sensationẽ, nisi fortasse vt, quo, quod minus proprie dicitur, vt supra vidimus. Hãc conclusionem sicut & præcedentem tenet cõmunis Philosophorum cõsensus S. Tho. 1. p. q. 78. art. 4. ad. 2. & q. 78. art. 3. ad. 3. Caiet. 1. p. q. 14. ar. 2. Albertus hic tract. 4. c. 7. Card. Tolet. & alij hoc loco. Ratio est aperta, nam cognitio natura sua est tendentia ad rem cognitam, & ita est tẽdẽtia ad aliud: ergo cognitio, quæ terminatur ad obiectum sensibile, non potest terminari ad se ipsam, sic enim tenderet ad se ipsam, quod videtur contra rationem tendentiæ, hæc enim essentialiter est ad aliud, & propter eandem rationem existimo adhúc in intellectu non cognosci actũ illius actu directo: vnum dumtaxat excipio, diuinum, inquã, intellectum, qui ob suam infinitam simplicitatem, & vnitatem, quam habet, est cognitio sui ipsus.

Obijcies tamen à simili: nã actiones productiuæ terminorum se ipsis fiunt à parte rei, absq; eo quòd detur ad actionem alia actio: ergo similiter actio cognoscitiua obiecti se ipsa poterit directe cognosci. Respondetur actiones productiuas terminorum non fieri à parte rei, si proprie loquamur, actio enim non fit, sed est id, quo aliud fit, & ita, vt dicebã ex Physica, actio non incipit esse à parte rei tamquam terminus factus, sed tãquam fieri ipsius: neq; enim necessariũ est, vt quidquid à parte rei incipit esse, incipiat vt terminus factus. Similiter ergo cognitio non est aliquid cognitum eodẽ actu, sed alio, in quo est diuersa ratio, ac de actione, hæc enim adhuc per aliam actionem non potest fieri, quia per suam essentiam pendet ab agenti, vnde non indiget actione superaddita, vt ab illo pendeat, cognitio vero non habet,

habet per ſuam eſſentiá præciſſe quod ſit cognita, ſæpe enim conſideramus obiectum aliquod, quin aduertam⁹ nos illud cognoſcere, & ita cognitio indiget actu ſuperaddito, quo cognoſcatur, à ſenſu tamen externo nullatenùs cognoſci poteſt. Cuius rei alia ratio poteſt tandem aſsignari, quia ſæpe quis videt Petrum, quin aduertat ſe illum videre hoc autem eſſet impoſsibile, ſi ſenſus externus eodē actu, quo cognoſcit obiectum, cognoſceret eundem actum.

Tandem iuxta contrariam ſententiam dicendum eſſet ſimiliter, eodem actu quo aliquid appetimus, appeti ipſam appetitionem, vnde etiam ſimiliter eodē actu, quo aliquid odio habemus, etiam ipſum actum odio haberemus, quod manifeſte repugnat, nam ſi voluntas odio habet aliquem actum, quare illum elicit.

Ad argumentum autem cō trariæ ſententiæ iam dixi ſupra, viſum, nō videre tenebras quaſi poſitiuo actu, ſunt enim nihil, atq; adeò non cadūt intra limites obiecti ſenſibilis, ſolùm ergo dicitur percipere tenebras, quia per intellectus diſcurſum homo cognoſcit ſe in loco illo non videre. Et hæc de hoc capite.

Caput Secundum.

AGit iam Ariſt. in his capitibus de ſenſib⁹ in ternis, & quidem in primo capite intendit probare præter exteriores ſenſus eſſe ponendum aliū internum, qui appellatur ſenſus cōmunis, vt percipiat ſenſationes ſenſuum externorū, & inter obiecta illorū diſcernat. Quanuis enim non ſatis conueniat inter interpretes de mente Philoſophi in hoc capite, hoc tamen fuiſſe eius intentum explicat hoc loco D. Tho. Alexander in ſua paraphraſi. c. 19. Auerroes, Albertus, & omnes latini interpretes. Duo agit in hoc capite Ariſtot. primo duas proponit dubitationes, & ſoluit. Secundò explicat quod ſit munùs ſenſus communis.

Primò ergo dubitat Ariſt. cum reuera ſentiamus nos ſentire, an id fiat per ſenſum externum, vel potius per alium internum, & adductis vtrimq; rationibus dubitandi, quas infra adducam, tandem dicit ſenſum externum non operari niſi moueatur ab obiecto, vnde tūc, inquit, eſt in potētia, quādo actu non mouetur ab obiecto, tunc vero eſt ſenſus in actu, quando actu ab illo mouetur; tamen quia motio eſt in-

Inquit, in passo, non in moué-te, ideo motio, qua sensus mouetur, non est in obiecto, sed in sensu ipso, quæ doctrina eò tendit inquit Cardin. Toletus, vt inde colligamus sensum externum non percipere suam sensationem, cum sensus externus moueatur ad suũ actum ab obiecto, non vero à sua operatione, hæc enim est ipsa operatio: vnde docet Arist. simul esse sensibile in actu, & sensus in actu.

Dubitat tamen secundò Arist. quare excellens sensibile corrumpat sensum. Respõdet causam esse, quia destruit tẽperiem requisitã ad organum illius, de quo iã diximus. Vnde colligit tria Arist. primò quẽlibet sensum externũ habere suũ sensibile, à quo patiatur. Secũdò quẽlibet ex his habere facultatẽ, & potẽtiã quãdã suo organo affixã. Tertiò quẽlibet sensum externum discernere inter sensibilia particularia sui obiecti adæquati, vt visum inter colores, auditũ inter sonos.

Vnde in secunda parte capitis probat esse ponendum alium internum sensum distinctum ab exterioribus, qui appellatur sensus cõmunis, quia, inquit, animalia discernũt inter sensibilia diuersorum sensuum, vt inter colorem, & sonum; sed quilibet exterior sensus tantùm discernit inter sensibilia sui obiecti, vt visus inter colores, non tamen inter sensibilia diuersorum generũ: ergo ad hoc munus ponendus est sensus communis: quod verò iudicium discernens inter sensibilia diuersorum sensuũ, non possit etiam fieri à pluribus sensibus externis, simul probat, quia hoc, inquit, perinde esset, ac si essent duo homines, quorum alius tantùm perciperet album, alius verò tantùm dulce, vbi nullus illorum posset discernere inter albũ, & dulce, quia nullus cognoscit simul vtrumque extremum. Iudicium autem discernens supponit cognitionem extremorum; cũ ergo nullus sensus exterior percipiat obiectum alterius sensus, nullus nec plures simul possunt discernere inter sensibilia diuersorum sensuum, & ita ad hoc opus est sensu communi.

Obijcit tamẽn sibi Arist. nã ex dictis sequitur idem simul pati à contrarijs, sensus enim patitur ab obiecto, & hic sensus percipit sensibilia contraria diuersorum sensuum. Respondet Arist. quod sicut punctum existens in centro circuli,

culi, licèt in se sit vnum, tamen quodammodo est plura, inquantùm est principiũ plurium linearum, quæ ab illo ducuntur ad circumferentiam; ita, inquit, sensus communis, licèt in se sit vnus, tamen quodammodo est plures, in quantùm terminat plures cognitiones sensuum externorum.

Caput Tertium.

INtentum Arist. in hoc cap. 3. est agere de imaginatione seu phantasia. Duo agit, primò explicat qualiter distinguatur ab intellectu, & à sensu externo. Secundò explicat quid sit. Imprimis ergo refutat errorem antiquorum, qui cum omnem animam corpoream ponerent, non distinguebant inter sensum & intellectũ, quod ex eo impugnat. Primò, quia intelligere aliquando est cum vero, aliquando verò cum falso; at verò sensus semper est verus circa proprium sensibile.

Secundò, quia intelligere, ideſt, discurrere, vt hic exponit Card. Tolet. solũ ineſt habentibus rationem, sentire autẽ omnibus ineſt: ergo sensus, & intellectus non sunt idem: vnde probat de inde Arist. imaginationem distingui à sensu externo, & ab intellectu, seu existimatione, hîc enim nomine existimationis, vt ex Philopono aduertit Card. Tolet. intelligit intellectum, siue cũ discursu, siue sine illo, siue cũ veritate, siue cum falsitate intelligat: dicit ergo imaginationem, esse quid medium inter intellectum, & sensum externũ, ac proinde ab vtroque distingui. Ratio est, nam imaginatio, inquit, non fit nisi ex præcedenti sensu, quæ enim sentimus, imaginamus: intellectio autem non fit sine imaginatione, non enim intelligimus, nisi imaginatione suppoſita: ergo imaginatio est quid mediũ inter sensum externum, & intellectum.

Probat etiam rursus imaginationem non esse existimationẽ, quia existimatio, ideſt iudicium, nõ est sita in nostra potestate, præsente enim demõstratione nõ possumus dissentire, imaginatio autem est in nostra potestate, qua ratione, inquit, habentes artem memoratiuam, quasdam sibi imagines fingunt, & figuras pro libito, per quas firmiùs res oblitas memoriæ mãdant.

Secundò, quia imaginatio nõ causat in appetitu passionem,

nem, quanuis enim quis sibi per imaginationem leonẽ ad illum appropinquantem fingat, non contristatur magis, quàm si illum depictum videret, si tamen ita existimet, cõtristatur. Deinde probat, ꝙ imaginatio non sit sensus externus: nam sensus externus omnib⁹ animalibus ineſt: imaginatio verò secus, quia, neq; est, inquit, in vermibus, neque in formicis, & apibus. Præterea, quia sensatio exterioris sensus est certa, nã circa proprium sensibile non fallitur, imaginatio autem nõ semper est certa, sæpe enim dubitam⁹, an verum sit, quod imaginamur.

Vltimò, quia etiam clausis oculis, & quando nihil sentimus, imaginamur: ergo imaginatio non est sensus externus.

Tandem in fine capitis definit imaginationẽ dicens: *Imaginatio est motus factus à sensu in actu*: cum enim imaginemur obiecta illa, quæ sentimus actus imaginationis causatur à sensu in actu, ideſt ab actu sensus externi, vbi potius definitur actus imaginationis, quàm potentia ipsa, quæ iuxta hanc doctrinam definiri poterit. *Est potentia apta moueri à sensu in actu.*

Disputatio. II. De sensu interno.

PLacuit vtriusq; capitis materiam comprehendere hac vnica disputatione, sensus enim communis, & imaginatio seu Phãtasia, de quibus disputat Arist. in his capitibus, fortasse non distinguuntur realiter, vt infra dicam, vbi etiã de memoria, æstimatiua, & reminiscentia erit sermo.

QVæst. I. Vtrùm præter externos sensus, sit necessario ponendus alius internus, qui appellatur sensus communis, & quod sit eius munus.

IN hac re referri solet sentẽtia Gal. li. 8. de vsu partiũ. c. 6. asserentis sensum communem esse eandem potentiam cum sensibus exterioribus, ita quòd sit genus quoddam illis commune, non secùs quã animal ad hominem & brutum. Cõmunis tamen philosophorum consensus docet dari alium sensum internum specie diuersum à quinque sensibus exterioribus, quam Aristot. & eius interpretes in hoc capite amplectuntur. Ratio enim Arist. id plane conuincit, quia

animal

animal non solũ discernit inter obiecta eiusdẽ sensus, verbi gratia, inter colores, sed etiam inter obiecta diuersorũ sensuum, nam adhuc brutum discernit inter colorem, & saporem, cum ad cibum prosequendum moueatur, non tamen ad quodcumq; obiectũ coloratum: sed iste actus discernendi in primis non potest fieri ab anima immediate, quia anima non potest esse principium immediatum operandi, neq; potest fieri ab anima medijs pluribus sensibus externis, vt optime probat Arist. quia discernens inter extrema debet cognoscere extrema illa, de quibus iudicat, sed visus non cognoscit saporem, nec gustus colorem: ergo ponendus est sensus internus, qui cognoscat, & discernat inter sensibilia diuersorum sensuũ; præsertim quod cum iudiciũ illud discernens inter sensibilia diuersorum sensuum sit vnicus actus non potest fieri à pluribus potentijs, quælibet enim potentia tantùm inclinat in actum sibi proprium, & non ad actum alterius potentiæ, quia nõ potest transcendere proprium obiectum, & ita impossibile est iudicium illud fieri à pluribus sensibus externis simul.

Sed obijcies, nam frustra videtur naturã tot externos sensus animalibus tribuisse, si omnia illorum obiecta, & eorum differentias ab vnico sensu cõmuni percipiuntur. Respondetur naturam in hoc liberalem extitisse, sed non superfluam, quia vt ex dicendis infrà constabit, diuerso modo percipiũtur hæc obiecta à sensibus externis, & ab interno, cum sensus internus eadẽ obiecta etiam in eorum absentia possit percipere, quod nõ habent sensus externi, sicut etiã eadem obiecta percipiũtur ab intellectu, diuerso tamen modo, ac à sensibus.

Maiorem habet difficultatem, quid sit munus, & officiũ huius sensus interni, aut circa quæ obiecta versetur, & ex dictis patet munus esse, non solùm cognoscere singula sensibilia sensuum externorũ, sed etiam inter ea, quãtumuis diuersa, discernere. Potest tamen dubitari, vtrum sensationes sensuum externorum cognoscantur ab isto sensu interno. In quare Albertus summa de homine tract. 2. q. 1. existimat sensum istum communẽ nullaten' percipere sensationes sensuum externorum, sed sensibilia communia illorum dumtaxat, & hinc fortasse sen

ſum cõmunem appellatum fuiſſe dicit.

Quę ſentẽtia meritò ab omnibus reijcitur. Tum quia etiã animal diſcernit inter intẽſibilia propria diuerſorum ſenſuũ, ad quẽ actũ, vt vidimus, nullus externus ſenſus, nec plures ſimul ſufficiunt: ergo etiam ſenſibilia propria pertinent ad ſenſum internum. Tũ etiam, quia vt lib. 2. cap. 6. vidimus impoſsibile eſt percipi ſenſibile commune ſine proprio, nõ enim percipitur, niſi vt modificans ſenſibile proprium, quis enim dicat poſſe præcipue per ſenſum percipi præſentiam alicuius rei, non percepta ipſa re preſenti.

Dicendum ergo eſt ſenſum hunc internũ, non ideo appellari cõmunem, quia tantũ percipiat ſenſibilia cõmunia ſenſuũ externorum, ſed quia cũ omnia ſenſibilia quantumuis diuerſa percipiat, cõmunis dicitur reſpectu particulariũ ſenſuum externorum.

Secunda ſententia fuit Philopponi, & Simplicij hoc loco aſſerentiũ ſenſationes ſenſuũ externorũ nullatenus percipi à ſenſu interno, ſed potiꝰ ab intellectu. Quæ ſentẽtia videtur poſſe probari in primis ratione quadã dubitandi, quã in hoc c. 2. affert Ariſt. nam ſi nõ eodẽ ſenſu, quo videmus, ſentimus nos videre, ſed alio, petam de illo an percipiat ſuã ſenſationem. Nam ſi dicas ꝙ non, ſed adhoc eſſe opus alio ſenſu diuerſo, idem erit de illo, & ſic in infinitum, ſi autem ille ſenſus poteſt percipere ſuam ſenſationem, quare ergo id nõ dicemus de ſenſu externo, abſq; eo quod opus ſit recurrere ad alium internum ſenſum.

Secũdò, quia ſi ſenſus internus percipit ſenſationem ſenſus externi, neceſſariò id erit per aliquam ſpeciem repræſentatiuam talis ſenſationis, hoc autem videtur impoſsibile, quia nulla apparet cauſa, quæ poſsit producere in ſenſu interno illã ſpeciẽ impreſſam, nam ſenſatio ipſa ſenſus exterioris, cum ſit actio, non eſt cauſa efficiẽs talis ſpecici, aliàs iã ad actionem daretur actio: ſpecies autẽ expreſſa producta per ſenſationẽ ſenſus externi, cũ ſit ſimilitudo obiectũ tãtũ debet producere ſimilitudinẽ aliã, ſeu ſpeciẽ obiecti, nõ vero ſpeciẽ ſui, ad modũ, quo ſpecies impreſſę ſolũ producũt aliã ſpeciẽ, & ſimilitudinẽ obiecti, ꝙ repræſentant, nõ vero ſpeciẽ ſui: ergo ſenſus internꝰ nullatenꝰ percipere poteſt ſenſationẽ ſenſus exterioris.

Ter-

Tertiò, quia obiectũ cuiuscunq; sensus debet esse sensibile: sed sensatio non est sensibilis, sed cognitio obiecti sensibilis: ergo non potest percipi ab aliquo sensu.

Dicendũ tamẽ est cũ cõmuni Philosophorũ cõsensu, sensationes sensuũ externorum percipi à sensu interno, & nõ solũ ipsa sensibilia. Quã cõclusionẽ miror negari à quibusdã in nra academia, cũ ex autoribus, vno dẽpto Simplicio, aut Philopono, omnes vnanimiter eã amplectãtur. Et in primis Arist. in hoc. c. etiã adhũc finẽ videtur cõstituere sensũ cõmunẽ, sed clarissime id docuit de somno, & Vigilia. c. 2. vbi de sensu externo loquens sic ait, *Nõ enim visu se videre videt, nec visu aut gustu iudicat, iudicare ve potest dulce ab albo, neq; seorsum, neq; simul, sed particula quadã cõmuni, quæ adiuncta sensibus omnib' sit*, idest sensui cõmuni: vbi sensui cõmuni vtrũq; munus tribuit, & discernere inter sensibilia sensuũ externorũ, & eorũ sensationes percipere, vocat autẽ sensum internũ potentiã adiunctã sensibus externis, nõ quia localiter, aut subiectiue sit illis adiũctus, sed quia cũ sit potẽtia ab illis diuersa secundum numerũ, est illis adiuncta ad modũ, quo in numeris dicimus, tertiã vnitatẽ addi, seu adiungi alteris in ratione multitudinis, licet nõ in ordine ad locũ, aut subiectiue. Eãdẽ sententiã docuit aperte Agusti. lib. 2. de libero arbitrio. c. 3. & 4. D. Th. 1. p. q. 78. ar. 4. ad 2. & ibidem Caie. Bañez, & alij Thomistæ Scotus in. 4. d. 45. q. 3. quẽ etiã eius schola sequitur, Tol. hoc lib. q. 3. Ad quã rem probandã vtitur Agustinus experiẽtia. Quia sæpe animalia conantur aperire oculos cupientia videre, quidquid autẽ corũ appetitus exposcit, debet esse illi propositum à sensu interno: ergo reuera per internum sensum apprehẽdũt sensationes sensuum externorum.

Similiter sæpe bruta timent eò redire, vbi percussa sunt, ergo recordãtur sensationis dolorificę eo loco habitæ. Tandẽ multoties per memoriã recordatur quis se vidisse Petrũ, ꝙ non potest dici fieri tantũ per memoriã intellectiuã, cũ experientiæ adductæ conuincant, etiã bruta percipere sensationes sensuũ externorum, tũ etiã, quia vt dicam infra, ad rationem memoriæ sensitiuæ, siue intellectiuæ, non satis est percipere obiectum prius cognitum, nisi cognoscatur, vt prius cognitum.

Poteſt tamen circa hanc rẽ dubitari: an ſenſus internus per eandẽ ſpeciem cognoſcat ſenſationem ſenſuũ externorum, & obiectum illarum, ita vt cum quis recordatur Petri vt viſi, an per eãdem ſpeciem cognoſcatur Petrus, & eius viſio, vel potiùs per duas ſpecies. Quibuſdam videtur hoc fieri per duas ſpecies, alteram repreſentantem obiectũ ſenſibile; alteram vero ſenſationẽ illius. Sic indicare videtur Scotus, loco citato, & probabile reputat Card. Tolet. probabilius tamẽ reputo hoc fieri per vnicam dumtaxat ſpeciem, licèt modificatam, vt bene docuit Bañez loco citato.

Vnde dico primò: ſenſibile externum, & ſenſationem ipſam non percipi per eandem indiuiſibilem ſpeciem, cum enim ſæpe per ſenſum internum cognoſcamus obiectum ſenſibile, quin formemus notitiam de ſenſatione illius, vt cũ quis cognoſcit Petrũ ſeorſum, ſignum eſt ſpeciem obiecti ſenſibilis ex ſe, & abſq; aliquo ſuperaddito non repræſentare ſenſationem externã talis obiecti: ergo ad hoc opus eſt aliquo alio ſuperaddito.

Dico ſecundò: ſenſationẽ externam non cognoſci per ſpeciem diuerſam, quæ ſit res diuerſa ab ſpecie obiecti ſenſibilis, ſicut res à re. Ratio eſt, quia ſi ſpecies repræſentans ſenſationem eſſet res omnino diuerſa ab ſpecie repræſentante obiectum ipſum ſenſibile: poſſet ſenſus internus pro libito vti ſpecie ſenſationis ad cognoſcẽdam illam ſeorſum, quod reuera excedit vires potentiæ ſenſitiuæ. Solum enim recordamur obiecti viſi, aut ſoni auditi, non verò viſionis, vel auditionis ſeorſum: ergo illud, quod in ſpecie iſta correſpõdet ſenſationi ſenſus externi, non eſt res omnino diſtincta ab ipſa ſpecie ſenſibilis externi.

Dices, ex hoc ſolum probari ſenſationem externã, & obiectũ ipſum ſenſibile nõ cognoſci per duas ſpecies totales diuerſas, non tamen quòd nõ cognoſcãtur per duas ſpecies partiales diſtinctas tamẽ ſicut res à re. Tamen contrà eſt. Quia cum ſenſatio externa, & obiectum ſenſibile differant ſpecie, illæ duæ ſpecies partiales illis correſpondentes, debent differre ſpecie, & ita ex vtraq; non poſſet integrari vnica ſpẽcies totalis phyſicè; quia in primis non poſſunt phyſicè vniri per continuationem, continuatio enim ſolum eſt inter ex-

extrema, quæ sunt eiusdem rationis, neq; etiam tamquam actus & potentia, quia ridiculum est dicere, vnam speciem informare alteram, si vtraque sit res, & non modus: ergo impossibile est ibi intercedere duas species partiales diuersas, sicut res à re.

Dicendum ergo est, quòd sicut sensibile commune, & propriũ percipiuntur per eandem speciem, licèt modificatam à sensibili cõmuni, vt suo loco vidimus, ita vt correspõdeat sensibili cõmuni species modalis, quæ sit tantũ modus modificans speciem sensibilis proprij: ita sensatio externa percipiatur per speciem modalem modificantem speciem obiecti sensibilis. Ratio est, quia sicut non percipimus figuram, aut præsentiam abstractam, sed modificantem sensibile proprium scilicet colorẽ præsentem, aut taliter figuratum, ita quia visio secundũ se non sentitur à sensu interno, sed solùm quatenus sentitur albedo visa, ideo vtrũq; hoc habens modum vnius obiecti adæquati per vnicam speciẽ, licèt modificatam, debet percipi.

Dices esse diuersam rationem, nam sensibile cõmune, vt supra vidimus reuera est modus sensibilis proprij, & ita nihil mirum, quòd nõ percipiatur, per speciem totaliter diuersam ab specie sensibilis proprij, sed solùm modaliter distinctam, sensatio tamẽ externi sensus, nõ est modus obiecti sensibilis, sed res prorsus diuersa, quis enim dicat visionem, quæ est actio immanens in oculo modificare colorẽ ad extrà existentem in pariete: ergo reuera tali visioni debet correspondere species totaliter diuersa ab specie obiecti sensibilis. Respondetur quòd quamuis sensatio externa in re ipsa non sit modus afficiens obiectum sensibile: tamẽ reuera cognoscitur, quasi esset modus illius: nam sicut non percipitur præsentia absolute, nisi color præsens, ita per sensum internum nõ cognoscitur visio seorsum, sed color visus, & ita in ordine ad cognitionem ita se habet, ac si reuera esset modus.

Sed instabis adhuc, quia si in ordine ad cognitionem internam sensatio externa se habet quasi esset modus obiecti sensibilis: ergo sicut sensibile proprium non potest percipi sine communi, quod est modus illius, ita obiectum sensibile, non poterit percipi à sensu interno se solo, nisi quasi mo-

modificatũ à ſenſatione ſenſus externi, & ita non poterit imaginari quis Petrum, ſed Petrum, vt viſum.

Quidã enim id cõcedũt ita eſſe, neſcio tamen, an ſufficiẽti fundamento probetur, & ſi experientiam ſpectes, cõtrarium videtur indicare: nam quanuis per actum memoriæ cognoſcat quis obiectũ prout ſenſatum, actu tamen imaginationis ſæpe plura figmenta ſibi quis apprehendit, quin illa, vt ſenſata apprehendat, de ſenſibili autem communi, & proprio eſt diſparratio: nam cum ſenſus externus non percipiat obiectum, niſi ſecundum realem præſentiam, quam habet à parte rei, ſicut in re ipſa non poteſt dari ſenſibile proprium ſine communi, neque enim poteſt dari color ſine aliqua præſentia, aut figura, ita nec poteſt percipi à ſenſu externo, niſi vt taliter figuratus aut præſens, quia cum figura illa, aut præſentia ſit in re ipſa coniuncta cum colore, ſi color immutat viſum, etiam præſentia illi adiuncta immutat viſum, tamen obiectum ſenſibile non eſt reuera coniunctum cum ſenſatione externa tamquam cum modo ſibi inhærenti, vnde cum aliàs per ſe ipſum ſit ſenſibile poteſt à ſenſu interno ſeorſum percipi ſine ſenſatione externa: præſertim quòd ſenſus internus eam habet vim, vt obiecta aliàs à parte rei coniuncta, potiùs ſeorſum percipere poſsit, poteſt enim quis albedinẽ lactis ſine eius dulcedine imaginari, quanuis vtrumque hoc ſenſu interno percipi poſsit.

Addo præterea in hac dubitatione: ſpeciẽ illã modalẽ repræſentãtem in ſenſu interno ſenſationẽ externam confuſsè nimis illam repræſentare, neque enim format quis propriũ, & diſtinctum conceptũ ſenſationis, ſed confuſsum valde: vnde diſtincta cognitio ſenſationis externæ ad intellectum potius, quàm ad vires ſenſitiuas pertinet.

Vltimò in hac re notandũ eſt ſenſum internum, etiam poſſe cognoſcere præſentiam ſenſationis externæ in tali, vel tali ſpatio, qua ratione recordatur quis ſe in foro, aut agro vidiſſe Petrũ, & guſtaſſe obiectum in tali vel tali parte linguæ.

Ad argumenta cõtrariæ ſententiæ reſpondetur ad primũ q̃ non eodẽ ſenſu, quo videmus, cognoſcimus nos videre, ſed alio diuerſo, ſcilicet ſenſu interno, tamẽ ad percipien-

piendá illã ſenſationem ſenſus interni non eſt opus recurrere ad aliam potentiá diuerſam, & ſic in infinitũ: ſenſus enim internus tantam habet perfectionem, vt poſsit ſuam ſenſationẽ cognoſcere, vt ſtatim dicam: quod de ſenſu externo non eſt ita aſſerendum, quia non eſt tantæ perfectionis, ac internus: nã etiam ſenſus internus cognoſcit ſenſibilia diuerſorum ſenſuum, q̃ tamen nullus exterior ſenſus præſtare poteſt.

Ad ſecundũ, ſpeciem illam ſaltem modalem productã in ſenſu interno repræſentantẽ ſenſationem externam produci efficienter ab ſpecie expreſſa ſenſus externi, vt in ſimili dicam infra de alijs ſpeciebus ſenſus interni, nam cum ſenſus externi ſubordinẽtur ſenſui interno ſpecies expreſſæ ab illo productæ, eam habent naturam, vt ſenſui interno alias miniſtrent ſpecies impreſſas repræſentãtes obiecta ſenſata ab illis, & etiam prout ſenſata ſunt, ita vt poſsit ſenſus internus talia obiecta prout ſenſata percipere, per quam etiam ſpeciem poteſt obiecta ſenſibilia percipere etiam ſecundum ſe, & non tantùm prout ſenſata, ad vtrumque enim poteſt deſeruire illa ſpecies, quia cum vtrũq; hoc in illa reluceat, ad vtrumq; munus poteſt ſenſus vti illa, qualiter dicebam. 1. lib. Phyſic. & infra etiã latiùs dicam, intellectum noſtrũ, per eandem ſpeciem intelligere vniuerſale, & ſingulare, ita vt ad vtrumque munus poſsit vti illa ſpecie. Eſt autem diſpar ratio de ſpeciebus impreſsis à ſolo obiecto productis, illę enim cũ tãtum habeãt eſſe ſemẽ obiecti, ſolũ producunt ſpeciem expreſſam repræſentantẽ obiectũ nude ſumptum, tamẽ ſpecies expreſſa ſenſus externi, quia eſt producta etiã à potẽtia ſubordinata ſenſui interno, cuius etiã eſt percipere obiecta pro vt ſenſata à ſenſu externo, vt patet de actu memorię, ideo habet vim, vt producat ſpeciẽ repręſentatiuã obiecti, nõ nude ſumpti, ſed prout ſenſati à ſenſu externo. Quã ſententiam videtur mihi clare indicare Ariſt. de memoria, & reminiſcentia capite primo, vbi docens qua ratione in memoria producãtur ſpecies memoratiuę, ſic inquit. *Si quidem motus ille, qui fit* (id eſt ſenſatio externa) *quandam veluti figurã ſenſationis imprimit, haud ſecus, quam annulis ſigillant.*

Ad tertium quod quanuis ſenſatio ſenſus exterioris non

non sit sensibilis à sensu ipso externo, bene tamen à sensu interno, neq; enim repugnat id, quod ab vno sensu non est sensibile, esse sensibile respectu alterius, sicut color nõ est sensibilis respectu gustus, bene tamen respectu visus.

Secundò dubitari potest in hac quæstione vtrũ sensus internus habeat vim ad cognoscendas suas species impressas, vel expressas, vt quod, id enim saltem de sensu externo negauimus supra. c. 5. tamen cum sensus internus lõge maiorem habeat perfectionẽ, videtur de illo res dubia. Arist. namq; c.1.citat. de memoria, & reminiscentia indicare videtur huiusmodi species cognosci vt quod. Dicit enim q̃ sicut in pictura aliqua sunt duo, & quòd sit res quædam, & quòd sit imago; ita Phantasma, quod est species sensus interni, vtrũq; habet, & vtroq; modo docet cognosci, quamuis, inquit, vt imago est, & qua si figura diu durans deseruiat memoriæ. Circa quæ verba variæ sunt interpretum expositiones, omnes tamen videntur supponere sermonem esse de memoria sensitiua: mihi tamen non displicet eorum expositio, qui existimant Aristotelem ibi interpretari posse de memoria intellectiua, ita q̃ species sensus interni nõ cognoscantur à memoria sensitiua, sed ab intellectiua, intellectus enim latissimũ habet obiectum, scilicet ens in cõmuni, sub quo omnia comprehẽduntur. Vnde probabilius lõge existimo huiusmodi species non cognosci à sensu interno, quia neq; ab experientia, neq; ex alio capite habemus indiciũ, vt id asseramus, & aliàs natura specierum potius videtur ordinari ad cognoscendum aliud, quam vt ipsæ cognoscantur. De speciebus autem intelligibilibus est dispar ratio, istæ enim continentur sub ente in communi, quod est obiectum adæquatũ intellectus, & ita possunt ab illo cognosci, species tamẽ sensibiles non sunt sensibiles vt quod, sed solùm appellantur sensibiles, quia deseruiunt ad repræsentandum obiectũ sensibile sensibus ipsis, non vero quia ipsæ sentiantur vt quod.

Illud hac in parte notandũ, est quod qui rationem formalem sensationis, sicut, & intellectionis, dicũt consistere nõ quidem in actione, sed in specie expressa, si asserãt sensum internum cognoscere suã sensationem, de quo iam dicam,

consequenter fateri tenetur, sensum internum cognoscere suam speciem expressam, in ea enim ponunt rationem sensationis. Mihi tamẽ placet sentire cum cõmuni Thomistarũ sententia asserentium intellectionẽ, aut sensationem, nõ in specie expressa, sed in actione productiua illius consistere, de quo plura dicam fusiùs lib. 1. de interpret. c. 1. disp. 2. vnde non est cur modo dicam speciem expressam cognosci à sensu interno, sed sensationem productiuam illius, hoc tamen adeo est confusso modo, vt imperfectus valde foret conceptus, sicut, & de sensatione externa dixi.

Tertiò dubitari potest in hac quæstione, & difficilius: vtrũ etiam sensationes sensus interni possint ab illo cognosci. In qua re satis graui cõmunis Thomistarũ sentẽtia, quæ distinguit plures sensus internos, re ipsa diuersos, asserit inter sensus internos, eum qui est alio perfectior, percipere sensationẽ alterius sensus inferioris, non secus quàm quilibet sensus interior, quia perfectior est sensu externo percipit sensationem illius, sensationẽ vero supremi, ac perfectissimi sensus interni, dicunt non cognosci ab illo, sed à potentia intellectiua, numquam tamen admittunt, sensum aliquem suam operationem cognoscere, ne concedunt reflexionem supra se ipsam in potentia corporea. Tenet Card. Tolet. hoc lib. q. 9. cõcl. 2. ratione. 6. & hoc loco est inter Thomistas cõmunis sentẽtia: eã enim videtur aperte indicasse S. Tho. 2. contra Gent. c. 66. ratione. 4. vbi ex eo probat cõtra antiquos Philosophos intellectũ esse potẽtiam realiter diuersam à sensu, quia, inquit, nullus sensus se ipsum cognoscit, nec suam operationẽ, qualiter visus nec videt se ipsum, nec videt se videre, intellectus autẽ cognoscit se ipsum, & cognoscit se cognoscere. Idẽ sentit Scoto in. 4. d. 45. q. 5. pro qua sententia nullum aliud firmũ videtur posse adduci fundamentũ, nisi quia aliàs potẽtia corporea, qualis est sensus internus posset supra se reflectere. Patet cõsequentia quia cognitio reflexa est cognitio cognitionis existentis in eadem potentia: si ergo sensus internus suam operationẽ potest cognoscere poterit supra se reflectere, q̃ videtur esse propriũ potentię spiritualis, qualis est intellectus.

In hac re duo mihi viden-

tur certa, aliud vero dubium. In primis certum eſt, ſenſum internum non cognoſcere, vt quod, ſuam ſenſationem per eãdem ſenſationem, ita quòd ſenſatio alicuius obiecti ſenſibilis ſit cognitio ſui ipſius, vt ſuprà dicebam de ſenſatione externa, quia cognitio ex natura ſua eſt via ad rem cognitam, via autem eſt ad aliud, vnde impoſsibile eſt, quòd cognitio aliqua ſit cognitio ſui ipſius etiamſi ſit intellectiua, ſolum poteſt dici, cognoſci vt quo, id eſt eſt ratio cognoſcẽdi aliud, eſt tamen nimis impropria locutio, vt dixi ſupra, ſolùm ergo poteſt ſenſus internus cognoſcere ſuam ſenſationem, vt quod, actu reflexo, quæ ſit actus diuerſus, & cognitio cognitionis exiſtentis in eadem potentia.

In quo ſecundò certum eſt duobus modis poſſe intelligi, ſenſationẽ ſenſus interni cognoſci ab illo. Primò prout modificans ipſum obiectũ ſenſibile, ita quòd cognoſcat quis obiectum prout ſenſatũ ſenſu interno, vt ſtatim dicam. Secundò ita quòd cognoſcatur talis ſenſatio ſola abſq; obiecto aliquo ſenſibili, quod quaſi modificet: & hoc modo videtur certum ſenſum internũ non poſſe cognoſcere ſuã ſenſationem, nã reflecti hoc modo ſupra ſuum actum, eſt maxima perfectio ſoli intellectui conueniens.

Solum ergo dubium eſt, an ſenſatio interior, ſaltẽ prout quaſi modificat ipſum obiectum ſenſibile poſsit cognoſci à ſenſu interno: & mihi probabilior apparet pars affirmatiua, quam ne ſine autore loqui videar, docuit Valleſ. lib. 2. controuer. medica. cap. 22. dicens reminiſcentiam eſſe opus memoriæ, cum ſe reflectit in ſe ipſam. Et ratio huius eſt, quia reuera negari non poteſt, nos adhuc per memoriã ſenſitiuam recordari alicuius obiecti, prout antea imaginati, ſæpe enim recordamur nos heri tale, vel tale obiectũ fuiſſe imaginatos: hoc enim, vt etiam autores contrarij admittunt, non excedit vires memoriæ ſenſitiuæ, ſed vt infra oſtẽdam memoria ſenſitiua, & imaginatio non ſunt potentiæ realiter diuerſæ, oſtendam enim tãtum dari vnicum internum ſenſum omnes hos actus comprehendentem: ergo ſenſus internus poteſt cognoſcere ſuam ſenſationem, prout quaſi modificãtem obiectum aliquod ſenſibile.

Ex dictis facile videtur ſolui fundamentum contrariæ ſen-

sentétiæ, quãuis enim ea perfectio, quæ est reflecti supra suum actum secundũ se sumptum repugnet potentiæ corporeæ; tamen reflecti supra suum actum prout modificantẽ obiectũ sensibile, ita quòd hac sola ratione possit cognoscere, non videtur excedere vires sensitiuas, neque oppositum firma ratione ostendi potest. Et iuxta prædictam distinctionẽ potest facile exponi Diuus Thom. loco cita. & 2. contra Gentes capit. 66. cum dicit non posse sensum aliquem supra se reflecti, vbi non placet eorum interpretatio, qui asserunt S. Thom. eo loco tantùm loqui de sensu externo, ponit enim exemplum in visu; nam quamuis S. Thom. vtatur exemplo sensus externi, de illo enim est res clara & notissima, tamen quòd etiam loquatur de sensu externo, ex eo conijci potest, quòd ibi impugnat antiquos Philosophos asserentes intellectum non distingui à sensu, quos plane cõstat, nõ fuisse locutos de sensu externo, cum ex eorum sentẽtia in brutis reperiantur sensus externi, non tamen intellectus: intendit ergo S. Tho. probare intellectum distingui à sensu interno: ergo ratio illa, quòd scilicet intellectus supra se reflectatur, non vero sensus reuera iuxta mẽtem D. Tho. intelligenda est etiam de sensu interno, aliàs non assumeret sibi impugnandam sentẽtiam antiquorum.

Vltimò dubitari potest in hac quæstione vtrũ etiam sit munus sensus communis tribuere efficacitatem sensibus externis ad sentiendum. Quidam enim ita affirmant, tamẽ si hæc sententia asserat ab ipsa potentia sensitiua quæ est sensus communis deriuari qualitatem quandam quasi coadiuuantẽ sensus externos ad suas actiones exercendas, meritò cõmuniter reijcitur, quia hoc & fictitium est, & absq; fundamento, & non recte explicari potest quæ, & qualis sit virtus illa, deriuata à potentia, quæ est sensus communis: si tamẽ hæc sententia intendat spiritus vitales necessarios ad sensationẽ deriuari à cerebro, in quo residet sensus communis, vera est: nam iuxta probabiliorem, & communiorem Medicorum sentẽtiam nerui, per quos huiusmodi spiritus vitales deriuantur, ortum habent à cerebro, non verò à corde; quod non est nostri muneris probare.

ita postquã cap. 2. egit de sensu communi, deinde nouum caput instituit de imaginatione, & lib. de insomnijs, cap. 1. dicit sensitiuum, & imaginatiuum esse idem numero, id est, idem subiecto; in essentia verò, & ratione formali differre.

Et rationibus videtur eadẽ sententia probari. Primò, quia potentiæ distinguuntur per obiecta adæquata, sed memoria tantùm habet pro obiecto sibi adæquato rem præteritã, vt præterita est; memorari enim tantùm potest fieri circa rem præteritam: imaginatio autem pro obiecto sibi adæquato habet tam rem præteritam, quàm rem præsentẽ; sic possumus enim imaginari tam circa rem præsentem, quàm absentem: ergo necessariò fatendum est esse plures sensus internos realiter diuersos.

Secundò, quia organum memorię necessariò debet esse diuersum ab organo imaginationis: ergo etiam ipsę potentiæ, quæ in talibus organis residẽt. Probatur antecedẽs, quia cùm memoria sit potẽtia memoratiua, requirit in suo organo temperamentum aptũ ad retinendas species rerum prę teritarum, cùm inter primas qualitates siccitas sit maximè retentiua, qualiter experimur corpora sicca diutiùs retinere figurã in illis impressam, quã corpora humida, necessarium est ad organum memorię temperamentum primarum qualitatum, in quo prędominetur siccitas. Imaginatio autem potiùs prærequirit prædominiũ aliquale humiditatis, qualiter experimur homines habentes cerebrum nimis siccum, licèt memoria polleant, habere tãmen hebetem imaginationẽ: sed impossibile est in eodem organo, aut in eadẽ parte subiecti prædominari siccitatem, & etiam humiditatem: aliàs in eadem parte eadem qualitas esset maior, & minor: ergo necessariò requirunt diuersa organa memoria, & imaginatio, atque adeò sunt diuersę potentiæ.

Tertiò, quia contingit lædi imaginationem, non læsa memoria; sæpè enim experimur, homines habentes deprauatã imaginationem, ita vt malè iudicent, & discurrant, optimã tamen habere memoriam: & apertum indicium est, memoriam esse potentiam realiter diuersam ab imaginatione.

Vltimò etiam sumitur coniectura, ex eo quòd in cerebro, vbi residet sensus internus, sunt plures cellulæ, quibus-

buſdam tunicis diuiſę, vt ſint diuerſa domicilia ſenſuũ internorum: ergo etiam ibi ſenſus reſidentes ſunt plures, & condiſtincti.

Vltima tandem, & vera ſententia nobis tenenda eſt, tãtũ eſſe vnicum ſenſum internũ, qui ſecundum varios actus, quos habet, varias ſortitur denominationes, & ita appellatur ſenſus communis imaginatio, ſeu phantaſia ęſtimatiua, ſeu cogitatiua, memoria, ſeu reminiſcentia. Fateor hãc ſententiam apud authores nouam eſſe, quanuis enim ipſi circa diſtinctionem vnius ſenſus interni ab alio, in varias ſententias ſint diſtracti, tamen ferè omnes plures ſenſus internos admituunt: habet tamen hæc ſententia duos fautores non paruæ authoritatis. Nam in primis Auguſt. lib. 2. de libero arbitrio, capite 3. & 4. poſtquàm probauit neceſſariò eſſe ponendos plures ſenſus externos, & prętet externos eſſe ponendum aliũ internum, ſolum ponit vnum internum, clarè tamen, & diſtinctè. Probauit doctè hãc ſententiam ſubtilis Thomiſta Pater Suarez in ſuis commentarijs, quæ olim dictauit, licèt non ſint hoc tempore typis mandata. Eam ſequuntur doctiſsimi viri. In eius autem probatione diſcurrendum eſt per ſingulos ſenſus internos, qui aſsignari ſolent, vt oſtendamus inter illos nullam eſſe realem diuerſitatem.

Et in primis, quòd imaginatio, ſeu phantaſia, quod idẽ eſt, non diſtinguatur realiter à ſenſu communi, docuit Galen. lib. 8 de vſu partium, capit. 6. & de differentijs ſimptom. cap. 3. Valleſ. lib. 2. controuerſ. medic. cap. 22. Gregor. Niſſen. lib. 4. de viribus animæ, cap. 6. & 7. Damaſcen. 2. lib. de fide, cap. 17. & 20. & videtur indicare Ariſt. lib. de memoria, & reminiſcentia, capit. 1. vbi dicit phantaſiam eſſe paſsionem, ſeu affectionem ſenſus communis, quaſi actum phantaſiæ reducat ad ſenſum communem. Reſpondet S. Thom. 1. part. q. 78. art. 4. ad 3. & ſect. 3. de memoria, & reminiſcẽtia: ideò phantaſiam appellari ab Ariſt. paſsionem, ſeu affectionẽ ſenſus communis, non quia actus phantaſiæ pertineat ad eandem potentiam, quæ eſt ſenſus communis, ſed quia phantaſia ſupponit actum ſenſus communis: nam cùm phantaſia ſit potẽtia cognoſcitiua obiectorum ſenſibiliũ, etiam in eorum abſentia, ad quod

opus

opus est, priùs cognouisse illa præsentia, quod fit per sensum communem: ideò phantasia est potentia subordinata ad sensum communem, & in sua operatione posteriorem illo, & ita appellatur passio, seu affectio sensus communis.

Hæc tamen solutio non est ad mentem Aristotelis, nam eadem ratione dici posset, phantasiam esse passionẽ sensuum externorum, quia in sua operatione supponit operationes illorum, & est illis posterior. Imò etiam phantasma, seu idolum productũ per phantasiam, posset dici passio sensus communis, quia iuxta hanc sententiam supponit operationem pręuiam sensus communis; cùm ergo Arist. peculiariter dicat, phantasiam esse passionem, seu affectionem sensus communis aliquid aliud videtur intendere.

Et ratione probatur hæc sententia, quia sicut sensus communis percipit sensibilia præsentia, ita & phantasia percipit eadem sensibilia præsentia, imò & absentia: ergo non est, cur sensus communis ponatur distincta potentia ab imaginatione, seu phantasia; sed actus sensus cõmunis reducendus est ad imaginationem.

Antecedens autem probatur. Primò, quia imaginatio habet vim in opinione omnium ad percipienda sensibilia absentia, verè enim imaginamur circa rem absentem: ergo multò meliùs poterit percipere eadem sensibilia, quando pręsentia sunt. Patet consequentia, quia præsentia obiecti potiùs iuuat ad cognitionem, quàm illam impediat: ergo impertinenter ponitur alia potentia diuersa ab imaginatione ad percipienda sensibilia pręsentia.

Secundò, quia species impressæ, quæ producuntur in phantasia, vt operetur, non producuntur in illa, quando sensus communis non operatur, quia tunc nullam possemus assignare causam productiuam talium specierum, cùm in sententia asserentium phantasiam distingui à sensu communi, species expressa sensus communis producat aliam impressam in imaginatione: ergo imaginatio iuxta hanc sententiam recipit species impressas simul quando operatur sensus communis, ergo tunc potest operarari, siquidem illa iam est constituta

tuta in actu primo per ſpeciē expreſſam: atque adeò neceſſariò cōcedendum eſt, q̄ imaginatio non minùs quā ſenſus communis percipiat ſenſibilia præſentia: ergo fruſtrà ponitur ſenſus communis potentia diuerſa ab imaginatione, ſeu phantaſia.

Reſpondent authores contrarij verum quidem eſſe, imaginationem ita percipere ſenſibilia præſentia, ac ſenſus cōmunis percipit: dicunt tamen adhùc realiter diſtingui ſenſum communem ab imaginatione, eoquòd ſenſus communis tantùm percipiat ſenſibilia præſentia, dum præſentia ſunt: imaginatio verò non tātùm percipit præſentia, ſed etiam abſentia: quod ſatis eſt, vt iſtæ potentiæ ſint realiter diuerſæ, ſicut in opinione omnium ſenſus communis diſtinguitur realiter à ſenſibus externis, quia non ſolùm percipit ſenſibilia cuiuslibet ſenſus externi in particulari, ſed etiā alterius: ergo ſicut propter hāc maiorē vtilitatē diſtinguunt omnes ſenſum communem à ſenſibus externis, non mirum quòd propter ſimilem maiorem vtilitatem diſtinguatur imaginatio à ſenſu communi.

Hæc tamē ſolutio nulla eſt, nam vt ſuprà lib. 2. cap. 3. dicebam circa diſtinctionem potētiarum plures circunſtantiæ conſiderandæ ſunt, ne pro libito, & ſine fundamento plures diſtinguamus potentias: vnde ad diſtinguendum ſenſum communem à quouis ſenſu exteriori, procedimus ab experientia, qua experimur, v. g. viſum (& idē eſt de quouis alio ſenſu externo) nō percipere ſenſibilia alterius ſenſus externi, atque adeò neq; poſſe inter illa diſcernere. Quo principio, tanquàm experientia comperto, diſcurrimus inde ad probandū, ſenſum communem percipientē omnia ſenſibilia, quantumuis diuerſa, ſenſuum externorū, eſſe potentiam realiter ab illis diuerſam: tamen cū tota operatio ſenſus communis poſsit facilè reduci ad imaginationē, neque habeamus aliquod ſufficiens fundamentum ad diſtinguendum ſenſum communem ab imaginatione, vt patebit ex ſolutione argumentorum, fruſtrà affertur talis diſtinctio: aliàs ſi ſola maior vtilitas ſufficeret ad diſtinguēdas potentias realiter, facilè poſſet quis dicere, dari duas potentias viſiuas realiter diuerſas, altera quę tantùm percipiat colorem album, altera verò

vero non solùm album, sed etiam alios colores,

Quare alij Iuniores respõdent concedentes, etiam imaginationem posse versari circa obiectum præsens, quando scilicet actu sentitur a sensu externo, dicunt tamen adhuc distingui imaginationẽ à sensu communi, ex eo quòd talis præsentia obiecti per accidẽs se habet respectu imaginationis, quia etiam potest versari circa obiectum absens, at vero in sensu communi præsentia actualis obiecti se habet per se ad illum, quia nõ potest percipere obiecta nisi præsentia.

Sed neq; hæc solutio satisfacit, nam quanuis verum sit, quòd prẽsentia obiecti requiratur necessario ad sensum internum, prout denominatur cõmunis; solũ enim denominatur sensus communis prout habet hoc peculiare munus, quod est percipere sensibilia, prout sensata actu à sensu externo, tamen quòd hæc eadẽ potentia non possit habere aliud munus, scilicet percipere sensibilia, tã actu sensara, quã absentia, & ita hoc modo denominetur imaginatio nõ probatur, aliàs, vt dicebam, facile posset quis dicere, esse duas potentias visiuas, alteram quæ comparetur ad colorem absolute, prout omnes colores cõprehendit, ad quam per accidens se habet, quòd color sit albus: alteram verò, quæ per se tantum comparetur ad colorem album: habemus ergo ex dictis sensum communem nõ distingui ab imaginatione.

Vt autem probemus neque imaginationem, seu Phantasiã distingui ab æstimatiua, seu cogitatiua, quod idẽ est. Aduertere oportet in sensu interno adhuc brutorum dari quendam actum, quo apprehẽdunt quædam obiecta, vt sibi disconuenientia, & contraria, qua ratione ouis viso lupo fugit, cum tamen non fugiat viso alio animali, quod indicium est, ouem nescio quam inimicitiam in lupo apprehendere, aliqua vero obiecta, vt sibi cõuenientia apprehendunt, qua ratione canis viso cibo pergit ad illum capiendum: potẽtia ergo interna percipiẽs huiusmodi obiecta, vt conueniẽtia, aut disconuenientia, appellatur æstimatiua, seu cogitatiua.

Est tamen dubium: an hæc potentia, vere percipiat huiusmodi inimicitiam, aut conuenientiam, quidam enim existimant hoc excedere vires potentiæ sensitiuæ, sunt enim

cõuenientia, aut diſconueniẽtia, relationes quædã, quæ vix intellectu capi poſſunt, quãtò magis ſenſu; vnde dicunt ouẽ viſo lupo, vere nullam inimicitiam apprehendere, ſed eam habere naturã, vt viſo tali colore, & figura, qualem habet lupus, ſtatim fugiat.

Alij tamen probabiliùs exiſtimant ouem non ſolùm colorem, & figuram lupi cognoſcere per ſenſum internũ, ſed etiam quandam ſibi inimicitiam, & diſconueniẽtiam fingere, illãq; quodã modo apprehendere, nimis tamẽ cõfuſe, & ſolũ quoad quæſtionem an eſt, non verò quid, aut qualis ſit illa inimicitia, hoc enim adhuc inter homines, ruſtici nõ percipiũt. Et reuera hęc ſẽ tẽtia veriſimiliter apparet: nã difficile videtur, q̃ ouis tantùm colorẽ & figurã lupi percipiat, nõ verò diſconuenientiã aliquã, fugiat, & contriſtetur. Et explicari poteſt exemplo; nam tam difficile percipitur actio vitalis, quàm relatio, & cum hoc fere omnes autores admittunt ſenſum internũ percipere ſenſationes ſenſuũ externorũ, quãuis nimis confuſe, & ſolùm quoad quęſtionem an eſt, ita vt nullo modo cognoſcat quid, aut qualis ſit illa actio: ergo ſimile quid facile poteſt intelligi de cõueniẽtia, aut diſconuenientia obiectorũ ſenſibilium, ita vt ſicut ſenſus internus non cognoſcit ſenſationem ſenſus externi, quaſi in abſtracto, ſed cognoſcit obiectũ, prout ſenſatũ à ſenſu externo; ita cognoſcat lupum prout inimicum, non tamen inimicitiam in abſtracto, hæc enim, vt ſic, non eſt obiectũ ſenſibile ſenſu aliquo; bene tamẽ priori modo, licèt imperfectè.

Statim verò oritur difficultas, an diſcõueniẽtia lupi, verbi gratia, cognoſcatur à ſenſu interno per eandẽ prorſus ſpeciem, per quã cognoſcitur color, & figura lupi. Reſpõdetur negatiue, quia cum diſconuenientia illa ſit obiectũ diuerſæ rationis, neceſſariò poſtulat ſpeciem nouam diuerſæ rationis, per quam cognoſcatur: quæ ſpecies an ſit diſtincta ab alia ſicut res à re, vel ſaltem ſicut modus explicãdum eſt, ſicut quæſtione ſuperiori locuti ſumus de ſpecie repræſentãte ſenſationẽ ſenſus exterioris, & eodẽ modo eſt loquendum de cauſa productiua talis ſpeciei, eſt enim ſimilis ratio, & ſicut nullus externus ſenſus percipit ſuã ſenſationẽ, ita neque conuenientiã, aut diſconuenientiã obiecti, ſed hoc pertinet

tinet ad sensum internum: & hinc dici solet cõmuniter cogitatiuã, seu æstimatiuã percipere per species non sensatas, quas elicit ex speciebus sensatis: nam viso lupo sensu externo, deinde quandã disconuenientiã fingit, per species nõ sensatas sensu externo, idest, per diuersam speciem ab illa, qua cognoscit colorem sensu externo sensatum.

His suppositis, q̃ æstimatiua, seu cogitatiua, nõ sit potẽtia realiter diuersa ab imaginatione tenet Card. Tol. hoc li. q. 6. Sebast. Perez. c. 3. huius li. q. 1. Fonsec. 5. Met. c. 28. q. 27.

Et ratione probatur, quia æstimatiua, vt probauimus, non cognoscit conuenientiã, aut disconuenientiã in abstracto, sed cognoscit lupũ, vt discõuenientẽ: ergo eadẽ potentia, quæ vtitur speciebus nõ sensatis ad cognoscendã inimicitiã, quæ est in lupo, etiã vtitur speciebus sensatis ad cognoscendũ lupũ, vtrũq; enim cognoscit nẽpe lupũ vt inimicũ, non vero solam inimicitiam in abstracto; sed ille sensus internus, qui vtitur speciebus insẽsatis, appellatur æstimatiua, qui vero vtitur speciebus sensatis appellatur imaginatio: ergo vterq; actus pertinet ad eãdem potentiã, atq; adeò imaginatiua, & æstimatiua nõ distinguuntur realiter.

Secundò, quia lõge difficilius est cognoscere lupũ vt inimicũ, quod fit per æstimatiuã, quã cognoscere lupũ absolute: ergo si æstimatiua habet virtutẽ ad cognoscendum lupum vt inimicũ, multò melius eam habebit ad cognoscendum lupum præsertim cũ vnũ necessariò includatur in alio. Quæ sententia adeò vera est, vt illam nostræ Academiæ magistri negare non audeant.

Patet ergo ex dictis vnam eandẽq; potentiam esse sensum communem, imaginationem, & æstimatiuam. Vt autẽ probemus neque memoriam distingui ab imaginatione, aduertendum est non satis esse cognoscere rem prius sensatã, nisi cognoscatur, vt priùs sensata hoc enim significat nomẽ, memoria: vnde si quis imaginetur circa Petrum, quem olim vidit, ita vt non cognoscat se illum vidisse, sed quasi abstrahendo à temporis differentia, reuera ille actus potiùs ad imaginationem, quàm ad memoriam pertinet, solum ergo erit actus memoriæ, quãdo cognoscitur obiectũ, vt prius sensatũ, vtcumquis recordatur se vidisse Petrum, vbi

naturali Propheciæ illustretur, sed quòd simplici intuitu apprehendat rem prout futuram, siue in rei veritate ita sit futura, siue non, quod satis indicare videntur nonnullæ experientiæ, hac enim ratione canis alligatus, visso cibo, cupit dissolui, vt ad cibum appropinquare possit, apprehẽdit ergo futuram sibi esse comestionẽ, si dissoluatur. Hac etiam ratione sæpe animalia conantur aperire oculos, vt videant, ex appetitu visionis, neq; obstat quòd futurũ nondum impresserit speciem sui, vt cognosci possit, potest enim percipi per speciem alterius rei iam sensatæ; nihil enim repugnat per speciem comestionis aliquando habitæ, cognosci comestionem futuram per modum illius, quod diuersimodè conuenit sensui ac intellectui, intellect' enim intelligit rem spiritualem per speciem rei materialis penetrando essentiam, & prædicata essentialia talis rei, sensus autem nimis confusè versatur circa sua obiecta.

Sed obijciunt quidam: nam cognitio sensus interni potest ferri in futurũ, vt futurũ est: ergo appetitus sensitiuus, qui vt infra dicã, huiusmodi cognitionem sequitur, poterit appetere futurum, vt futurũ est, atq; adeo bruta operarentur propter finem, quod propriũ esse tantùm creaturæ rationalis docet tota Theologorum schola. Respondetur operari propter finem proprie, ita q̃ cognoscatur proportio, quæ est inter mediũ & finẽ, hoc esse proprium creaturæ rationalis, tamẽ operari propter finẽ improprie, prout tantùm dicit moueri ex fine ad acquirẽdum illum, etiam brutis cõuenire potest: imò etiam agẽtia naturalia quodam modo operantur propter finem, vt ex cõmuni Philosophorum consensu vidimus. 2. lib. Physic. disput. penultima.

His suppositis quòd memoria nõ distinguatur realiter ab æstimatiua, quæ vt nos probauimus, idem est, quod imaginatio, docuit Sebastianus Perez, & Fonseca locis supra citatis: iuxta quam sententiam expẽdo verba Arist. de memoria, & reminiscentia. c. 1. dum dicit memoriam ad eandem animæ partem pertinere, ad quã pertinet imaginatio, id est, ad eandem potentiam, ratio autem est iam suprà tacta, quòd si memoria habet vim ad percipienda obiecta sensibilia in absentia eorum, multo melius eam habebit ad percipienda illa

dit in obiectũ, vt priùs sensatum, vnde videntur actus ita adæquati, ad vnicã, eandéque potentiam pertinẽtes, sicut in intellectu eadẽ potentia, quæ absolute intelligit, habet etiã intelligere cũ discursu ex vno aliud inferendo, præsertim cũ aliàs ex parte organi non possit sumi fundamentum ad distinguendas has potentias, vt ex dictis constabit.

Et si inquiras, quid sibi velit Arist. cap. 1. citato de memoria, & reminiscentia, cum dicit ingeniosiores difficiliùs reminisci, eos verò, qui tardiores sunt in genij magis pollere memoria. Respondetur Arist hoc loco tantùm velle, ꝙ cum vt infra dicam, necessariũ sit, intelligentem phantasmata speculiari, ita vt simul cum cognitione intellectiua sit cõiũctus aliquis actus sensus interni, in reuera qui promptiòres sunt ad discurrendum etiam habẽt sensum internum aptiorem ad pluralitatem successiuam actuum circa obiecta connexa, hi tamen, vt implurimùm, non habẽt temperamentum ita aptum ad actũ memoriæ.

Patet ergo ex dictis hactenus tantum dari vnicũ sensum internum secundũ rem, qui secundum varios suos actus diuersas sortitur denominationes: nam in quantum percipit obiecta præsentia prout actu sensata sunt à sensu externo, appellatur sensus communis, prout vero percipit obiectũ, vt prius sensatũ simplici quadam recordatione, appellatur memoria, prout verò hoc præstat successione quadã actuũ, appellatur reminiscẽtia: prout vero percipit obiecta sensibilia, secundũ se, quasi abstrahẽdo ab his temporis differẽtijs, appellatur imaginatio seu phãtasia: tandẽ vero inquantũ ex speciebus sensatis percipit obiecta non sensata sensu externo per species nõ sensatas, appellatur æstimatiua seu cogitatiua, in re tamen vnicus tantũ sensus internus est. Quę sentẽtia licèt nõ sit ita cõmunis, tamen reuera est probabilior, & quod attinet ad identitatem Phantasiæ cum sensu communi, & sic de alijs, pluribus autoribus defenditur, licèt pauci ex illis tantùm vnicũ sensum internum admirtant.

Si autem aliquis inquirat, an saltem possit concedi esse plures sensus internos formaliter diuersos. Respõdetur ꝙ si loquamur de distinctione formali essentiali, non potest concedi, distinctio enim essentialis potentiarum debet desumi

mi ex actibus, & obiectis adæquatis: obiecta autē, & actus hactenùs connumerati sunt in adæquati respectu sensus interni. Præterea, quia si simul admittam⁹ huiusmodi sensus internos distingui essentialiter, nō est cur etiā non admittamus non distingui realiter: nam ad distinctionem realem potentiarum satis est quòd habeant actum, & obiectum adæquatū diuersum, etiam si habeant idem organum, vt patet de gustu, & de tactu linguæ. Vnde non placet, qui contendūt explicare S. Tho. quatuor internos sensus assignantem, quòd loquatur de distinctione formali essentiali: nam preterquā quod hoc falsum est, vt vidimus, etiam pugnat cum mente D. Thom. probat enim hanc sensuum pluralitatem ex diuersitate organorum: potētiæ autem, quæ habent organa diuersa, necessariò distinguūtur realiter, loquitur ergo de distinctione reali.

Dicendum ergo est huiusmodi sensus internos tantùm distingui formaliter accidentaliter, scilicet penes diuersas denominationes, quas in ordine ad diuersos actus inadæquatos habent, vt vidimus, non secus quàm potentia intellectiua inquantum absolute intelligit, appellatur Intellectus, & inquantum intelligit res præteritas appellatur memoria intellectiua, & in quantum intelligit discurrendo appellatur ratio, cum tamē nullus concedat in homine plures potentias intellectiuas essentialiter diuersas adhuc distinctione formali, sed solū penes diuersas denominationes eiusdem potentiæ sumptas ab actibus inadæquatis illius.

Dubitabit tamen deinde aliquis vtrum etiam hic sensus erret circa suū sensibile. Respondetur etiam errare aliquādo, quia sæpè concipit rē absentem, vt præsentem, vt patet de actu imaginationis.

Tandem ad argumenta cōtrariæ sententię respondetur, pro quo aduertendū est, quòd cum sensus internus vnus sit, vnicū tantum habet organū, in quo resideat, tamen hoc organum non requirit temperamentum omninò idem ad diuersos actus huiusmodi sensus: nam vt in illo vigeat actus memorandi, debet in tali temperamento aliqualiter vigere siccitas, quando verò calor habet certam quandam proportionem cum siccitate, ita vt frigiditas & humiditas sint in minimo gradu, est temperies ad rectam imaginationē & memo-

moriam, quia cum memoria sit potentia intimius retētiua, requirit aliqualem siccitatē, quæ ad hunc effectum præcipue deseruit, calor verò in certa proportione admixtus alijs qualitatibus efficit tēperiem accōmodatam imaginationi, & hinc fit quòd quāuis organum huius sensus in re vnum sit, tamen secundum q̄ ex varijs dispositionibus, quas habere potest, aliquādo est magis aptum ad memoriam, aliquando ad imaginationē, ideo secundum hanc diuersitatem accidentalem quodammodo denominatur plura, non secus quàm de sensu ipso interno diximus.

Vnde patet facilis solutio ad illum primū locum Arist. qui reliquis difficilior erat, dū dicit, *Semotis sensibilibus, manere insensorijs imaginationes*, vbi appellat organū huius sensus sensoria in numero plurali propter varias denominationes, quas sentire potest, secundum quod ex diuersa dispositione ad diuersos actus huius deseruire potest, nō verò quia sint plura organa realiter diuersa. Quòd vero in hoc lib. diuersum caput instituat de imaginatione, ac de sensu cōmuni, nihil impedit, ad hoc satis est quòd hæc duo sint diuersa munera eiusdem potentiæ, sicut etiam seorsum agit de intellectu agenti ac de possibili, cum tamen in opinione multorum satis probabili intellectus agens, & possibilis non sint potentiæ realiter diuersæ: de quo infra.

Ad vltimum locum ex cap. 1. de insomnijs, sunt qui putēt Aristotelem quando dicit sensitiuum, & imaginatiuum differre in essentia, & ratione formali, non tam loqui de potentijs quàm de actibus, quasi dicat, actum imaginationis differre in essentia ab alijs actibus huius sensus; tamen reuera non videntur loqui ad mentem Arist. nam verbum illud *Imaginatiuum*, potentiam denotat potiùs quàm actū, & ita communis versio Argiropili, & Vatabli clariùs id habet his verbis. *Imaginandi vis eadem numero est cum potētia sentiendi, quāuis essentia, rationeq; differant*. Vbi ex cōmuni interpretum consensu has potētias appellat easdem numero, ideſt, easdem subiecto. Sunt tamen statim difficilia verba illa, *Quanuis essentia, rationeq; differant*: explicāda tamē sunt iuxta prædictam doctrinā: nā quemadmodum esse albū, vel nigrum, sunt differentiæ accidentales respectu hominis, ta-

men homo, in quãtum albus, præciſſe, & reduplicatiue eſſentialiter differt ab homine nigro, vt niger eſt: ad eundem modum in ſenſu interno, quãuis imaginatio, & memoria accidentaliter differãt ex diuerſa denominatione ſignificante potentiam ordinatam ad diuerſos actus, tamen prout ſic, ſcilicet prout præciſſe dicitur memoria, quodãmodo differt quaſi eſſentialiter ab imaginatione prout imaginatio eſt præciſſe abſolute; tamen ſecludẽdo has reduplicationes nõ diſtinguuntur eſſentialiter.

Ad primã rationẽ reſpõdetur, quod quanuis res præterita ſit obiectũ adæquatũ memoriæ prout memoria dicit ſenſum internum conſideratũ ſub hac denominatione memoriæ, non tamẽ eſt obiectũ adæquatum memoriæ, prout memoria ſignificat ſenſũ internũ abſolute; hic enim ſenſus ſe extẽdit ad alia obiecta præſentia; quem quanuis obiectũ adæquatum intellectus, prout præciſſe cõſideratur vt apprehenſiuus, ſit verum apprehenſibile; tamen obiectũ adæquatum intellectus abſolute, non tantùm eſt verum apprehenſibile ſed iudicabile etiam, vnde eadem potẽtia eſt quæ apprehẽdit, & quæ iudicat, ſic ergo dicendũ eſt de memoria, & de ſenſu communi.

Ad ſecundam idem organũ ſecundum idem temperamentum qualitatum, eſt magis aptũ ad actũ memorandi: idẽ vero organũ ſecundũ aliud tẽperamentũ, quod poteſt habere, eſſe magis aptum ad actũ imaginationis: vnde ſolùm probatur eũdem ſenſum internum ex diuerſitate temperamẽtorum in quibuſdam eſſe magis aptum ad vnum actũ, in alijs verò ad alium, ſicut inter ſenſus externos experimur, guſtum huius hominis eſſe magis aptũ ad percipiendũ hunc ſaporẽ, ad alios verò nõ ita ex vi talis tẽperamenti, q̃ habet.

Et hinc patet ſolutio ad tertium nam eadem potentia poteſt lædi, quantùm ad exercitiũ vnius actus, cũ tamẽ quantũ ad alios actus illæ maneat, vt dicebam de guſtu reſpectu ſaporis: imò in intellectu ſimile quid experimur, ſunt enim plures qui facilime apprehendunt, diſcurrunt tamen difficile: nihil ergo mirum, quod immutatione tẽperamenti in ſenſu interno lædatur iſta potentia quantum ad actum imaginationis non tamen quo ad exercitium memoriæ. Ad vltimam rationem patebit de organo huius ſenſus.

Quæſt.

Quæst. III. Vtrùm animalia habeant sensum internũ, & an hic sensus differat specie in homine, & in brutis.

QVantùm ad primũ, quod inquirit quæstio, aliquorum est sententia, quædã esse animalia adeò imperfecta, vt non habeant sensum internũ. Videtur indicare Card. Tole. hoc lib. q. 8. Pro qua sententia nullam nec probabilẽ video rationem: solùm potest adduci Arist. qui. cap. 3. huius libri text. 156. dicit in apibus, & formicis non esse imaginationẽ.

Dicendum tamẽ est omnia animalia quantumuis imperfecta habere sensum internũ licèt in pluribus eorum non sit ita perfectus. Docuit Caietan. Thienẽsis, & Ægidius hoc loco, & aperte docuit Arist. 2. lib de anima tex. 20. vbi dicit, quod quibus ineſt sensus in est imaginatio: sed omnia animalia habẽt sensum: ergo omnia habent imaginationem, & 1. lib. Metaph. capite primo docet oĩnia animalia Phantasijs viuere. Ratio vero est, quia animalia omnia præter appetitum naturalem, rebus adhuc in sensibilibus communẽ, reuera habent appetitum sensitiuum, vt bonum proprium & suarum potentiarum appetãt, fugiantque nociua, sed appetitus sensitiuus sequitur cognitionem sensitiuam, non quidẽ sensuũ externorũ, sed potius interni, qua proponatur illi obiectum, vt conueniens, aut disconueniẽs, quod à solo sensu interno fieri potẽst: ergo reuera animãlia omnia habent sensum internum, & quidem de formicis & apibus, quæ satis imperfectę sunt docet aperte experientia: formicæ enim per eandem semitam ad suum domiciliũ reuertũtur, & apes ad suum locum, in quo mellificant, redeunt: quod satis indicat huiusmodi animalia habere memoriam. De imaginatione etiam colligitur, nã hæc animalia maxima prudẽtia pollent, quod sine imaginatione esse non potest.

Ad Aristotelẽ autem, Auerroes, & Albertus super illum textũ cũ Aristotelẽ ad bonũ sensum adducere nõ audeãt, dicũt q; exemplorũ nõ requiritur veritas, & ita exẽpla illa ab Arist. adducta falsa esse. Melius tamẽ Philo. & Tole. duplicẽ sensum internum cõsiderari posse asserũt, alterũ disciplinabilem, quem habent canes, & plura alia animalia, quæ ad plura exercitia dicipiiniabi-

lia ſunt, & hunc ſenſum nõ habent apes, & formicę; ad nihil enim de nouo diſciplinabiles ſunt; tamen reuera habent ſenſum internum nõ diſciplinabilem.

Quantum ad ſecundum, ꝙ inquirit quæſtio, ſcilicet an ſenſus internus hominis differat ſpecie à ſenſu interno brutorum, duæ ſunt ſatis probabiles ſententiæ: altera aſſerentium ſenſum internum hominis differre ſpecie à ſenſu interno brutorum, quia vt oſtẽdimus, ſenſus internus hominis poteſt ſupra proprium actum reflecti, quod tamẽ ſenſus brutorum minime poteſt: tum quia non eſt indiciũ aliquod ab experientia ſumptũ ad hoc aſſerendum, tum etiã, quia non eſt cur tanta perfectio brutis tribuatur.

Alij vero etiam probabiliter defendunt ſenſum internum hominis eſſe eiuſdẽ ſpeciei cum ſenſu interno brutorum, ſicut de ſenſibus externis diximus ex communi ſententia. Ratio eſt, quia cũ huiuſmodi potentia ſenſitiua ſequatur hominem ſecundum rationem animalis, nõ ſecus, quàm ſenſus externi, ſicut ſenſus externi non differunt ſpecie in vtriſq;, ita neq; interni: præſertim quod non ſatis probatur in ſenſu interno brutorum non poſſe eſſe reflexionẽ ſupra proprium actum: nam quanuis ab experientia nullũ indicium ſumi poſsit, ſicut neq; ad probandum quòd nõ poſsit eſſe talis reflexio: aliun de tamen poſſumus coniectari: nam cum talis reflexio ſupra proprium actum non excedat vires ſenſitiuas, nõ eſt cur animalibus maxime perfectis denegetur, licèt ab experientia nihil nobis conſtet, imò etiam hoc ipſo admiſſo, adhuc videtur non ſufficienter probari diſtinctionem ſpecificam inter ſenſum internum hominis, & aliorum animalium, poteſt enim intelligi, quòd ex peculiari temperamẽto, quo imeliùs ſit diſpoſitum organũ huius ſenſus in homine, ſit aptus ad huiuſmodi actum, nõ verò ſenſum brutorum, non quidẽ quia ex ſe non poſſet, ſed ex defectu tam perfecti temperamenti. Fateor neutram ſententiam efficaciter ſuaderi, hęc tamen ſecũda mihi veriſimilior apparet.

Quæſt. IIII. Quomodo producantur ſpecies impreſſæ in ſenſu interno.

QVanuis ſupra lib. 2. capit. 5. actum ſit de productione

ne ſpecierum ſenſibilium ſenſuum extèrnorum, de modo tamen, quo ſpecies impreſſæ perueniãt ad ſenſum internũ, ad hunc locum proprium diſputãdum remiſsimus, & quidẽ de modo, quo ſpecies expreſſa producitur à ſenſu interno mediante ſpecie impreſſa in illo recepta, nihil peculiare notãdum occurrit, ſed quæ ſuprà dicta ſunt de ſenſu externo, proportionali modo intelligẽda ſunt de ſenſu interno, imò & de intellectu; quare ſolùm hoc loco habet peculiarẽ difficultatẽ, quo modo producãtur ſpecies impreſſæ in ſenſu interno.

Omiſſa autem ſententia Auerr. & aliorum, qui aſſerunt, ponendum eſſe ſenſum agentem ad producendas ſpecies ſenſibiles impreſſas, nõ ſecùs quã ponitur intellectus agens ad producendas ſpecies intelligibiles, de quo dicam capite de intellectu agenti.

Supponendum eſt in primis neceſſariò ponendas eſſe ſpecies impreſſas in ſenſu interno ad percipiẽdas obiecta ſenſibilia, quod ſimilibus rationibus probandũ eſt, ac de ſenſu externo, hîc enim applicatæ eandem habent vim: eſt enim ſenſus internus potentia ex ſe indifferens ad percipiendum hoc, aut illud obiectum ſenſibile: vnde oportet ponere in eo ſpecies impreſſas obiectorum, vt determinetur ad percipiendum hoc obiectum potius quàm illud.

Secundò ſupponendum eſt quãtum attinet ad cauſam efficientem, huiuſmodi ſpecies non produci ab obiecto, ſicut producuntur ſpecies ſenſuũ externorum, niſi nimis remotè. Sic docuit S. Tho. de ſpiritualibus creaturis art. 10. argumento vltimo cum ſua ſolutione, & quæſtione de anima art. 4. ad. 1. & 1. p. q. 78. art. 4. ad. 2. vbi dicit ex immutatione facta in ſenſu externo reſultare aliã in ſenſu interno: ergo obiectũ producẽs ſpeciẽ ſui in ſenſu externo, non producit illam immediate in ſenſu interno, ſed ex priori immutatione, alia interior ſubſequitur. Et ratio eſt euidens, quia ſæpe obiectum ſenſibile agit in ſenſum externum, cũ tamen ſi ſenſus externus ob defectum attentionis animæ non eliciat ſenſationem, nulla imago talis obiecti remanet in ſenſu interno: ergo obiectum non eſt ſufficiens cauſa ad producendam ſpeciem impreſſam in ſenſu interno: quo argumento etiam cõuincitur, ſpeciem impreſſam ſenſus interno

terni non produci efficienter ab ſpecie impreſſa ſenſus externi, plura enim ſunt animalia, quæ dormiunt apertis oculis, vt non ſolũ in ouibus, ſed in pluribus etiam hominibus experiri licet, & ita dum dormiunt, licèt non eliciant actũ viſionis, obiecta tamẽ ibi prẽſentia, reuera imprimunt ſpeciem ſui in tali potentia viſiua, cum tamen talium obiectorum nulla ſpecies remaneat in ſenſu interno, donec ſenſatione à viſu percipiantur, quod aperte indicat ſpeciem impreſſam ſenſus externi non produci ab impreſſa ſenſus exterioris.

Reſtat ergo difficultas an ſaltem producantur ab ſpecie expreſſa producta per ſenſationem ſenſus exterioris: pars enim negatiua videtur pluribus rationibus conuinci.

Primò, quia vt vidimus ſecundo libro Phyſicę, agens immediatum debet eſſe contiguum cum paſſo, ſed ſenſus internus ſubiectatur in cerebro, vt ex communi Philoſophorum ſentẽtia dicam infrà: ergo impoſsibile eſt ſpeciem expreſſam productã per ſenſationem exiſtentem in pede, producere ſpeciẽ impreſſam in cerebro.

Secundò, quia adhuc ceſſante ſenſatione externa, & perinde ceſſante ſpecie expreſſa, quæ ab illa pendet in cõſeruari, durat ſpecies in ſenſu interno, verè enim imaginamur circa rem abſentem: ergo ſaltem debet aſsignari alia cauſa conſeruans talem ſpeciem, & ita etiam prima productio illius poterit facilè reduci in talem cauſam, quin opus ſit recurrere ad ſpeciem expreſſam ſenſus externi.

Tertiò, quia ſi ſpecies expreſſa ſenſus externi producit aliã impreſſam in ſenſu interno, ſequeretur ſpeciem illam impreſſam eſſe naturalem ſimilitudinem ſpeciei expreſſæ, nõ vero obiecti, vnde per illam non poſſemus percipere obiectum ſenſibile. Patet conſequẽtia, quia ſpecies impreſſa tantùm eſt naturalis ſimilitudo illius, à quo producitur, qualiter ſpecies producta à colore tãtũ repręſentat colorẽ.

Tandem quartò poſſet hoc loco fieri obiectio, nam iuxta hanc ſententiam impoſsibile videtur ſenſum internũ cognoſcere ſenſationes ſenſuum externorũ, cum enim ſpecies expreſſa producta per ſenſationem externã tantùm repręſentet obiectũ, quod ſentitur, non vero ſenſationẽ ipſam, ſolùm videtur poſſe ab illa deriuari

uarī alia ſpecies repræſentatiua eiuſdem obiecti, non vero ſenſationis externę: ergo impoſsibile eſſet dari in ſenſu interno ſpecies impreſſas ſenſationum externarū, hæc tamē ratio iam à nobis ſoluta eſt quæſt. 1. huius diſputationis.

Quare dicendū eſt in hac re; ſpeciem impreſſam ſenſus interni effectiue produci ab ſpecie expreſſa ſenſus externi. Quā ſentētiam, vt cōmunem tenet Fōſe. 1. Met. c. 2. q. 3. ſect. 8. ſubtilis diſputator Mol. 1. p. q. 1. ar. 2. diſp. 4. Ferrar. 1. cōtra Gen. c. 65. §. *ad primū horū*, & hoc loco cōmuniter intepretes, idq; docuit clare Ariſt. de memoria, & reminiſcētia. c. 2. vbi dicit aliquid à ſenſu externo in memoria produci, ſuper quē locū S. Th. id etiā expreſſe docet, & c. 1. ferè circa finē ſic ait Ariſt. loquēs de hominibus maximè humidis. *Primi ergo viſorū impreſsionē ſeruare ac retinere nō poßunt*, ſentit ergo obiecta viſibilia media viſione externa imprimere ſpeciē ſui in ſenſu interno. Ratio autē ſumitur ex dictis, quia huiuſmodi ſpecies ſēſus interni nō poſſunt immediate produci ab obiecto, neq; ab ſpecie impreſſa illius: reſtat ergo dicendum quōd producātur ab ſpecie expreſſa illius.

Eſt tamen difficultas, an fiat ab illa, vt à cauſa principali, vel potiùs inſtrumētali, quod ex eo pēdet, an ſpecies expreſſa ſenſus externi ſit eſſentialiter perfectior ſpecie impreſſa ſenſus interni: nam ꝙ huiuſmodi ſpecies differāt eſſentialiter, cōſtat ex dictis c. 5. nā cū nulla ſpecies impreſſa ſit formalis imago, & ſimilitudo obiecti, qualis eſt ſpecies expreſſa, neceſſarium eſt differant eſſentialiter huiuſmodi ſpecies inter ſe.

Dicendū ergo eſt ſpeciem expreſſam ſenſus externi eſſe eſſentialiter perfectiorem ſpecie impreſſa ſenſus interni, & ita eſſe cauſam principalem illius ſaltem æquiuocam. Ratio eſt quia quāuis ſpecies impreſſa ſenſus interni deſeruiat nobiliori potentiæ, quàm ſpecies ſenſus externi, & ita ſecūdum quid ſit perfectior illa; tamen, quia ſpecies expreſſa eſt formalis imago, & ſimilitudo obiecti conſtituens potētiam cognoſcētē in actu ſecūdo, cū aliàs vtraq; ſpecies ſit materialis, perfectior eſt ſpecies expreſſa ſenſus externi, quàm impreſſa interni. Vnde diſpar videtur ratio ſi compares ſpeciem expreſſam materialem cum impreſſa intelligibili, hęc enim eſt in ſua entitate, & eſſen-

eſſentia ſpiritualis,& ita entitatiue eſt perfectior quauis ſpecie materiali.

Nec placet ſententia Card. Toleti hoc lib.q.3.ad.1. & Bañez.1.p.q.78.art.3.dubio vltimo aſſerentium ſpeciē impreſſam ſenſus interni nō differre eſſentialiter ab ſpecie impreſſa ſenſus externi, etiamſi circa idem obiectum verſentur, quod falſum eſſe ex eo cō uincitur, quòd ſpecies impreſſa ſenſus interni, eā habet naturam, & conditionem, vt etiam abſente obiecto conſeruetur, vt patet de ſpeciebus memorię: ſpecies vero impreſſa ſenſus externi pēdet in fieri,& cōſeruari à prę ſentia obiecti, ita vt illo abſente nō poſſit ex natura rei conſeruari, q manifeſte indicat, huiuſmodi ſpecies diuerſas habere naturas & eſſentias: tum etiā, quia ſunt principia diuerſorum actuum in ſpecie: nam cum ſenſus internus ſit potentia eſſentialiter diuerſa à ſenſu externo, ita ſenſatio interna eſſentialiter differt à ſenſatione externa: potentiæ enim diſtinguūtur per actus. Neq; obſtat quòd ſpecies impreſſa ſenſus interni, & externi poſsit habere idem obiectum ſcilicet colorem, quia ex peculiari modo reſpiciēdi illud, poſsūt ſpecie diſtingui, ita vt licèt habeant idem obiectum materiale, non tamē formale, ſicut etiam ſpecies materialis coloris in opinione omnium eſſentialiter differt ab ſpecie intelligibili eiuſdem coloris, quāuis habeant idem obiectum quaſi materiale: & ad eundem modum loquendū eſt de ſpeciebus expreſsis, ita vt ſpecies expreſſa ſenſus interni, eſſentialiter differat ab ſpecie expreſſa ſenſus externi: tū, quia ſenſationes, per quas huiuſmodi ſpecies producūtur, ſpecie differunt, vt probaui, & ita termini producti debent differre ſpecie. Tum etiam, quia ſpecies expreſſa ſenſus externi pendet natura ſua ab actuali præſentia obiecti, ſecus verò ſpecies expreſſa ſenſus interni: ergo etiam huiuſmodi ſpecies diſtinguūtur eſſentialiter, etſi verſentur circa idem obiectum ſenſibile. Tandem quæ diximus de extenſione obiectiua, & ſubiectiua ſpecierum ſenſuum externorū, ſimiliterq; de intenſione obiectiua illorum: ſimili modo applicāda ſunt ſpeciebus interni ſenſus: de hoc enim & de pluribus alijs, quæ ſupra diximus æqua eſt vtrobiq; ratio.

Ad argumenta ſuperius adducta reſpondetur. Ad primū

ſunt

sunt qui dicant, quòd quãuis sensus internus distet loco à sensu externo, ac proinde ab specie expressa in illo productа, satis tamen est animam, quæ est causa principalis talis actionis, esse in cerebro, vbi huiusmodi species producũtur: hi tamen supponere videtur speciem expressam sensus externi non esse causam principalem speciei impressę productæ in sensu interno, quod ostendimus esse falsum. Quare faciliùs respondetur nõ deriuari immediate speciem impressam sensus interni ab specie expressa externi, quin potius per spiritus animales existentes in neruis, aut per alios occultos meat' deriuatur species impressa vsq; ad cerebrũ, sicut etiã obiectũ exterius nõ imprimit immediate speciem sui in sensu externo, sed priùs illã diffundit per aerẽ, & sic vsque ad potentiã sensitiuã: ad eundem ergo modum per spiritus animales deriuantur species impressæ à sensu externo vsq; ad cerebrum.

Ad secundum probare efficaciter species impressas sensus interni non pendere in cõseruari ab expressa sensus externi, cum adhuc trãsacta sensatione externa conseruentur species in sensu interno: pendent tamen ab illa in fieri. De causa autem efficienti conseruatiua harum specierum, tran facta specie expressa sensus externi, loquendum est ac de conseruatione specierum intelligibilium: vel enim conseruantur à Deo, quasi supplente vicẽ causæ primò producentis, sicut etiam homo genitus, licèt in generatione pendeat ab alio homine, non tamen in conseruari, sed à Deo: vel certe species intelligibiles conseruantur à potentia ipsa intellectiua, & ita similiter species sensus interni conseruari debent ab spiritibus existentibus in cerebro, in quibus residere ex eo coniectamur, quòd ebrij propter multitudinem vaporũ ab stomacho ascendentium, ac per inde perturbãtium huiusmodi spiritus, inordinatas, & satis prauas habeant cogitationes, non secus quàm in aqua commota apparent res aliter quàm sint, quia species ibi existentes ex commotione illa perturbantur.

Ad tertium respõdetur esse diuersam rationẽ, nã quemad modum animal, licèt producat aliud animal, semen tamen animalis non producit aliud semen, sed animal simile illi, à quo decissum est, ita cum

ſpecies expreſſa ſenſus externi habeat ſe veluti ſemen deriuatum ab obiecto, ſaltē mediāte ſpecie impreſſa, ideo nō producit in ſenſu interno ſpeciē ſui, ſed ſpeciem eiuſdē obiecti, à quo illa fluxit, ſaltē mediate: vnde cum non oriatur ab illa tanquā ab obiecto, ſed tanquā ab aliquo, quod gerit vicem obiecti in ſenſu interno, potiùs producit ſpeciē aliā repræſentantē tale obiectū quàm ipſam ſpeciem, ſpecies verò impreſſa producta ab obiecto eſt quaſi ſemē immediate ab illo ortum, & ita eſt ſimilitudo virtualis illius.

Circa vltimū, quod inquirit quæſtio, an ſcilicet in ſenſu interno ſit aliquid rationis. Senſus quæſtionis eſt, an omnes actus, qui reperiuntur in intellectu, ſcilicet, apprehenſio, iudicium, & diſcurſus inueniātur ſuo modo in ſenſu interno, ita tamen quòd vere dici poſsit in illo eſſe apprehenſionem, & iudiciū & diſcurſum, & quidem quantum attinet ad apprehenſionem, quæ eſt ſimplex quidam intuitus, ſeu ſimplex cognitio obiecti, certum eſt illam ſuo modo reperiri in ſenſu non ſolùm interno, ſed externo etiam, verè enim quilibet ſenſus apprehendit ſuum obiectum. Solum eſt dubium vtrum etiam in ſenſu ſaltem interno reperiatur verum iudicium, & diſcurſus, nam de externo ſenſu nullus admittit.

In qua re prima ſentētia admittit in ſenſu interno verum iudicium, quod ſit actus enuntians hoc de illo, ſimiliterque verum diſcurſum, nō quidem circa vniuerſalia, hæc enim nullatenus poſſunt percipi à ſenſu, ſed circa ſingularia: vnde dicunt, quod quando intellectus ſyllogizat circa vniuerſalia, imaginatio ſaltem diſcurrit circa ſingularia contenta ſub tali vniuerſali. Docuit Auicen. 6. lib. naturalium p. 4. c. 2. Niphus. 1. lib. Met. diſput. 7. Iauel. quæſt. 8. imò id videtur docere S. Th. 1. par. quæſt. 78. art. 4. ad. 2. vbi dicit ſenſum communem iudicare dū diſcernit album à nigro vel viridi: & in ſolutione ad qnintum tam iudicium quàm diſcurſum videtur admittere, ſi ſolutionem illam adiungas argumento, cui reſpondet: verum eſt S. Thomam, & reliquos autores non loqui de ſenſu brutorum, ſed hominis, cui prædictam excellentiam dicunt conuenire. Fundamentum autem huius ſententiæ eſt, quia inter in-

intellectum, & sensum interñ̃ est necessaria connexio in operando, vt enim infrà dicã, anima rationalis pro hoc statu intelligit cũ cõuersione ad Phantasmata: ergo necessariũ est quòd simul cum iudicio, aut discursu intellectus sit aliud iudicium, & discursus illi proportionatus in sensu interno.

Mihi tamen longe probabilior est sententia Tolet. hic q.7. quem hoc tempore plurimi sequuntur asserẽtes adhuc in sensu interno hominis, nec iudicium, nec discursum reperiri, & ita neq; aliquid rationis, quatenus ratio distinguitur à brutis, nam per simplicem apprehensionem absolute sumptam non distinguitur intellectus à sensu, vtriq; enim conuenit apprehendere obiectum, quanuis in peculiari modo apprehensionis sit etiam differentia. Hanc sentẽtiam videtur docuisse Arist. c. 3. huius lib. tex. 157. vbi ex eo probat imaginationem distingui ab opinione, quia, inquit, opinionem sequitur fides, fides autem non potest esse in brutis, quibus inest imaginatio, nan quibus inest fides potest esse persuasio: in brutis autẽ nulla persuasio esse potest: ergo nihil iudicant, si verè loquamur de iudicio prout dicit actum attingentem cõnexionem prædicati subiecto.

Præterea, quia cum Arist. in prędictis verbis asserit: opinionẽ sequitur fides, reuera nomine fidei nõ intelligit, actũ, aut habitũ nitentẽ testimonio dicẽtis: nã cum opinio proprie procedat ex ratione saltem probabili per se loquendo, nullã habet cõnexionem cum fide, quæ innititur testimonio dicẽtis: intelligit ergo Arist. nomine fidei assensum, quæ acceptio fidei non parũ est vsitata, & vulgaris: sæpe enim in cõmuni hominũ sermone adhibere fidẽ alicui rationi, est assentiri illi: dum ergo Arist. negat in brutis reperiri fidẽ, reuera negat reperiri in illis aliquem assensum: ergo iudiciũ & discursum: in his enim necessariò inuoluitur assensus aut dissensus.

Clariùs videtur docuisse libro de memoria, & reminiscẽtia. c. 2. post mediũ vbi ideo negat brutis inesse reminiscentiam, quia hæc fit cũ discursu, vbi loquitur de actu reminiscendi, qui fit per illationẽ, & discursum: ergo apperte negat omnem discursum brutis: sed quia prædicta loca tantũ probãt, nõ posse reperiri in brutis iudicium, aut discursum,

sum. Argumentor ratione ad probandum, quòd si in homine secundum partem sensitiuam possunt reperiri huiusmodi actus, etiam possint dari in brutis, quod tamen negat Arist. Ratio est, quia si in sensu interno hominis potest reperiri iudiciũ, & discursus, vel hoc habet sensus ille ex se, vel ex coniunctione, quam habet cum intellectu: si ex se habet ergo etiã sensus internus bruti poterit iudicare, & discurrere, & ita brutum erit animal rationale, quod est absurdum: si autem hoc illi cõueniat ex cõiunctione, quam habet cum ratione. Contrà, quia si talis sensus ex se non habet vim ad illos actus, neque illam habere poterit ex coniunctione ad rationẽ, quia per hoc neque mutatur eius entitas, neq; aliquid intrinsecũ illi superadditur. Tũ præcipue, quia nulla potentia potest eleuari vltra suũ obiectũ adæquatum, sicut visus nõ potest eleuari ad percipiendũ aliquid, quod non sit coloratũ: vel ergo obiectũ, quod respicit iudiciũ, & discursum, cõtinetur intra limites obiecti adæquati sensus interni, & sic absq; cõiunctione ad rationẽ, poterit elicere illos actꝰ, quia tendunt ad obiectum contentum sub obiecto suo adæquato, proportionato, & ita in brutis poterit reperiri discursus. Si autem non continetur intra limites obiecti adæquati sensus, nec poterit eleuari ex coniunctione cum ratione ad actus circa talia obiecta, vt ostensum est: ergo nullo modo sensus internus est capax iudicij & discursus.

Respondent quidam, iudiciũ & discursum non cõuenire sensui interno præcisse ex coniunctione ad rationẽ, sed ex sua differentia specifica, dicunt tamen inde non colligi, quod in brutis possint reperiri huiusmodi actus: existimãt enim sensum internum hominis specie differre à sensu interno bruti, & ita ex differentia specifica aliquid conuenit vni, quod non alteri: verũ tamen vt quæstione præcedẽti dicebã, reuera nõ satis probaꝫ distinctió specifica inter huiusmodi potẽtias, & hoc admisso, adhuc videtur falsa solutio, nã si præcisse ex potẽtia sensitiua conuenit homini posse discurrere, nõ repugnaret per diuinã potẽtiam dari aliquod brutum in sua specie maximè perfectũ, cui hęc potẽtia sensitiua cõueniret. Vnde iã brutũ esset rationale. Tum etiam quia ex hac solutione sequit ho-

hominem esse rationalem præcisse secundum gradum sensitiuum, non considerando vltimam eius differentiam: quæ omnia videntur rationi nimis dissentanea. Denique ratio à priori huius conclusionis est, quia ad iudicium requiritur cognitio formalis cõnexionis prædicati cum subiecto, & ad discursum cognitio illationis cõnexionis consequẽtis cum antecedenti, quod reuera excedit vires sensitiuas.

Et si dicas hæc omnia non cognosci à rusticis hominibus, cum tamen in illis verè reperiantur iudicium, & discursus. Respondetur, quòd licèt rustici non cognoscant, quæ sit ratio formalis consequentiæ, an scilicet sit relatio, & quæ sit eius natura, tamen satis percipiunt hoc inferri ex illo, esseque cõnexionem inter extrema, quorũ vnum de alio enuntiatur, quod satis est ad verum iudicium, & discursum.

Ad fundamentum autem contrariæ sententiæ respondetur, & in primis credendum est S. Thom. loco citato non loqui, ita apertè de vero iudicio, & discursu, sed nomine iudicij intelligit actum, quo extremum aliquod cognoscitur, vt diuersum ab alio, siue hoc fiat per simplicem apprehensionem, siue per iudicium verum, & actum complexum, componentem, & diuidẽtem: & per discursum intelligit successionẽ plurium actuũ, absque cognitione tamen cõnexionis, & illationis vnius ex alio: quæ actuum successio reperiri potest in sensu interno, vt de reminiscentia dicebam. Quod autem S. Tho. non loquatur de vero iudicio, & discursu, ex eo videtur suaderi, quia etiam appellat iudicium actum illum, quo animal discernit colorem album à nigro, qui actus sensui externo conuenit, scilicet visui, cum tamen sine dubio S. Tho. non ponat in sensu externo verum iudicium, & in brutis: loquitur ergo de iudicio, & discursu improprio.

Ex dictis respondetur ad fundamentum contrariæ sententiæ, nam quamuis necessarium sit operante intellectu, etiam imaginationem operari, ita vt apprehendat successione quadam obiecta illa, circa quæ intellectus discurrit, non tamen per verum discursum cognoscentem cõnexionem consequentis cum antecedenti, sicut quando intellectus discurrit circa vniuersalia, non est opus in opinione

omnium

ōmnium ſenſum externū per cipere talia obiecta vniuerſalia, ſed ſufficit percipere obiecta ſingularia ſenſibilia ſub illis contenta.

Quæſt.V. Vtrùm ſomnia pertineant ad ſenſum internum, & quomodo fiant.

LIcèt rem hanc nullus, quē ego viderim hoc loco diſputet, quia tamen, vt ex dicendis conſtabit ad præſentē pertinet diſputationem, eſtq; res Philoſophica ſcitu digna de illa aliqua dicam.

In primis ſupponēdū eſt ſōniū duobus modis accipi. Primò pro ſtatu illo, inquo anima ceſſat ab omni ſēſatione externa, nō tamē ex infirmitate aliqua, aut morbo aliquo: ſi tū talis ceſſatio proueniat ex infirmitate aliqua cor ipſum grauiter ofendēte, talis ceſſatio non cenſetur ſomnus, ſed infirmitas. Secūdò tamē, & frequenti vſu ſumitur ſomnus pro inordinata imaginatione, quā dormiētes interius habere ſolent, dū ab operationibus externis ceſſāt, quā actionē Philoſophi inſomniū appellāt, vt videre eſt apud Ariſt. lib. de in ſōnijs de qua procedit præſēs quęſt.

Secūdò aduertendū eſt cauſam quare ſomniātes ceſſent à ſenſationibus externis: duplicē eſſe: alterā finalē, alterā verò quaſi effectiuā: cauſa quidē finalis eſt, ne ſenſus exteriores, & eorum organa, tam continua operatione defatigentur, ſed à ſuo munere quieſcāt: vnde ſomnus meritoquies appellari ſolet. Cauſa verò quaſi effectiua huius ceſſationis ea eſt, quia vt organa ſenſuum actus ſuos exercere poſsint, indigēt ſpiritibus animalibus à cerebro ad totum corpus deſcendentibus, quibus quaſi foueātur, ac recreētur, & ita experimur laborātes apoplexia, nihil prorſus ſentire, eo quod prę humoris multitudine, vię ac meat', per quos huiuſmodi ſpiritus à cerebro per totum corpus diffundūtur; ita occludūtur, vt nullatenus tales ſpiritus deſcendere poſsint, & ita ceſſāt operationes ſenſitiuæ, quia ergo in ſōnis propter nimiā multitudinē vaporum ab ſtomacho ad cerebrū aſcēdentiū, tales vię etiā occludūtur, ſequitur ceſſatio ab omni externa ſenſatione, imò hic etiā aſcēſus vaporū eſt cauſa efficiēs ſomni prout ſignificat de prauatā, atq; in ordinatā imaginationē interiùs habitam.

Ratio eſt, quia quemadmodū in aqua commota obiecta apparēt fracta, & longè aliter quàm ſint, ſic etiā propter magnam

gnam copiã vaporum, ad cere brũ aſcendentiũ, ita perturbã tur, & commouentur ſpiritus animales, ibi exiſtentes in qui bus reſident ſpecies impreſſæ ſẽſus interni, vt obiecta ap pareãt inordinata ſatis, fiãtq; diſparatæ imaginationes. Vnde ex cõmuni Philoſophorũ ſentẽtia euaporatio abſtomacho aſcẽdẽs eſt cauſa efficiẽs ſõni, & hac de cauſa pueri nimis ſunt apti ad dormiẽdũ, ex eo qđ cum magna humiditate polleant, magnã vaporũ copiã ad cerebrũ mittũt, & ita facilè ſunt ad ſomnũ apti: & propter eãdẽ euaporationẽ docet Ariſt. li. de ſomno & vigilia. c. 3. eſſe ad ſõnos maximè aptos laborãtes febre, aut lethargo. Hinc etiam docet vinũ pueris nociuum eſſe, imò & nutricib⁹, eo quod vtrobique cauſet magnam euaparationem: ſunt etiam ſomniculoſi, qui venas ſtrictas, & quaſi occluſas habent; tunc enim facilè occluduntur vaporibus, & ita ex impedimento ſpirituũ deſcendẽtium contingit ſomnus.

Melãcholici nõ ſũt adeò prõti ad ſõnũ, quia ex humore ſũt frigidi, & ſicci, vnde nõ habẽt tantã vaporum affluentiam, & hinc Medici ſaliuã meritò à cerebro deſcẽdere docẽt, quẽad modũ enim actione Solis vapor in ſublime fertur, ibique præ rigore loci refrigeratus conſiſtit, ac denuò in aquã cõuerſus in terrã defluit, ita excremẽtitia deuaporatio ad cerebrum elata propter cerebri frigiditatem, in pituitam, & ſaniem cõcreſcit: vnde cauſatur ſaliua, imò, & fluxiones ex capite oriri, videmus.

Tertiò ſupponẽdũ eſt, quòd quãuis euaparatio ſit cauſa ſõni oportet tamẽ non ſit maxima: hac enim ratione experimur poſt nimiã repletionẽ factã nõ ſtatim cõtingere inſõnia, eo q̃ propter magnã vaporu aſcẽdẽtiũ copiã, ſpecies in cerebro exiſtẽtes, adeò perturbantur, vt nihil omnino per illas cognoſci poſsit, ſicut experimur in aqua nimis cõmota, nihil prorſus apparere donec quietẽ habere incipiat; meliùs ergo cõtingũt inſõnia aliqua li euaporatione aſcẽdẽte: imò quãto minùs ſpecies perturbãtur ſomnia magis ordinata fiũt adeò vt ſæpè in ſomnijs optimi diſcurſus fiant.

Quartò ſupponendum eſt nullum eſſe animal quod, aut ſemper vigilet, aut ſẽper dormiat. Ratio in primis eſt cauſa finalis ſomni ſuperius tacta: oportet enim ſẽſ⁹ externos, & eorũ organa in operãdo, quaſi đfatigata quieſcere, vt cũ aliàs poten-

potentiæ ſenſitiuæ, quibus omnia animalia gaudent, non ſint fruſtra illis à natura inditæ, oportet animalia aliquando euigilare, vt ſuis actionibus fungi poſsint, vnde natura prouida, nec perpetuum ſomnum, nec perpetuam vigiliam animalibus conceſsit.

Quintò ſupponendum eſt, ad diuerſitatem ſomniorum nō parùm intereſſe talem, vel talem corporis affectionem: nam pituitoſi ſomniant flumina, natationes, & ſimilia, in quibus verò ſanguis abundat plura rubra apparent: vnde ſomniant ſe domuum conbuſtiones videre, melancholici verò res triſtes. Cuius rei aliqualis ratio à ſimili de ſpecibus ſenſuum externorum deſumi poteſt: nam ſicut ſpecies ſenſuum externorum taliter modificantur ex medio, in quo recipiuntur, vt receptæ in vitro viridi, omnia viridia appareant, ita vapores pituitoſi ad cerebrum aſcendētes, vt pote qui frigidi ſunt, & nimis humidi ad res huiuſmodi percipiendas, quaſi modificāt ſpecies, & ita in ſomnijs flumina, pluuiæ, & alia ſimilia apparent, vapores verò ſanguinis ad res rubras, qualis eſt ſanguis, & domuum combuſtiones, inclinant: denique quæuis alia corporis affectio, ſiue moleſta, ſiue iocunda, multùm conſert ad ſomniorum diuerſitatem, hac enim ratione proſpera valetudine gaudentes læta ſomniant, infirmi verò triſtia. Vnde Galen. lib. de pręſagijs, quæ ducuntur ex ſomnijs narrat quēdā ſomniaſſe alterum crus factum eſſe ſibi lapideum, & ſtatim cœpiſſe illum in ea parte fieri paralyticum. Plinius etiam lib. 7. c. 50. narrat Publium Cornelium Rufinum dormientem amiſiſſe viſum, idque cum illi accideret, etiam ipſum ſomniaſſe.

Multùm etiam confert ad ſomniorum diuerſitatem vehemens animi affectus, qualis eſt amor, odium, aut metus, hac enim ratione, qui ardenter amant, frequenter amores ſuos ſomniant: qui timēt terribilibus in ſomno viſis turbantur: hûc etiam ſpectat vetus conſuetudo, & vitę, quam agimus, exercitatio: hac enim ratione Ariſt. 3. Ethic. docet, hominis virtuoſi ſomnia meliora eſſe, vt pote qui in vigilia melioribus rebus intentus eſt, & ſoliciti homines, qui cura aliqua vehementer præmūtur, circa rem illam ſomniare ſolent: vnde Eccleſ. capit. 5. dicitur: *Multas curas ſequūtur ſom-*

somnia, quorum omniũ ratio est; nam anima vehementi illo affectu, aut cõsuetudine in vigilia affecta, hoc ipso, nescio quam suscipit inclinationem, vt ad similia in somnijs feratur, & ita animus quietus, & pacificus, lęta ac iocũda somniare solet: & hac ratione fertur Pythagoram, vt his frueretur somnijs, cum iret cubitum, cantu, & sono lyræ somnos captare solitum fuisse, & ob eam causam discipulis esum fabarum interdixisse, eo quod cibus iste inflationem magnam causet, tranquillitati mentis contrariam. Loquor autem in his omnibus de causa naturali diuersitatis somniorum.

Alia esse somnia supernaturaliter à Deo immissa, aut etiã dæmonis astutia, vt homines somnijs fidem adhibẽtes decipiat, tenet communis Theologorum consensus: & inter alios docuit eleganter D. Gregor. lib. 4. dialogorum. c. 48. & lib. 8. moraliũ. c. 13. & quidem de somnijs illusione dęmonis causatis fit mẽtio in sacra Scriptura Ecclesiast. 34. *Ni si à Domino fuerit facta visitatio, nedes cor tuum insomnijs*, & Iob. c. 33. dicitur. *Quando homines dormiunt in lecto, tunc aperit aures virorum & erudiẽs eos instruit disciplina*, & Numerorum. cap. 12. ait dominus. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, apparebo illi in visione, aut per somnium loquar ad illũ.* Quæ somnia tam diuina, quã demonioca, non consurgunt ex mera causa naturali, sed expeculiari modo, quo Deus, aut diabolus mouet, & disponit species sensus interni, vt talia vel talia somnia insurgant. Quemadmodũ Typographi tali ordine, & serie characteres disponunt, vt quod ipsis placet significẽt: ita Deus, vel etiam diabolus taliter species internas cõmouere, & disponere potest, vt prout ipsis placuerit, somnia contingãt: somniorum autem naturaliũ causa est commotio, & perturbatio earumdem specierũ ex naturali euaporatione procedens.

His ergo suppositis cõmuni Philosophorum sententia receptũ est, insomnia ad sensum internum pertinere, ita quòd sint inordinati actus imaginationis. Sic enim expresse docet Arist. lib. de somno, & Vigilia. c. 1. vbi dicit, ad eandẽ animi partẽ, idest, potẽtiam pertinere somnum & Vigiliam, constat autem Vigiliã esse statum, in quo sensus ad suas actiones attendunt, & ad

finem capitis ex eo docet in plantis non reperiri ſomnum, & vigiliam, quia vtrumq; hoc verſatur circa ſenſum: & lib. de inſomnijs capite primo, & deinceps ſæpe id docet. Ratio autem ex dictis colligi poteſt, quia hoc loco nomine ſomni, non tam intelligimus ſolã priuationem vigiliæ, quã actus illos inordinatos imaginationis, qui in ſomnijs contingũt. Vnde neceſſe eſt ſomnum ad ſenſum internũ pertinere. Verum eſt inde in hominibus inſurgere depraua-tas intellectiones, nam cũ intellectus pro hoc ſtatu operetur depẽdenter à ſenſibus, & cum conuerſione ad Phantaſmata ad deprauatos actus imaginationis quid ſimile ſequitur in intellectu, vt etiã inſurioſis, & ebrijs experiri licet.

Secũdò, quia ſomnus pertinet ſine dubio ad animã ſenſitiuam, cum conſtet plantis non conuenire, debet ergo ſomnus pertinere ad aliquam potentiam, anima enim operatur medijs ſuis potentijs, ſed nõ pertinet ad ſenſus externos: ergo ad internum. Probatur minor, quia in ſomno potiùs defficiunt operationes ſenſuum externorum vt patet: tum etiã, quia ſæpe ſomniamus res, quæ non cadunt ſub obiecto ſenſus externi, vt inimicitias, montẽ aureũ, &c. Tandem id experientia conuincitur, quia ſæpe expertum eſt canem dormientem latrare, ad modum, quo etiam homines dormientes, & ſomniantes, aliquid externa voce proferre ſolent: ſignum ergo eſt canes illos in ſomnijs per ſenſum internũ apprehendere rem ſibi diſconuenientem, & ita latrare conantur: ergo ſomnia ad ſenſum internũ pertinent, contra quã ſententiam nihil video, nec probabile q̃ difficultatem aliquam ingerat.

Poſſet hoc loco dubitari an in ſomnijs ſit perfectus vſus rationis, & reſpõdetur facile, in ſomnis non eſſe libertatẽ, & perinde, nec rationis vſum ſufficiẽtem, vt quis liberè operari dicatur, quãuis enim in ſomnijs reperiãtur iudicia, & diſcurſus, non tamen ſatis ordinati ob deprauatam imaginationem tanta vaporũ multitudine aſcendente.

Plura etiã de vanitate ſomniorum, & de fide illis vt in plurimũ denegãda cõtra Stoicos hoc loco dici poterant, quæ ad Theologum potiùs, quam ad Philoſophum ſpectant, ne tamen (vt ſomniãtibus contingit) res valde inter

ſe.

se diuersas,& disparatas commiscere videar; hæc de somnijs prout præsens patitur disputatio dixisse sufficiat.

Quæst.VI. Quod sit organum sensus interni.

AVtores illi,qui tres sensus realiter diuersos assignãt, eo potissimum nituntur fundamẽto, quod in cerebro sint tres cellulæ, vt ex anatome patet,quas esse organa sensuũ internorum existimant; hanc tamen rationem non esse satis firmam S. Th.assignans,quatuor sensus inter nos fateri tenetur. Similiter qui duos tantùm ponũt,quos supra citaui. Vnde illã trium cellularũ diuisionem non fuisse adhunc finem factam docuit Galen. 8. de vsu partium, & fortasse ea fuit causa, ne illa cerebri substantia(quam Hispanice,Sesos appellamus) cum aliquantulũ sit fluida, & paruam habeat consistentiam, facilè commoueretur: vnde oportuit in tribus illis cellulis diuisam collocari.

Nobis ergo dicendum est, numerũ sensuum internorũ ex cellularum numero nequaquam esse pensandum: vnde hac in re certũ debet esse organum sensus interni esse in cerebro: experimur enim ex vehementi, & diuturna imaginatione causari dolorem in cãpite. Id etiam satis indicat sacra Scriptura Danielis secundo capite illis verbis, *Somnium tuum,& visionẽ capitis tui.* Addo tamen non posse satis cõiectari in qua determinata parte cerebri sit huiusmodi organum sensus interni.

Vltimò in hac disputationẽ quæri solet vbi nã resideat radix virtutis sensitiuæ, id est quæ sit radix neruorum, per quos cõmunicantur spiritus sensitiui requisiti ad omnẽ sensationẽ. In qua re Arist. deceptus est, existimauit enim hanc neruorũ radicẽ,& originẽ esse in corde. Sic docuit lib. 3. de partibus animalium. c.4.vnde meliùs Gal.li. 8.de vsu partiũ huiusmodi radicẽ in cerebro ponit,quẽ iam omnes sequuntur:suntq; manifestæ experiẽtiæ id probantes: nam in primis, vt ex anatome constat, nerui, per quos spiritus sensitiui descendunt versus cerebrum, latiores, ac fortiores sunt,nõ secus quàm rami versus radicem, à qua originẽ trahunt,latiores sunt.

Secundò ex vehemẽti percussione facta in capite longe magis impeditur sensatio, quam si fiat in alijs partibus,

ibi ergo reſidet radix virtutis ſenſitiuæ. Tertiò expertum eſt, quòd ſi pars aliqua ligetur, pars illa, quæ eſt verſus cerebrum, ſentit, alia vero, quæ incipit à parte ligata vſque ad inferiores partes nequaquam: ergo virtus ſenſitiua à cerebro deriuatur: de quare, quæ magis medica, quã Philoſophica eſt, legatur Valleſ. lib. 2. cõtro. Medi. cap. 13. & Tolet hîc quęſt. 9. qui de hac re latè diſſerunt.

Caput. IIII. De intellectu poſsibili.

POſtquàm Ariſt. egit de potentijs animæ ſenſitiuę, incipit iam diſputare de potentijs animæ rationalis: quanuis enim verum ſit animam ſenſitiuam præter potentias ſenſitiuas, iam connumeratas, habere alias potentias, quales ſunt appetitus ſenſitiuus, & potentia loco motiua, de quibus infrà, iſtæ tamen non ſunt cognoſcitiuæ, vt ſuo loco dicam: vnde vt diſputationẽ de potẽtijs cognoſcitiuis animæ abſolutam relinqueret, poſt diſputationem de ſenſibus tam internis, quàm externis, merito de potẽtia intellectiua diſputare aggreditur: præſens autem caput duas continet partes, in quarũ priori agit Ariſt. de natura intellectus poſsibilis: in poſteriori vero de eius obiecto. Proponit ergo Ariſt. initio capitis ſuam intentionem, quæ eſt, inquit, agere de ea parte animæ, id eſt, potentia, quę intelligit, & ſapit, hoc enim intelligit nomine partis ex ſententia Themiſtij, Simplicij, & S. Thomæ hoc loco. Si autẽ, inquit, intelligere eſt ſicut ſentire; intelligere erit, quoddam pati, quod an intelligendum ſit formaliter, vel cauſaliter, vidimus ſuprà lib. 2. explicantes literam capitis 5. vnde dicit, quòd ſicut ſenſus eſt potentia paſsiua, ita & intellectus, & ſicut ſenſus ex ſe non habet formas ſenſibiles, ideſt, ſpecies ſenſibiles, ita intellectus ex ſe nõ habet ſpecies intelligibiles actu, ſed eſt tãquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, eſt tamen in potentia omnia, quia omnium rerũ poteſt recipere ſpecies, & ita eſt in pura potentia in genere intelligibilium. Quare, inquit, cũ intellectus omnia intelligat, oportet incorporeum eſſe & immixtum, aliàs, inquit, intus exiſtẽs, prohiberet extraneũ. Tum etiã, quia ſi corporeus eſſet etiam eſſet calidus, vel frigidus. & alicui organo affixus, quòd tamen

men organum non habet. Ac tandē tertiò, quia si esset corporeus læderetur ab excellenti intelligibili, sicut sēsus, qui corporeus est, lęditur ab excellenti sensibili, cum tamen potiùs perficiatur ab excellenti intelligibili; vnde, inquit, intellectū fieri omnia, quādo rerum omnium recipit species.

In posteriori parte capitis agit Aristo. de obiecto intellectus, & dicit, quòd aliud est res, aliud verò quidditas, qualiter, inquit, aliud est caro, aliud carnis esse: quæ verba varijs modis exponi solēt. Quidam enim asserunt his verbis tantùm intendere rationem specificam esse diuersam, saltem formaliter à ratione indiuiduali, & ita, inquit, aliud est caro, idest, indiuiduū carnis, aliud vero carnis esse, idest essentia specifica carnis. Quę interpretatio mihi non probatur, quia Aristot. saltem addit hoc in quibusdam non ita cōtingere: constat autem in omnibus necessariò distingui rationem specificam ab indiuiduali, saltē ratione, adhuc in Angelis, vt dixi, disputans de principio indiuiduationis substantiarum spiritualium, contra Thomistas, nam cum ratio specifica sit vniuersalis, imò & numero multiplicabilis, iuxta probabiliorem Theologorum sententiam: principiū verò numeri, cum sit prorsus indiuiduum, & singulare, ideo necessarium est semper distingui principium specificū ab indiuiduali.

Quare mihi videtur Aristotelēm, per carnem intelligere suppositum carnis, hoc enim est quod absolute denominatur caro; per esse verò carnis intelligere formam, per quam constituitur esse, quasi dicat, aliud esse suppositum, aliud verò formam talis suppositi, qualiter, inquit, aliud est aqua, aliud esse aquæ, idest forma, & quia in Angelis, & alijs substantijs spiritualibus, non reperitur compositio materiæ & formæ, addit non sic contingere in quibusdam alijs: vnde dicit intellectum aliter se habere, quando cognoscit essentiam vniuersalem, ac quando intelligit singulare, non secus quàm linea recta diuersimodè se habet, ac linea reflexa, quorum verborum rectam intelligentiam explicuimus. 1. lib. Phys. q. de primo cognito, & infrà repetam.

Dubitat deinde an intellectus sit intelligibilis, & respōdet quod est intelligibilis sicut alia cuncta. Addit tamen, quod in his, quæ carent materia,

ria, idem potest esse intelligens, & quod intelligitur, qualiter intellectus potest se ipsum intelligere, sensus autē, qui materialis est, non potest se ipsum sentire.

Disputatio Tertia de intellectu possibili.

IN hac disputatione, vt morem Aristotelis geram, non solùm de potentia ipsa intellectiua, verū etiā de eius obiecto erit disputatio. Suppono autem, intellectum possibilem reuera esse potentiam animæ rationalis; nam sicut actus sentiendi postulat potētiam quandam sensitiuam, à qua proximè eliciatur, eo ꝙ anima, cum sit substantia non est principium immediatum operandi illam actionem: ergo similiter ad actum intelligendi, qui longe perfectior est, debet dari in anima rationali potentia intellectiua, quę appellatur intellectus possibilis, neque opus est multiplicare potētias intellectiuas, sicut multiplicantur potentiæ sensitiuæ, nam intellectus ex sua perfectione extendit se ad omnia intelligibilia, quouis modo intelligenda.

Quæst. Prima. Vtrùm intellectus sit spiritualis potentia.

FVit de hac re opinio Anaxagorę, & aliorū antiquorū asserentium intellectum esse potentiam corporeā, imò mixtam omni corpore sensibili, vt omnia corpora sensibilia percipere possit. Quorū fūdamētum erat, quia omnis potentia cognoscitiua patitur à suo obiecto aliquid ab illo recipiendo, vt autem vnū ab alio patiatur, debet communicare in materia cū illo: cū ergo intellectus omnia corporea intelligat, necesse est omni corpore esse mixtū, in qua ratione nō considerāt antiqui intellectum nostrū non pati immediate ab obiectis, quę intelligit, recipit enim speciē intelligibilem aß intellectu agente medio Phātasmate, vt instrumento, vt dicā infra: nullū autē est inconueniens spirituale pati à corporeo vt ab instrumento, vnde non opus est cōmunicet in materia cum illo.

Quare cōmunis est iā, & recepta Philosophorū sentētia, intellectū esse potentiā spiritualē, ac proinde immediate subiectatā in anima rationali, & nulli corporeo organo affixā. Quę cōclusio primo ex eo est-

efficaciter probatur, quia anima rationalis habet operationem sibi propriam, spiritualem, scilicet intellectionẽ: ergo opus est operationem illã fieri à potentia spirituali, quã nos vocamus intellectum possibilem. Consequentia est nota ex dictis, nam si operationes corporeæ fiunt ab anima medijs potentijs, operationes spirituales quę lõge perfectiores sunt, debent sane fieri ab anima media potentia spirituali. Quòd vero intellectio, quæ est operatio animę rationalis sit spiritualis, probatur, quia intellectio non solũm attingit res corporeas tamquã obiectum, verum etiam spirituales: cognoscimus enim Deum & Angelos, quanuis per modum rei materialis, illosque omni materia expertes esse attingimus, impossibile autem est cognitionem corpoream attingere rẽ spiritualem, corporea enim cognitio solùm se extendit ad res sensibiles, vt patet de operationibus sensuum, non autem ad spirituales propter magnã inproportionem, quam cum illis habent.

Secundò eadem veritas cõuincitur ex modo operãdi intellectus; nam intellectus noster discurrit in quo actu attingit formarũ connexionẽ cõsequentis cũ antecedenti. Prętereà intellectus etiam cognoscit prædicata vniuersalia abstrahendo illa à circunstãtijs loci, & tẽporis, quas eorũ singularia à parte rei habẽt, ac rã dẽ supra se ipsum reflectitur prædicata suæ essentiæ penetrãdo, quę omnino sine dubio excedũt vires potẽtię corporeæ: ergo est potẽtia spiritualis. Quę res amplius cõfirmabitur infra, dũ ostẽdamus animã rationalẽ esse formã quandã spiritualem à materia indepẽdentem. Ex hoc enim plane sequitur debere habere potentiam sibi propriam spiritualem, qualis est intellectus possibilis. Tandem eandẽ sententiam probat in hoc capit. Arist. duplici ratione.

Primà est, quia si intellectus esset potẽtia corporea, esset calidus, aut frigidus, & alicui determinato organo affixus, nullum autẽ est tale organũ, cui sit affixus intellectus: ergo non est potentia corporalis.

Secũda ratio vrgentior est; nam si intellectus esset potentia corporea, deberet lædi ab excellenti intelligibili, sicut experimur sensum, qui potentia materialis est, lædi ab excellenti sensibili, conse-

quens

quens autem est contra experientiam, quia potiùs intellectus perficitur in cognitione rerum altissimarum, & cuiuscumq; alterius obiecti: ergo est potentia spiritualis.

Tertia tandem ratio, quam adducit Card. Tolet. his est difficultatibus implicata, vt Philosophis omnibus vehementer negotium facesserit; sic enim arguit; Intellectus intelligit omnia: ergo debet carere omni corpore, quia aliàs intùs existens prohiberet extraneum.

Contra quam rationẽ plura, & difficilia obijci solẽt. Primò, nam quanuis intellectus realiter sit intellectus, cũ hoc tamen potest percipere alium intellectum sibi similem absque eo quòd intùs existẽs prohibeat extraneum: ergo similiter quanuis intellectus esset corporeus posset alia corpora percipere, absq; eo q̃ intùs existens prohibeat extraneũ.

Secundò, quia imaginatio percipit quodcunq; corpus, extendit enim se ad omnia corpora, cum sensibilia sint, & cum hoc imaginatio est corporea: ergo ex hoc quòd intellectus percipiat omnia corpora, non recte colligitur debere esse denudatum omni ratione corporis.

Tertiò; ratio â priori huius esse videtur, quia potẽtia cognoscitiua, vt cognoscat obiectũ aliquod, nõ debet illud recipere secundũ esse reale, sed secundum esse intentionale, satis enim est recipiat speciẽ intentionalem illius: sed esse intẽtionale, & esse reale, sunt inter se diuersæ rationis: ergo quantumuis intellectus esset corporeus secundum esse reale, adhuc esset in potentia ad recipienda alia corpora secundum esse intentionale, & ita intùs existens nõ prohiberet extraneũ hoc modo sufficienti ad cognitionem.

In hac re explicanda duo vi denda sunt, alterum est, quæ sit vis rationis Arist. & qualiter sit intelligenda: alterũ vero quid sit de veritate ipsius propositionis, *Intus existens prohibet extraneum.*

Circa primum sunt qui formẽt rationem Arist. hoc modo: Intellectus percipit omnia corpora: ergo debet carere omni corpore, quia intùs existens prohibet extraneum: cuius consequentis vim in eo dicunt consistere, quia quanuis esse corporeũ nõ impedit recipere speciem intentionalem aliorum corporũ, de quo statim dicam, saltem tamẽ impedit, ne possit supra se reflecti,

ctí. Dicunt enim nullam potentiam corpoream posse supra se reflecti, vnde bene sequitur, quòd non intelligeret omnia corporea, si corporeus esset, quia saltem non posset se ipsũ intelligere, quidquid sit de alijs corporibus: neque est improbabilis modus dicẽdi. Mihi tamẽ absolutè loquẽdo aliquantulũ displicet. Primò, quia vt vidimus non satis constat potentiam materialẽ nõ posse supra se reflecti, modo supra explicato. Tum præcipuè, quia Arist. vt legẽti patebit, non colligit intellectũ debere esse incorporeum, ex eo quòd percipiat omnia corpora, sed ex eo quòd percipiat omnia, ideſt, tã res corporeas, quàm spirituales: sic enim ait. *Quare necesse est ipsum cum vniuersa intelligat, non mixtũ esse, sicut Anaxagoras dixit.* Quare dicendũ est vim rationis Aristot. in eo consistere, quòd cũ intellectus intelligat omnia, tam percipit res spirituales, quàm corporeas, cum autem res spirituales nõ possint percipi per speciem corpoream, sed per spiritualem, necessarium est potentiam, quæ omnia cognoscit, spiritualem esse, vt recipiat species spirituales rerũ, quia in subiecto corporeo non potest recipi aliquid spirituale: ergo in hoc sensu, verisimũ est illud principium, scilicet quòd intus existens prohibet extraneum, ideſt, ratio corporis, quam Anaxagoras posuit in intellectu possibili, impediat extraneum, ideſt, cognitionem omnium aliarum rerũ adhuc per species intentionales: vnde quidquid sit de alijs corporibus, optime saltem conuincitur, quòd intellectus non posset percipere omnia, & iuxta prædictam expositionem cessant rationes in contrariũ adductæ.

Ad primam rationem Arist. respondetur sua ratione non intendere, quòd si intellectus esset corporeus, nõ posset percipere alia corpora, sed quòd non posset percipere omnia entia, vnde vnus intellectus non posset percipere aliũ intellectum, quia cũ spiritualis sit, est capax ad speciem intelligilem alterius recipiendam, imò omnia intelligere potest, quia omnia intelligit per species intelligibiles, quarum capax est, illarũm tamen esset incapax, si esset corporeus.

Ad secundam, imaginationẽ saltem non percipere omnia entia, & ita idem sequitur de intellectu, si esset corporeus.

Ad tertiam, quòd scilicèt

esse reale absolutè loquendo non prohibeat receptionẽ alterius secundum esse intentionale, de quo statim dicam, tamen esse reale corporis impedit receptionem rerum spiritualium, adhuc secundũ esse intentionale, quia species illarum necessariò debent esse spirituales, & ita non possunt recipi in potentia corporea. Patet ergo ex dictis principiũ illud Arist. intùs existẽs prohibet extraneum, prout ab illo intelligitur, omni carere difficultate, si eius ratio recte exponatur.

Quare maiorem habet difficultatem, an principium illud. Intùs existens prohibet extraneum, semper sit verũ in sensibus, in qua re ferè omnis sententia asserit, solùm visum posse percipere excellentes qualitates, ita quòd pupilla, vel nullum habeat colorẽ, vel si aliquem habet, adeò sit exiguus, vt aliorum colorum visionem non impediat: & quid simile asserunt de quouis alio sensu. Tenet Valle. lib. 2. controuer. Med. c. 31. Card. Tole. & plures alij hoc loco, estque sententia satis in scholis nostris recepta, cui nõ parũ fauet Arist. vt statim dicam. Fũdamentum autem huius sentẽtiæ est, nam color existens in vitro viridi impedit perfectã visionem, omnia enim apparent viridia: ergo similiter si pũpilla haberet colorem, multò melius impediretur visio perfecta coloris, quia impedimentum est magis coniunctũ potentiæ, atq; adeò dicendũ est pupillam nullum habere colorem, vel certe adeò remissum, vt aliorum colorum visionem non impediat.

Secundò potest adduci exẽplum de auditu; nã si interiùs ex commotione aeris, aut alterius subtilis humoris habeat intra se sonum, & tinitum aliquem, vt cõtingit in pluribus infirmis, non auditur sonus externus, nisi sit vehemẽs. Et si lingua sit aliquo amaro humore affecta, omnia iudicat esse amara: ergo oportet semper organum sensus esse denudatum qualitatibus sensibilibus, vt illas percipere possit, aut saltem solùm percipiet illas, in gradu excellenti, ita vt intùs existens prohibeat extraneum. Quibus tandem accedit autoritas Arist. qui reuera principium illud semper tã quàm verum admittit, nam quanuis verba in hoc capite adducta, possint in bonũ sensum adduci, iuxta prædictam expositionem, alia tamẽ sunt loca, quæ nullam pati possunt in-

interpretationem: nam. 2. de anima. c. 11. aperte docet organum tactus non percipere similes qualitates, sed excellẽtes dumtaxat, vbi vt dicto capite vidimus, non tantùm loquitur de qualitatib' primis, quarum perceptionem debet præcedere realis, & physica alteratio: sed etiam de qualitatibus secũdis, in quibus nulla talis alteratio præuia requiritur, vt de mollicie, & duricie sic enim ait. *Atque id, quod album nigrum, nigrumq; percepturum est sensu neutrum ipsorum actu, sed potentia sit vtrumque oportet, & in cæteris eodem modo.* Et cap. 2. de sensu, & sensibili docet organum olfactus debere esse denudatum calore, vt percipiat odorem, qui ex calore oritur.

His omnibus ego sane libenter succumberem ac prædictæ sententiæ firmiter adhærerem, nisi in contrarium tot ac tã efficaces extarent rationes, quæ intellectum veritatis cupidũ planè conuincunt. Quare dicẽdum existimo, intùs existens secundum esse reale non prohibere extraneũ secundum esse intentionale in sensibus, ita vt organum affectum qualitate aliqua, possit similem qualitatẽ per speciem intentionalem percipere. Quod pluribus rationibus efficaciter meo iudicio ostẽditur, & vt primam conficiã.

Suppono falsum esse, id quidam ex autoribus contrariæ sententiæ affirmant, scilicet pupillam, quæ est organũ potentiæ visiuæ, nullo prorsus colore esse affectam, vt colores omnes percipere possit, quod in primis est contra manifestam experientiam, nam si oculum diuidas quouisq; ad humorem crystallinum descẽdas, talis humor plane videtur, imo sine tali diuisione propriam pupillam quis intuetur in speculo, quod euidens indicium est, illam habere colorẽ aliquem, nihil enim nisi coloratum videri potest.

Et ratio à priori est, quia cum color sit qualitas secunda oritur ex permixtione primarum qualitatum: sed pupilla cum sit corpus mixtum habet permixtionem primarum qualitatum: ergo sine dubio habet colorem aliquem, licèt exiguum, cum in illa adsit sufficiens causa coloris.

Quo supposito, argumẽtor sic, quia cum quis propriũ oculum in speculo intuetur, vi det pupillam, in qua residet potẽtia visiua: ergo color realis in illa existens, non impedit receptionem speciei inten-

tionalis sui ipsius: ergo neque impediet receptionē speciei alterius coloris, similis etiā in gradu, cū vterq; color sit similis in specie, & gradu; vt suppono: ergo intùs existēs secūdū esse reale non impedit extraneū secundū esse intētionale.

Quòd si quis sine fundamēto, & contra quotidianā experiētiam audeat negare aliquē propriam pupillam in speculo intueri. Contrà est, quia saltē non audebit negare videri tunicas superiores: iam ergo in illis recipitur species earumdem, aliàs talis species nō posset ad internā pupillā peruenire: ergo intùs existēs secundū esse reale non prohibet extraneū secundū esse intētionale.

Secundò potest sumi argumentum à sensibilibus cōmunibus, nā quantumuis organū potentiæ visiuæ, habeat tantam quantitatem, & talem figurā, cū hoc potest percipere per speciem intentionalē similem quantitatem, & similem figuram in alio corpore existentem: ergo similiter potest recipere speciem similis sensibilis proprij, ac in se habet.

Dicetur fortasse esse diuersam rationem, quia sensibile commune percipitur per eandē speciē, qua percipitur sensibile proprium, vnde quia potest organū visus recipere speciem alterius coloris diuersæ speciei ac in se habet, etiā potest percipere sensibilia cōmunia, tali colore adrūcta, quātūuis sint similia his, quæ in tali organo existunt: hoc tamen non satisfacit, quia vt suo loco ostendimus, saltem correspondet sensibili cōmuni propria species modalis distincta ab specie reali sensibilis proprij, neq; enim potest vtrūq; hoc obiectum percipi per eādem indiuisibilem entitatem: ergo sicut sensibile commune existens in organo potentiæ secundum esse reale non impedit receptionem speciei modalis similis obiecti, idem erit de sensibili proprio.

Tertiò ad hoc propositum efficax est argumentum superiùs adductum, nam quanuis intellectus sit secundum esse reale intellectus rei materialis, tamen si esset causa productiua speciei propriæ alterius intellectus, nequaquam repugnaret ex parte intellectus illam recipere: ergo intùs existēs non impedit extraneū secundum esse intentionale.

Cui argumēto respōderi solet esse diuersam rationē, nam spiritualia propter suā perfectionē possunt modificari per speciē alterius similis, secus, ta-

tamen corporea. Est tamen satis friuola solutio: nam ex eo quòd spiritualia sint perfectiora corporeis, solũ probatur esse modificabilia per receptionem specierum spiritualium: ergo simili modo corporea erunt modificabilia, per speciem minùs perfectã, scilicet corpoream.

Quartò idem etiam probat experientia supra adducta capite de tactu; nam si quis habens manum satis mollẽ, alterius manum minus mollẽ apprehendat, tactu percipit aliqualem illius molliciem: ergo non solùm æquale, sed minus potest percipere secundũ esse intentionale.

Quintò idẽ probari potest de gustu; nã si quis alterius linguã manducet, in tali obiecto saporẽ aliquem inueniet, quis quis ille sit: ergo sapor linguę inhærens nõ impedit perceptionem alterius similis.

Certa ratio à priori huius est, quia esse reale, & esse intẽtionale sunt duo esse maxime diuersæ rationis: ergo quantũuis organũ alicuius sensus sit informatũ qualitate aliqua secundũ esse reale, adhuc est priuatum illa secundum esse intentionale, & ita adhuc habet capacitatem ad recipiendũ tale esse intentionale.

Dices, non esse in potentia, ex eo quòd cũ iam habeat talẽ qualitatem secundum esse reale, quod longe perfectius est, quã esse intentionale, non est cur illã recipiat secundũ esse intẽtionale. Tamen cõtrà est, quòd quãuis esse reale sit perfectius, quàm esse intẽtionale non tamen habent eundem effectum, nã per esse reale absque esse intentionali non potest fieri cognitio obiecti: ergo quantumuis organum habeat qualitatẽ aliquam secundum esse reale, quia tamen illa nõ potest præstare effectum, quẽ præstat esse intentionale, adhuc debet esse in potentia ad esse intentionale, ꝙ est diuersæ rationis ab esse reali. Sicut quãuis subiectum aliquod sit actuatũ per colorẽ, qui est perfectior humiditate, adhuc est in potẽtia ad humiditatẽ, quia est forma diuersæ rationis à calore, & ad diuersum effectum ordinata.

Addo tamẽ in tactu, quantũ ad qualitates primas verissimum esse, quòd intus existẽs prohibet extraneũ, ita vt tactus solùm possit excellentes qualitates percipere. Ratio disparitatis est ibidem tacta, nã ante immutationem intẽtionalem harum qualitatum, debet præcedere immutatio realis.

lis, hac autem immutatione nihil poteſt recipere, id quod actu habet; debet enim eſſe in potentia: vnde tactus ſolũ poteſt percipere excellẽtes qualitates primas, in ſecundis tamen qualitatibus, id non inuenitur, vt loco citato dixi. Fateor ſententiam hanc hactenus explicatam mihi longe eſſe probabiliorem: tamen etiá fateor loca Ariſt. in contrariũ adducta, adeò euidenter illi aduerſari, vt nullam niſi ſatis futilem explicationem ſubire poſsint, ideò vnuſquiſq; quá ſibi placuerit eligat opinionem, mihi enim ſatis eſt veritatem oſtendiſſe.

Argumenta autem in contrarium adducta nihil mouere debent. Ad primum enim reſpondetur quòd ſi aliquid probaret, etiam haberet vim cõtra autores oppoſitæ ſententiæ: ipſi enim aſſerunt intùs exiſtens prohibere tantùm extraneum ſimile, non vero diſſimile, quia caret illo: vnde dicunt quòd quanuis tactus habeat calorem intenſum, non ideo fit impotens ad percipiẽdam frigiditatem, quæ eſt diuerſę rationis à calore, ſed tãtùm ad percipiendum ſimilẽ calorem in gradu, ac in ſe habet, ſed color vitri viridis etiã impedit viſionem aliorum corum, qui ſunt diuerſæ rationis ab illo, nam alij etiam colores apparent virides: ergo ſi argũmẽtum aliquam haberet vim, etiam probaret contra ipſos intùs exiſtens adhuc prohiberet extraneũ diſsimile, quod ipſi negant.

Reſpondetur ergo, ideò vitrum viride poſitum inter potẽtiam viſiuam, & obiectum: impedire perfectam viſionẽ, quia cum obiectum poſt illud exiſtens, & vitrum ipſum per eandem lineam viſualem mittant ſpecies ad potentiam viſiuam, ex permixtione ſpecierum, obiectum poſt illud exiſtens aliter apparet, quàm ſit: cuius rei argumentũ eſt, quia ſi tale obiectum non ponatur poſt vitrũ, ſed ad latus illius, non impeditur perfecta viſio talis obiecti, ſed reuera videtur perfectè vt in ſe eſt, quia non immutant potentiam per eandem lineam, quia ergo ſi ille color exiſteret inhęſiue in potentia viſiua, non poſſet in illa producere ſpeciem iuxta dicta in capite de viſu, atque adeò nec permiſceretur cum ſpecie colorum, qui ſunt ad extra, ideò color in hærens organo non impedit viſionem, benè tamen color ad extra exiſtens in vitro viridi. Similis ratio aſsignari poteſt, quare in

aqua

aqua fluente arbores apparẽt fractæ; nam cum ſpecies arboris in aqua recepta, inde perueniat vſq; ad potentiam viſiuã per eandem lineam permixta ſimul cum ſpecie ipſius aquæ, ideò taliter modificatur, vt arbor appareat fracta, quia localiter per eandem lineã miſcetur cum ſpecie repræſentãte aquã confractã & fluentẽ.

Sed inſtabis, quia ſaltem ex hac ſolutione ſequitur coloré exiſtẽtem in tunicis ſuperioribus oculi impedire perfectã viſionem, quia ſpecies colorũ ad extra exiſtentium recta via tranſeunt per illas tunicas ſicut per vitrum viride. Reſpõdetur tamen negando conſequentiam, quia color illarum tunicarum per eam partem, quæ ex directo correſpõdet pupillę, adeò eſt tenuis, ac remiſſus, vt nihil impediat, ſicut etiam color vitri, adeò remiſſus eſſe poteſt, vt non impediat viſionem colorum, vt patet in anteoculis, quos colorem aliquẽ habere negari non poteſt, cum habeant permixtionem primarum qualitatum à qua color habet ortũ. Verũ eſt aliquãdo colorem tunicarum eſſe nimis cæruleum, aut nimis nigrum, non tamen per paruam illam cauitatem pupillę correſpondentem; nam verſus illam natura prouida, fere nullum illis indidit colorem, ne viſio aliàs à natura intenta ex illa parte impediretur.

Et ſi adhuc vrgeas: quæ ergo eſt ratio, quare habentes oculos cæruleos imbecillem ſatis habeant potentiam viſiuam, ſi verũ eſt in parte illa per quam tranſeunt ſpecies viſibiles, in omnibus eſſe colorem nimis remiſſum. Reſpondetur cauſam eſſe, nam cæruleus ille color indicat temperamentum primarum qualitatũ interiùs in pupilla exiſtens non eſſe ita aptum ad viſionẽ, fortaſſe ex frigiditate, & ita homines albi, qui frigidiores ſunt, ſolent oculos cæruleos habere: imò experimur homines nimis albos ferè nihil videre propter exuperantiã frigiditatis.

Ad ſecundum de ſono intra aurem commoto, ibi intùs exiſtẽte prohibere extraneum per accidens, vel quia ille humor ad aurem deſcendẽs prauè diſponit organum auditus, ita vt ex praua diſpoſitione non poſſit niſi vehementes ſonos percipere, aut illum interius cõcitatum, vel certe, quia cum pluribus intentus minor ſit ad ſingula ſenſus, non poteſt auditus aliàs intentus in con-

cõtinua auditione illius interne cõmotionis ita perfectè exteriores sonos percipere: nam & hac ratione dicebam suprà singulas voces plurium simul canentiũ, minùs perfecte percipi, quàm si seorsum audirẽtur, virtus enim finita pluribus intenta, & quasi diuisa, minor circa singula redditur.

Ad tertium de lingua infecta humore amaro, dico etiam nullius esse momenti, aliàs etiam conuinceret autores cõtrariæ sententiæ, cum secundum illos intùs existens non prohibeat extraneum diuersæ rationis: ergo in sententia illorum humor amarus nõ posset impedire perceptionem saporis dulcis.

Quare respõdetur illius rei duplicẽ causam assignari posse. Prima est, nam humor ille in lingua infirmi existẽs propter suam crassitiẽ impedit perfectam applicationem rei dulcis ad partes ipsius linguæ, & ita sapor ille linguæ adhærẽs, cum habeat acrem nimis actiuitatem, quasi cogit potentiã, vt illum tantùm percipiat, sicut in visu dici solet, lumẽ maius offuscare minus lumẽ, qua ratione lumen solis non permittit, vt visus feratur in exiguum lumen stellarum propter magnam suam actiuitatẽ, qua quasi cogit visum, vt ad illud tantùm feratur.

Quibus etiam tertia ratio addi potest: nã prauus ille humor linguam tenens, eam tollit distemperiem, quæ ad sapores rectè percipiendos requiritur. Ex dictis ètiam assignari potest ratio, quare in olfactu odorifera exhalatio carũculam mamillarem tenens impediat aliorum odorum perceptionem, quia scilicet quasi cogit potentiam, ne ad alios odores distrahatur. Ex quibus etiam omnibus patet intùs existens per se loquendo non impedire extraneum, nisi fortasse per accidens, nempe ex alia causa adiuncta.

Vltimò hac in parte dubitari potest, an saltem in sensu interno intus existens prohibeat extraneum secũdum esse intentionale, & respondetur negatiue, vt rationes superius allatæ hoc etiam conuincere videntur. Tum etiam, quia cõtingere potest, q̃ tactus percipiat calorem remissiorẽ illo, qui est in organo sensus interni: in hoc nulla profectò appareret repugnantia: sed sensus cõmunis percipit sensibilia præsentia actu, sensata à sensu externo: ergo potest sensus internus percipere minorem ca-

lo-

lorem, quàm in se habeat: ergo adhuc in sensu interno, intùs existẽs non prohibet extraneum secundum esse intentionale. Verum est tactum nõ posse percipere nisi maiorem calorẽ, quã in se habeat propter præuiam illam realem alterationem, quã ante immutationem intentionalem diximus requiri: sensus tamen internus non requirit talẽ præuiam alterationẽ ad percipiendas qualitates tãgibiles, quod ex diuersitate naturæ vtriusq; sensus petendum est.

Quæst.II. Vtrùm intellectus sit pura potentia in genere intelligibilium.

CErtum est intellectũ non esse puram potentiam in genere entis; habet enim in se ad minus actum entitatiuum, ideſt, entitatẽ propriã actualẽ, sicut etiam, & quæuis alia res, imò est actus quidam formalis: est enim quædam forma accidentalis, potentia scilicet inhærens animæ rationali. Solùm ergo est dubium, an saltẽ in genere intelligibilium sit pura potentia, ita vt in se nullum includat intelligibile.

Est autem ratio dubitãdi, quia illud est pura potentia in aliquo genere, quod nullum actum illius generis includit: sed intellectus includit aliquid intelligibile, propriam scilicet entitatem, quæ in se intelligibilis est: ergo non est pura potentia in genere intelligibilium.

Dicendum tamen est cum communi interpretum sentẽtia, intellectum esse puram potentiam in genere intelligibilium, sic enim docuit in hoc cap. Arist. dicens, *Intellectũ esse tamquàm tabulam rasam, in qua nihil est depictum.* Ratio autem est facilis, quia vt res aliqua dicatur quasi proximè intelligibilis, nõ satis est habeat in se entitatem intelligibilẽ, sed quòd habeat speciem suĩ in intellectu, per illam enim fit quasi proximè intelligibilis; sed intellectus ex se nullã habet speciem intelligibilẽ, illi à natura inditam, quin potius huiusmodi species accipit ex phantasmatibus, vt infrà dicetur: ergo ex se est pura potentia ad omnia intelligibilia, & ita est pura potentia in genere intelligibiliũ: quẽadmodum, quia materia prima de se est subiectum omniũ formarum, nullam illarũ includens, dicitur pura potẽtia subiectiua: neq; oportet in re leui diutius immorari.

Ad rationẽ dubitandi ref-

pondetur facile, quòd quãuis intellectus includat in se aliquam entitatẽ, illa tamen non est intelligibilis proxime, & immediate nisi per speciẽ intelligibilẽ, & quia intellectus intelligit se per speciẽ rei materialis, quia speciẽ intellectus non habet ex sua natura, sed à Phãtasmatibus illã de sumit, ideò adhùc non includit se, vt intelligibilis est, & ita ex se est omnino pura potentia in genere intelligibilium.

Solet hoc loco dubitari: vtrum ex intellectu, & obiecto intelligibili fiat vnum per se in genere intelligibilis, non secùs quã ex materia, & forma fit vnum per se in genere entis, potest autem quæstio simili modo intelligi de potentijs sensitiuis respectu obiectorũ sensibilium. Certum autẽ est non fieri vnũ per se ex intellectu, & re intelligibili cõsiderata in esse rei, quia lapis nõ vnitur, secundum esse reale cum intellectu quãdo ab illo intelligitur, vbi autẽ non est vnio partium, non potest ex illis resultare aliquid per se vnũ: solum ergo est dubium an ex intellectu, & obiecto intelligibili mediante specie intelligibili illius fiat vnũ per se, idest, an ex intellectu, & specie intelligibili fiat vnum per se.

In qua re Auerroes hoc lib. tex. 5. asserit fieri vnum per se ex intellectu, & obiecto intelligibili, imò magis vnũ, quàm fiat ex materia & forma. Cuius sententiã recipiũt Caie. & Zumel. 1. p. q. 14. ar. 1. & plures alij hoc loco, quorũ fundamẽtũ est, quia ex pura potẽtia, & actu fit vnũ per se, vt ex materia & forma; sed intellectus est pura potẽtia ad omnia intelligibilia: ergo fit vnũ per se ex intellectu, & obiecto intelligibili; qđ autẽ fiat magis vnũ, quã ex materia & forma, probant. Quia quãuis materia, & forma coalescãt in aliquod totũ, tamẽ forma nõ fit materia, neq: è cõtra: sed intellectus quãdo obiectũ aliquod intelligit, fit illud secundũ esse intelligibile, sic enim docuit Aristot. in hoc c. prope finẽ. Et ratio est quia illud est tale, quod habet formam à qua prouenit esse talis rei, sicut illud est homo, q̃ habet formã hominis: sed intellectus quãdo intelligit obiectum aliquod, recipit formã illius rei cõsideratæ in esse intelligibili, recipit enim speciẽ intelligibilẽ: ergo fit talis res in esse intelligibilis atq; adeò magis fit vnũ in esse intelligibilis ex intellectu, & obiecto intelligibili, quã ex materia & forma in ratione entis.

So-

Solutio huius dubitationis aliunde habet ortum; nã qui asserũt ex subiecto & accidẽti fieri vnũ per se saltẽ accidẽtale, sicut vnio accidentis cum subiecto accidentalis est, & nõ substantialis, ꝙ satis esse probabile videbimus in Logica, consequẽter fateri possunt ex specie intelligibili, & intellectu fieri vnũ per se, & fere est quæstio de nomine: isti enim autores nomine, vnius per se, nõ intelligũt aliquid vnũ substãtialiter, sed aliquid, ꝙ vere sit vnũ, ibi autẽ verè est vnũ, vbi est vera, & realis vnio partiũ, & quia inter intellectum, & speciem intelligibilẽ intercedit vera, & realis Physica vnio, ideò ex illis fit aliquid vere vnũ, scilicet intellectus habens specie intelligibilem: in cõmuni tamen opinione, qua asseritur ex subiecto, & accidẽti nõ fieri vnũ per se, etiam debet fateri non fieri vnũ per se ex specie intelligibili, & accidenti: dicunt enim nomine entis per se non tantũ significari aliquid habẽs partes verè vnitas, sed habẽs partes per se ordinatas, & quia nullũ subiectũ per se, & essentialiter dicit ordinem ad accidens, sed per accidẽs, ideò asserunt nõ fieri vnũ per se ex illis: tamẽ reuera videtur quęstio de nomine.

Et iuxta opinionem primã argumentum Auerro. non indiget solutione, probat enim intentũ: tamen iuxta hanc cõmunem sententiã respondendũ est, non ex quacunq; pura potẽtia, & actu fieri vnum per se, nisi quando talis pura potẽtia est natura sua ens incompletum, nã ex pluribus entibus in actu non fit vnum per se, & quia iuxta hanc sententiam intellectus, & species intelligibilis, sunt duæ species qualitatis totalis, & completę ideo ex illis nõ potest coalescere aliquid vnum per se.

Ad secundum respondetur in nulla opinione posse probabiliter defendi, si proprie loquamur, fieri magis vnũ ex intellectu, & specie intelligibili, quàm ex materia, & forma, quidquid Caiet. & Zumel supra citati contẽdant: illa enim locutio, quòd scilicet intellectus dum rem aliquã intelligit fiat res ipsa intelligibilis recipiendo formam expressam, & imaginem formalem illius, est locutio metaphorica, sicut cum dicitur amantẽ trãsformari in rem amatam, vt quando imaginem Cęsaris, Cęsarem appellamus: nam sicut ipsa imago ex eo solũ dicitur forma rei, quia gerit speciẽ illius; ita etiam intellectus talĩ

telligitur quid sit intellectus practicus, & speculatiuus; sunt enim potentiæ illæ, quæ ad huiusmodi actus, & obiecta ordinantur.

Secundò supponendū est intellectum possibilem, multis etiam alijs nominibus appellari: dicitur enim memoria fæcunda, secundùm quòd est informatus speciebus intelligibilibus, sunt enim species, vt supra dixi, veluti semē obiecti, vnde potentia intellectiua illas recipiens, veluti fit grauida & fęcunda ad prolē producendam, scilicet verbū, vnde etiam verbum, conceptus dici solet.

Dicitur etiam intelligentia secundum quòd simplici intuitu aliquando fertur in res ipsas, dū illas simplici apprehensione cognoscit: vnde ex eo forsan hac ratione intelligentia nuncupatur, quia in tali modo cognitionis, intelligentijs spiritualibus assimilatur. Appellatur verò ratio in quantùm discurrit, & ratiocinatur, vnde & dici solet ratio superior, & inferior.

Pro cuius rei intelligentia aduert. est ex diuo Augustino lib. 12. de trinitate. c. 7. quòd cum actus nostri liberi arbitrij regulari possint per regulam rationis, quando intellectus noster regulat huiusmodi actus per regulas æternas & superiores, scilicet quòd sit contra legem Dei, & inducat pœnam æternam, tunc appellatur ratio superior. Quando vero considerat res temporales, appellatur ratio inferior, quæ doctrina communi sensu recipitur ab scholasticis doctoribus.

His suppositis dicendū est cum communi auctorum sententia: intellectum practicū, & speculatiuum, rationem, & intelligentiam, rationem superiorem, & inferiorem, esse eādem prorsus potentiam, intellectum scilicet, qui secundum varios actus, quos habet, tot nominibus appellari solet, & de intellectu practico, & speculatiuo docuit D. Th. 1. p. q. 79. art. 11. de ratione verò, & intellectu, art. 8. de ratione verò superiori, & inferiori ar. 9. de intellectu verò, & intelligentia ar 10. & quidem de intelligentia, & ratione patet, nā ad eandem potētiam attinet, apprehendere terminos, & illis apprehēsis iudicare, & discurrere, sunt enim actus subordinati circa idem obiectum adæquatum intellectus, scilicet circa verū, ac proinde ad eandem potentiam reducendi sunt: ergo intelligētia, quæ

est

est intellectus, prout simplici intuitu fertur in obiecta, & ratio, quæ est idem intellectus discurrens, non sunt potentię realiter diuersæ. De ratione verò superiori, inferiori etiam patet quia cognitio rerum æternalium, & temporaliũ continetur sub adæquato actu intellectus, qui est cognoscere ens, proùt comprehendit omne ens: est enim obiectum adæquatum intellectus ens in communi, vt comprehendit omne ens, & eadem ratio probat de intellectu practico, & speculatiuo, vnde & dici solet, quòd intellectus speculatiuus extensione fit practicus; nam idem intellectus, qui speculatur naturam alicuius rei, dum deinde attendit admodum, quo talis res debet fieri, tradendo regulas, & precepta vt id fiat, appellatur intellectus practicus, & ita hæc omnia sunt variæ denominationes intellectus secundum diuersos illius actus inadæquatos.

Et si inquiras, an saltẽ cõcedi posset, intellectum practicum, & speculatiuum esse potentias formaliter diuersas. Respondetur negatiue, vt dicebam supra in simili de sensu interno, nam distinctio specifica potentiarum, non est desumenda ex actibus, & obiectis inadæquatis, sed potiùs ex adæquatis, aliàs etiam esset dicendum esse plures potentias visiuas specie diuersas iuxta diuersas species colorum, quæ sunt obiecta inadæquata visus: ergo reuera neque formaliter, & specifice distinguuntur, sed tantũ per diuersas denominationes eiusdem potentię petitas à diuersis actibus illius.

Quæstio Quarta. Vtrùm intellectus sit potentia realiter diuersa à memoria intellectiua, & voluntate.

QVæstio hæc facilẽ habet solutionẽ, quantũ attinet ad distinctionẽ memoriæ intellectiuæ ab intellectu, suppositis his, quę diximus de sensu interno, nã si idem sensus secundũ rem, qui fertur in obiectum absens, potest etiã ferri in idem obiectum, quando præsens est, multo meliùs id fatendum est in intellectu cũ multo maiorem perfectionẽ, & efficacitatẽ habeat ad percipiendum suum obiectum, quàm sensus internus, & aliàs præsentia obiecti non impediat, sed potius iuuet ad con-

tem-

templationẽ, & ita ſicut de ſenſu interno oſtendimus, ad eãdem prorſus potentiam pertinere cognoſcere ſenſibilia prę ſentia, & abſentia, idem erit multo potiori iure aſſerendũ de memoria intellectiua, & intellectu, & ita nõ ſunt potentiæ realiter diuerſæ: imò etiãſi admittamus memoriã ſenſitiuã realiter diſtingui ab imaginatione, adhùc indubitatum eſſe debet, non diſtingui memoriam intellectiuã ab intellectu; nã ex maiori longè perfectione, quã habet ſupra omnes ſenſus, obiecta omnia, quæ ad diuerſos ſenſus pertinent, ad vnicam dumtaxat potentiam intellectiuam referẽda ſunt. Tũ etiã quia obiectũ adæquatũ intellectus, eſt ens in cõmuni prout cõprehendit omne ens, ſub quo etiam comprehenditur ens præteritũ vt ſic; ꝙ pertinet ad memoriã intellectiuã, & ita cõmuni omniũ conſenſu receptũ eſt memoriam intellectiuam eandẽ eſſe potentiam cũ intellectu.

Addo præterea cum Scotõ in 4. d. 4. q. 3. §. *circa iſta*, memoriam ex cõmuni vſu huius vocabuli, non tantũ eſſe cognitionem rei pręteritæ, adhuc vt præterita eſt, niſi in quantũ quis recordatur ſe illã cognouiſſe: quanuis enim ſciat quis ſe natũ fuiſſe, tamen non dicimus illũ recordari ſuæ natiuitatis, quia nõ recordatur ſe illã ſenſiſſe: vnde idem dixit ſuprà de memoria ſenſitiua, & ita generale eſt memoriæ tam ſenſitiuæ, quàm intellectiuæ, non percipere obiectum ſeorſum & ſecundum ſe, ſed vt prius cognitũ, aut ſenſatum.

Eſt tamen contra hæc omnia locus difficilis Ariſt. lib. de memoria c. 1. vbi dicit memoriã per ſe eſſe in parte ſenſitiua, per accidẽs verò in intellectu, videtur ergo ſentire rationẽ memorię per ſe loquendo nõ conuenire intellectui. Hẽricus quod. 13. q. 7. aſſerit Ariſt. in prædictis verbis loqui de actu memoriæ, quẽ dicit eſſe in intellectu per accidẽs, id eſt, per aliud, eſt enim iſte actus cõiunctus cum actu memorię ſenſitiuę, ita vt ad actũ memoriæ ſenſitiuę ſubſequatur in intellectu alius actꝰ memoriæ intellectiuę, & hoc appellat Ariſt. per accidens.

Sed non placet hæc expoſitio, nam eadem ratione dicĩ poſſet intellectionem conuenire per accidens intellectui, quia etiam in quauis intellectione intellectus operatur, per conuerſionem ad phantaſmata, vt infra dicam, & cũ dependentia ab illa.

Qua-

Quare dicendum eſt, mentem Ariſt. loco citato tantùm eſſe quòd memoria, vt ſic, nõ ſit paſsio adæquata intellectᵒ, nam etiam cõuenit ſenſui, vnde quia ſenſitiuum quodammodo eſt prius intellectiuo ratione vniuerſalitatis, ideo docet actum memorandi conuenire primò, & per ſe ſenſitiuo.

Dubitabit deinde aliquis circa actum memoriæ intellectiuæ, an quando quis per illum cognoſcit obiectum, vt priùs cognitum, illa prior cognitio, quam aliquando habuit, reliquerit in intellectu tam ſpeciem impreſſam ſui, quã obiecti, vt deinde memoria intellectiua poſsit recordari illius obiecti, vt priùs cogniti.

In qua re plurium ſententia eſt, actũ intellectus relinquere in illo propriam ſpeciẽ, qua percipiatur, licèt imperfectã. Tenet Scot. in 4. d. 45. q. 3. §. *Circa iſtam*, quem eius diſcipuli cõmuniter ſequuntur. Quã ſententiam probabilem ſatis hoc tempore plures ſequuntur, adhuc tamen in eius explicatione ſunt diuiſi: quidam enim tantùm concediũt actum intellectus relinquere in illo ſpeciem quamdam modalem, ita vt per illam tãtùm cognoſcatur ille actus, prout modificãs obiectum, cuius eſt actus, ad modũ, quo ſupra dicebam ſenſationem, tam externam, quàm internam relinquere in ſenſu interno ſpeciem tãtùm modalem.

Alij verò etiam admittũt, talem actum relinquere ſpeciem realem, qua intellectus poſſet talem actum etiã ſeorſum concipere, & non tãtùm prout modificat ſuum ſubiectum: tamen quòd actus intellectus relinquat aliquam ſpeciem ſui, ſiue realem, ſiue modalem, ſic probant: nam actus potentiæ ſenſitiuæ cauſat ſpeciẽ ſui in ſenſu interno, à quo cognoſci poteſt, & ita ſenſus internus cognoſcit per illam ſenſationes internas, & externas: ergo ſimiliter actus intellectus id debet efficere, reſpectu potentiæ intellectiuæ, à qua cognoſci poteſt. Patet cõſequentia, quia non eſt minoris efficacitatis actus intellectus, quàm actus memorię ſenſitiuæ.

Verumtamen quanuis hæc ſentẽtia probabili ſatis rationi innitatur, communior tamen & probabilior ſentẽtia eſt omnes res ſpirituales, quæcumq; illæ ſint intelligi per alienas ſpecies, neque pro hoc ſtatu, quo anima eſt coniuncta corpori, habere propriã aliquam ſpeciem. Hæc videtur mens

S. Th.

S. Th. vbicumq; de hac re tractat, præsertim. 1. p. q. 87. & 88. & in primis experiẽtia nõ parùm fauet huic sententiæ, nam sicut substantias spirituales, nempe Angelos, cognoscimus ad modum rei materialis, & inde à posteriori colligimus nos non habere propriã speciem eorum, ita sane actus intellect⁹, qui spirituales sũt, intelligimus ad modum alicuius rei materialis aliquãdo sensatæ: ergo inde optime licet inferre tales actus cognosci per alienam speciẽ, atq; adeo nullam habent propriam speciem ab illis relictam.

Secundò, quia si huiusmodi actus relinquent speciẽ propriã in intellectu ab illis productam, possemus pro hoc statu cognoscere huiusmodi actus spirituales prout sunt in se; quod est contra manifestã experientiam. Patet consequẽtia, quia illud obiectũ potest ab intellectu cognosci, vt in se est, cuius habet propriã speciem intelligibilem, vt patet de rebus materialibus.

Et si respondeas actus ipsos solùm relinquere speciem sui imperfectã & ita nõ posse perfecte cognosci, vt sunt in se. Contrà est, nam in primis gratis videtur dici huiusmodi actus non habere virtutem ad producendam speciem perfectam sui, si aliquam propriam producunt. Tum etiam quia si actus imperfectus, & remissus habet actiuitatem ad producendam aliqualem sui speciem: ergo tam perfectus, ac intensus actus dari posset, quĩ perfectam speciem sui produceret, & ita per illã perfecte, & vt est in se, posset cognosci.

Tertiò, nam etiam concedendum esset actum voluntatis producere speciem sui in intellectu, dicere enim ideo non posse, quia sunt extra intellectũ, nullius momẽti est, nam etiã sensatio externa mittit speciem sui in sensu interno, quanuis sit extra illũ. Præterea concedendum etiam esset intellectum, imò & animã rationalem producere propriã speciem sui, quia non videtur maior ratio de actibus intellectus, quàm de his omnibus, cum ergo de intellectu & anima rationali vnanimis sit omnium sententia, quòd intelligant per species alienas, vt etiam autores contrariæ sentẽtiæ admittunt, dicendum sane videtur etiã actus intellectus intelligi per speciem rei materialis.

Quare ad argumentum cõtrariæ sententiæ respondetur esse diuersam rationem, quia

enim ſenſus internus quodãmodo poteſt percipere ſenſationem, vt eſt in ſe, ideo poteſt illa relinquere ſpeciem propriam ſui, tamen cum experientia conſtet actum intellectus non cognoſci, vt eſt in ſe, inde à poſteriori colligim⁹ non habere efficacitatem ad producendam propriam ſpeciem ſui. Dicere autem ſaltẽ poſſe producere ſpeciem imperfectam, iam impugnatum eſt.

Tandem circa id, quod inquirebat quæſtio, ans ſcilicet intellectus realiter diſtinguatur à voluntate, dicendum eſt breuiter; huiuſmodi potẽtias realiter diſtingui inter ſe, habet enim voluntas diuerſum obiectum formale ab obiecto intellectus, quia obiectum intellectus eſt verum, obiectum verò voluntatis eſt bonum, vt ſic. Prętereà habent diuerſum modum operandi, nam intellectus intelligit obiectum, vt dici ſolet, attrahendo illud ad ſe, eſt enim potentia apprehẽſiua, voluntas autem tendit in obiectum ferendo ſe in illud, quia cum ſit appetitus quidã rationalis fertur in obiectum, & ita non indiget ſpecie aliqua ad eliciendum ſuum actum, quia non attrahit ad ſe obiectum per ſpeciem, ſed potius ipſa fertur in illud.

Addiderim tandem intellectum perfectiorem, ac nobiliorem potentiam eſſe voluntate, vt docuit optimè D. Tho. 1.par.q. 82.art. 3.&.3.contra Gent.c.26. contra Scot. in 4. d.49.q.4. Ratio verò eſt, vt alias omittam, quia volũtas eſt quædam potentia cæca, vt aiunt Theologi, quæ fertur in obiectũ illi ab intellectu propoſitum cæco quodam impetu, intellectus verò eſt potentia diſcurſiua, & quæ ſubtiliter inquirit rerũ quidditates & eſſentias obtruſas, & reconditas, quòd manifeſtè indicat intellectum perfectiorem eſſe voluntate. Et hæc de hac quæſtione.

Quæſt. V. Vtrũ in intellectu poſsibili ſint neceſſariò ponendæ ſpecies ad percipiẽda obiecta.

SVpra lib.2.c.2.& 7. duplicẽ in ſenſu diſtinguebam ſpeciem, alteram quidem impreſſam, alteram vero expreſſam, & ad eundem modum in intellectu duplex ſpecies diſtingui poteſt: altera impreſſa, quæ ſit principium determinans intellectum ad producẽdam talem, vel talem ſpeciem expreſſam, quæ communiter

ap-

appellari ſolet ſpecies intelligibilis: altera vero expreſſa, quæ verbum mentis appellatur, de vtraque dubitamus, an neceſſariò ſit ponenda in intellectu ad intelligendum, & quia autores de vtraq; nõ eodem modo loquũtur, ideò de vtraq; ſigillatim erit quæſtio.

Circa ſpecies intelligibiles referri ſolet ſententia Galen. vt refert Grego. Niſen. lib. de viribus animæ. c. 2. aſſerentis in vniuerſum nõ dari ſpecies impreſſas, & ſpecialiter de ſpeciebus intelligibilibus. Tenet Duran. in 4. d. 6. q. 6. nu. 10. ac de inceps. Pro qua ſententia in primis eſt difficilis ratio, nã ſi admittamus huiuſmodi ſpecies intelligibiles, dicendum eſt iuxta receptam ſententiam illas produci in intellectu poſſibili efficienter ab intellectu agenti, ſimul cum Phantaſmate, vt inſtrumento, de quo infra cap. 5. Ex quo ſic argumentor: nam ſi intellectus agens poteſt medio Phantaſmate, quamtumuis materiale ſit, producere ſpeciem ſpiritualẽ intelligibilem: ergo etiam facille dici poteſt intellectum poſſibilem vti phantaſmate materiali vt inſtrumento, ad producẽdum verbũ mentis, quo cognoſcimus, quamtumuis tale verbum ſit ſpirituale, quia non videtur maior ratio vnius quã alterius: vnde fruſtrà ponit ſpecies intelligibilis, imò & intellectus agens, cum verbum mentis poſsit ab intellectu poſsibili medio phantaſmate produci.

Secundò obijcit Duran. rationem ſupra lib. 2. c. 5. adductam: nam ſi ad aliud eſſet neceſſaria ſpecies intelligibilis, maxime vt per illam, vt per imaginem, & ſimilitudinem obiecti, illud cognoſceremus, ad hoc autem opus eſſet quòd priùs cognoſceremus ipſam ſpeciem, vt quod, ſicut vt per imaginem cognoſcamus Cæſarem, opus eſt prius cognoſcere imaginem ipſam, ſed experientia conſtat nos non ſemper cognoſcere talem ſpeciẽ, dum cognoſcimus obiectũ aliquod, ſed tantùm cognoſcimus obiectum ipſum: ergo nõ ſunt neceſſariæ tales ſpecies intelligibiles.

Vera tamen communiſque ſententia nobis tenenda eſt, quod ſicut in ſenſu neceſſariò ſunt ponendæ ſpecies impreſſæ ad ſentiendum, ita neceſſarium ſit intellectum conſtituĩ in actu primo per ſpeciem intelligibilem ad intelligendũ, ſiue dicamus intellectionem formaliter conſiſtere in actione productiua verbi, ſiue in

verbo ipso (quod modo non disputo.

Hæc in primis fuit sententia Platonis, qui posuit in intellectu rerum omnium imagines. Augustin. etiam. 2. super Genesim ad literam dicit, *Deũ bis res produxisse semel quidem in se ipsis secundum esse reale, iterum vero secundum esse intelligibile in intellectu Angeli.* Et 1. lib. de Trinitat. c. 2. dicit, *Positionem specierum intelligibiliũ difficile suaderi tardioribus ingenijs*, eãdemq; sententiã docet in hoc. c. Arist. dicens intellectũ esse susceptiuũ formarũ, id est, specierũ. Est etiã expressa sententia D. Th. vbicũq; de hac re tractat, quẽ communis Philosophorũ schola sequit.

Et ratione probatur primò, quia multo maiorẽ porportionem habet obiectum sensibile cum sensu, quam obiectum intelligibile cũ intellectu, est enim obiectũ sensus quid materiale, sicut & ipse sensus: obiectum autem intellectus, qui spiritualis est, sæpe est aliquid materiale: ergo multò magis indiget intellectus specie, illi proportionata, ad intelligendũ, quã sensus ad sentiẽdum.

Secundò id probatur ex indifferentia, quam habeat intellectus ex se ad cognoscẽdum hoc, vel illud obiectum, non secus quàm sensus: ergo debet poni aliquod principium intrinsecum illi, à quo determinetur ad eliciendam cognitionem potius, circa hoc obiectum, quàm circa illud, non minus quàm in sensu, quod principium est, species intelligibilis.

Et si obijcias etiam intellectum agentem esse indifferentem ad producendam hãc vel illam speciem intelligibilẽ, & tamen non determinatur ad talem actionem per aliquod principium illi inhærens, sed per phantasma, quod est in sensu interno: ergo simile quid posset intelligi de intellectu possibili. Adhoc patebit solutio ex dicendis in solutione ad primum argumẽtum Durandi.

Vltimò probatur conclusio, quia intellectus percipit multa impossibilia, & entia rationis, quæ cum sensata nõ sint non potest iuuari à phantasmate illorum, debet ergo ad intellectionem illorum habere speciem intelligibilem, à qua determinetur ad eorum cognitionem.

Vnde ad primum argumentum supra adductum pro sententia Durandi respondetur esse diuersam rationem de intellectu agẽti & de possibili: nam

nam intellectus agens non est potentia cognoscitiua, est enim munus illius producere speciem intelligibilẽ: intellectio autem nõ consistit in hac actione, sed in productione verbi, aut fortasse in ipso verbo, actio autem non cognoscitiua non requirit, ꝙ principia coadiuuãtia ad illã sint inhærẽtia in potentia, aquà fit, qua ratione potentia generatiua, quę, vt suprà, est qualitas diuersa à calore, vtitur calore ipso, vt instrumẽto ad suã actionem efficiendã, cum tamẽ calor non sit inhæsiue in potentia generatiua, aliàs potẽtia generatiua præsupponeretur ad calorem tanquã subiectum illius, quod tamẽ est falsum: nã cum talis potentia sit qualitas quædam secũda, præsupponit primas qualitates, qualis est calor, tamen productio verbi mentis est actio cognoscitiua facta à potẽtia, cognoscitiua, scilicet ab intellectu possibili, potentia autem cognoscitiua hoc habet peculiare, quòd requirat principia cuoadiuuantia illi inhærentia, quod colligimus à simili de potẽtijs cognoscitiuis sensitiuis: illę enim non coadiuuantur ad producẽdam speciem expressam, qua cognoscunt, nisi ab specie impressa illis inhæreti: negare autem species impressas sensibiles est contra manifestas experientias adductas supra lib. 2. c. 5.

Ad secundã rationẽ respõdetur, ꝙ vt dicebam loco cita to species intelligibilis, aut quæuis alia species impressa, nõ ponitur, vt sit formalis imago, & similitudo obiecti, sed tã tum est imago virtualis, vt ibi dixi, vnde potius ponitur quà si quoddã semẽ obiecti, determinans potentiã, quam informat, ad formandũ conceptum & nõritiam de obiecto, imò quãuis esset imago, & similiu do formalis obiecti, non opus esset, quòd prius cognoscere tur, vt quod qua ratione: quãdo cognoscimus obiectũ aliquod, nõ cognoscimus pri⁹, vt ꝙ verbũ mẽtis, medio quo cognoscimus, sed satis est tale verbũ cognosci vt, quo; vnde diuersa est ratio de imagine Cæsaris respectu visus, nã illa est suis colorib⁹ ornata, & cõposita, color autẽ obiect⁹ visui necessariò videtur, tamen quãuis species intelligibilis aut verbum sint obiecta intelligibilia, non est tamẽ necessariũ, vt eo ipso, quod eorum obiectum cognoscitur, etiam ipsa cognoscãturvt qđ, sed ad cognitionẽ illorũ opus est nouo actu; nam obiectum & species illius

illius fiunt res diuersæ, & ita postulant diuersos actus, quibus cognoscantur, actus enim distinguũtur per obiecta. Vnde quando Arist. lib. de memoria, & reminiscentia cap. 2. dicit eundem esse motum in imaginem, & rem imaginatã, non est intelligendum, quòd eodem actu vtrumq; cognoscatur, vt quod, sed alterum vt quo, alterũ vero vt, quod. Et hactenus de specie impressa.

Circa specié expressam seu verbum mẽtis, an sit necessariò ponendũ ad intellectionẽ, facilis est solutio, si supponamus rationem formalem intellectionis non esse actionẽ aliquam prædicamentalẽ, sed qualitatem, scilicet verbũ ipsum: nam si verbum est ipsa actualis intellectio, necessariũ erit verbum ad intellectionẽ tamquàm ratio formalis intellectionis.

Maiorem habet difficultatẽ, si sequamur plurium Thomistarum sententiam asserentiũ, rationem formalẽ intellectionis non consistere in verbo, sed in actione: in quo falsa est in primis sententia Canariensis de trinitate. q. 27. art. 1. q. 2. asserentis ideo verbum mentis esse necessariò ponendũ ad omnem intellectionem, vt sit imago, vt quod, cognita, & per ipsam cognoscamus obiectum in illa repræsentatum: ostendimus enim verbum non cognosci eodem actu, quo producitur; loquimur in humanis: nam de Deo alia est ratio, vt latiùs Theologi. Cum enim illius cognitio ob infinitã perfectionem, quam habet, nõ debeat limitari ad determinata obiecta, necessariò est comprehensiua omnium obiectorum intelligibilium.

Quare Caiet. 1. p. q. 27. ar. 1. asserit solũ in cognitione abstractiua esse ponendum verbum mentis, non autẽ in cognitione intuitiua, qua cognoscitur res per seipsam præsens intelligenti, vt quando Angelus cognoscit se ipsum aut Beati intuentur Deũ realiter illis intimè præsentem. Et idẽ asserunt eodẽ loco Zumel, & Bañez, deniq; alij, & Ferrara asserunt verbum solùm esse ponẽdum in cognitione distincta, non autem in confusa.

Dicendum tamen est in omni prorsus intellectione creata ponendum esse necessariò verbum mentis, vt sit terminus productus per illã actionem: & in primis Thomistæ contrarium asserentes nescio an bene possint explicare D. Tho. qui. 1. par. q. 27. art. 1. in corpore dicit, omne, quod intelli-

telligit, eo ipso quòd intelligit, producit aliquid ad intra, illud autem, quod per intellectionem producitur, appellatur ab omnibus verbum mentis: ergo D. Tho. expresse fatetur in omni intellectione esse ponẽdum verbum mentis. Dixi autem in omni intellectione creata, nam nõ leuis est difficultas apud Theologos, qualiter in diuinis Filius, & Spiritus sanctus, dum intelligunt, non producãt verbum: cuius solutio non est nostri muneris, dicemus tamen nonnihil de hac re lib. 1. de interpretatione, disputatione de verbo mentis quæst. 4.

Ratione ergo probatur per omnem intellectionem creatam, siue intuitiuam, siue abstractiuam, siue distinctam, siue confusam debere produci verbũ: quia de ratione actionis est habere terminum per illam productum, agere enim est aliquid efficere, seu producere, cum ergo in intellectione intercedat actio vitalis intellectus, siue in illa actione consistat formaliter ratio intellectionis, siue non, necessarium est per illam aliquid produci, terminus autem per illã productus est verbum: nam quid aliud esse potest: ergo in omni intellectione necessariò est ponendum verbum mentis, vt terminet intrinsecè talem actionem, tãquam aliquid productùm per illam, obiectũ enim solùm est terminus extrinsecus specificans actionẽ illam.

Sed specialiter contra Caiet. & alios potest secundò fieri argumentum: nam si in cognitione intuitiua non produceretur verbum, ex eo quòd obiectum est per se ipsum intimè præsens, sequeretur quòd Pater æternus, dum se ipsum sibi intimè præsentem comprehendit, non deberet producere, atq; adeo non esset necessarium ponere verbum in diuinis, quod est contra fidẽ, ponitur ergo verbum adhuc in cognitione rei præsentis, vt repræsentet intellectui rem illam præsentem, & ita possit cognosci.

Quæst. VI. Quid sint huiusmodi species.

EX dictis supra c. 5. de speciebus sensibilibus, non nulla hìc accõmodari possũt: est enim similis ratio de specie impressa, & expressa intellectus, ac de specie expressa, & impressa sensus, ea seruata differentia, quòd species sensus materiales sint, species vero in-

intellectus ſpirituales, ſicut potentia ipſa, in qua recipiuntur: vnde ex dictis loco citato colligitur huiuſmodi ſpecies eſſentialiter differre ab obiectis, quæ repræſentant, huiuſmodi enim ſpecies ſunt ſpirituales, obiecta vero, quæ propriè repræſentant materialia ſunt, res enim ſpirituales non cognoſcuntur per ſpeciē propriam, ſed per ſpeciem rei materialis, ergo huiuſmodi ſpecies neceſſariò debent differre ab obiectis, quæ repræſentant: tum etiam quia etſi albedo, & nigredo ſint qualitates contrariæ, ſpecies tamen illarum non ſunt contrariæ, poſſunt enim ex omnium ſentētia dari in eodem intellectu ſimul ſpecies intelligibiles illarum.

Colligitur ſecundò, quod ſicut ſpecies expreſſa ſenſus pendet in fieri, & in conſeruari ab actuali ſenſatione, ita verbum mētis pendet in fieri, & conſeuari, ab actuali intellectione, & ita illa ceſſante perit verbum, quod eſt conceptus formatus per intellectionem, talis enim eſt natura harum ſpecierum, & ſicut ſpecies impreſſæ ſenſuum internorum conſeruantur etiam tranſacta ſenſatione, ita ſpecies intelligibiles etiam conſeruantur trāſacta intellectione: de cauſa vero productiua illarum dicam. c. 5. ſequenti.

Tertiò ex dictis colligitur ſpeciem intelligibilem non eſſe formalem ſimilitudinē, & imaginē obiecti, id enim dūtaxat conuenit ſpeciei expreſſæ: nam ſi ſpecies intelligibilis eſſet formalis ſimilitudo obiecti, poſſet ſane intellectus per illam abſq; alia ſpecie intelligere, ſi quidem illi repręſentat obiectum: vnde actio productiua talis ſpeciei eſſet intellectio, neque eſſet opus verbo mentis, ſolùm ergo deſeruiunt ſpecies impreſſæ, vt ſint veluti ſemen deriuatum ab obiecto, quo potentia cognoſcitiua parit cognitionem obiecti formando conceptum rei intellectæ.

Maiorem habet difficultatē, an huiuſmodi ſpecies ſint imperfectiores obiectis, quæ repræſentant, quod ſatis mihi dubium eſt, vt dixi ſupra lib. 2. cap. 5. q. 2. In quare autores, qui aſſerunt ſubſtantiam percipi ab intellectu per propriā eius ſpeciē, non vero per ſpeciem accidentis, neceſſariò tenentur cōſequenter fateri ſpeciem repræſentantem ſubſtantiam eſſe imperfectiorem ſuo obiecto cum tales ſpecies ſint accidentia quædam, ſubſtātia autem

autem ex ſuo genere eſt abſolutè perfectior quouis accidenti.

Eſt tamen prædicta ſententia minùs probabilis, vt infrà conſtabit, & ita cum ſolũ detur propria ſpecies accidẽtis, ita vt tam obiectum, quã ſpecies illud repræſentãs, ſint accidentia, res eſt ſatis dubia quodnã illorũ ſit imperfecti*, & quanuis de ſpeciebus ſenſibilibus res ſit magis dubia, vt loco citato dixi; tamen de ſpeciebus intellectus abſolutè videtur dicẽdũ, eſſe eſſentialiter perfectiores ſuis obiectis: nam ſpecies intelligibilis eſt accidens ſpirituale, quod perfectius eſt quouis accidenti materiali, quod repræſentat. Tum etiam, quia huiuſmodi ſpecies, ſi ſint impreſſæ ſunt principiũ actionis vitalis perfectiſsimæ, qualis eſt intellectio, quod non habent accidẽtia materialia, ſi verò ſunt expreſſæ, ſunt terminus productus, per perfectiſsimã actionem vitalem, conſtituuntque potentiam in actu ſecundo illius, & ita ſunt perfectiores ſuis obiectis.

Etſi obijcias, nam ſpecies impreſſæ ſenſibiles ſunt imperfectiores ſuis obiectis ſaltem illæ, quæ deſeruiunt ſenſibus externis, vt loco citato vidimus: ergo idẽ erit de ſpecièbus impreſsis intelligibilibus.

Reſpondetur eſſe diuerſam rationem, nam illæ non ſunt ſpirituales ſicut ſpecies intelligibiles: tum etiam immediatè pendent ab obiecto, tamquàm à cauſa æquiuoca principali, vt ibi diximus, hæc autem cauſa neceſſariò eſt perfectior effectu, ſpecies vero intelligibiles non pendent immediatè ab obiecto, ſed ab intellectu agenti, qui effectiuè medio phantaſmate illas producit, vt infra.

Poteſt etiam hoc loco dubitari vtrum huiuſmodi ſpecies immediatè recipiantur in potentia intellectiua, poſſet enim quis fingere illas recipi immediatè in eſſentia animæ, vt de habitu gratiæ aſſerit cõmunior Theologorum opinio. Recepta tamen ſententia eſt, huiuſmodi ſpecies immediatè ſubiectari in intellectu poſsibili, & de ſpecie expreſſa patet, nam actio, & terminus in eodem ſubiecto recipiuntur, intellectio autem productiua ſpeciei expreſſę ſubiectatur in intellectu, alias non eſſet actio immanens, neq; intellectus poſſet formaliter per illam dici intelligẽs: ergo ſpecies expreſſa producta per actum intelligendi ſubiectatur

in intellectu. De ſpecie verò intelligibili idem probari poteſt à ſimili de potentijs cognoſcitiuis ſenſitiuis, illæ enim requirunt ad eliciendum actũ cognitionis ſpeciem impreſſam ſibi inhærentem, qua formaliter conſtituantur in actu primo, cur ergo id denegandũ eſt intellectui?

Vltimò hoc loco poſſet eſſe quæſtio de nomine, an omnis ſpecies expreſſa producta per actum intelligendi ſit appellãda verbum mẽtis. Quidam enim negant propter terminũ productum per primam operationem intellectus, ſcilicet per apprehenſionem: nam cũ intellectus per illam actionẽ, nihil ſibi dicat, neque enim àliquid affirmat, aut negat, videtur terminum per illam productum non debere dici verbum: nam verbum eſt aliquid productum per dictionẽ ſeu locutionem. Crediderim tamen probabilius eſſe, adhuc terminum ſimplicis apprehenſionis eſſe appellandum verbum, quod à ſimili patet de locutione vocali: ſi enim quis hanc ſolam vocem *Homo* proferat, quodammodò dicitur vocaliter loqui, ſaltem ſimplici locutione, & talis vox prolata verbum appellatur, ita interior conceptus hominis, quodammodò verbũ mentis dici poterit, & eius productio ſimplex quædã, & minùs perfecta locutio, ſed cũ de re cõſtet, talem terminum eſſe formalem quandam imaginẽ repræſentatiuã rei intellectæ, in vocibus ne multũ moremur.

Quæſt. VII. Quomodo intellectus cognoſcat ſingulare materiale.

HActen' de intellectu poſſibili, & eius ſpeciebus diximus, modò verò de eius obiecto, & modo, quo illud cognoſcit, agendũ reſtat: illud in primis, vt certũ ſuppono, obiectũ intellectus eſſe illud omne, cp rationẽ entis participat, ſiue reale ſit, ſiue rationis, eſt enim intelligibile paſtro entis. In hac autem quęſtione, in qua agimus de modo, quo intellectus cognoſcit ſingulare, nõ loquimur de reb' ſpiritualibus; nã de modo, quo reſiſtę cognoſcuntur, poſteà erit ſermo: tantũ ergo loquimur de ſingulari materiali. Et in primis intellectũ noſtrũ cognoſcere ſingulare res eſt adeò experientia comprobata, vt illã negare ſit apertus error in Philoſophia: in quo turpiter erraunt Philoſophi Alexander, & Themiſtius hoc loco: conſtat

ſtat enim experientia intellectũ cognoſcere ſingularia abſentia aliquando per ſenſum ſenſata: dicere enim hoc tantùm fieri per ſenſum internũ ridiculum eſt, nam cum intellectus in genere potentię cognoſcitiuæ, longè ſit perfectior, & vniuerſalior potentia, quàm ſenſus: ſicut ſenſus poteſt cognoſcere ſingulare, ita etiam intellectus. Præterea, quia intellectus planè diſtinguit inter ſingulare, & vniuerſale, vt autem inter hęc extrema diſtinguat intellect⁹, neceſſarium eſt illa cognoſcere: quandò autem Ariſtoteles in hoc capite eam aſsignat differentiam inter ſenſum, & intellectum, quòd ſenſus ſit ſingularium, intellectus verò vniuerſalium, non intendit intellectum tantùm cognoſcere vniuerſalia, ſed ſenſus debet tantùm verſari circa ſingularia, intellectus verò etiã circa vniuerſalia, in quo à ſenſu diſtinguit: ſuper eſt ergo quæſti. d̃ modo intellect⁹, quo cognoſcit huiuſmodi ſingulare.

In qua re prima celebriſque Thomiſtarũ ſententia eſt, ſingulare cognoſci indirectè ab intellectu, nõ verò tamquã obiectũ directũ: ſic enim docuit S. Th. pluribus in locis præſertim. 1. p. q. 14. art. 11. in ſolutione ad primũ, vbi dicit, ſpeciẽ intelligibilem nõ eſſe propriam ſimilitudinẽ principiorum indiuidualiũ: vnde ſentit ſpeciẽ intelligibilẽ directè tãtùm repræſentare vniuerſale, & clariùs id docuit. quæſt. 86. art. 1. in corpore, vbi dicit ſingulare nec directè, nec primò cognoſci poſſe ab intellectu noſtro, ſed per quandam reflexionem, quæ autem ſit iſta reflexio variis modis explicatur ab eius diſcipulis, ita vt valdè inter ſe diſſentiant.

Caiet. ſuper art. 1. citatum ex q. 86. ſentit ſingulare cognoſci ab intellectu arguitiuè, ita quòd intellectus poſtquã cognouit naturam vniuerſalẽ, cum deinde aduertat talẽ naturã non poſſe dari ſeparatam à parte rei, ſed in ſingularibus ſubſiſtentem, inde formatquaſi per diſcurſum conceptũ rei ſingularis. Sotus verò in Phyſi. q. 2. dicit ſingulare cognoſci per determinationẽ Phãtaſmatis, ſupponunt nãq; Thomiſtæ in ſua ſetẽtia ſpeciem intelligibilem tãtùm repræſentare directè naturam vniuerſalem, & phantaſma cum ſit imago ſenſus, qui circa ſingularia verſatur, repræſentet ſingulare, dicunt, neſcio qua ratione, intellectũ determinari à phantaſmate ad

cognitionem ſingularis poſtquã cognouit vniuerſale. Probant autem ſuam ſententiam Thomiſtæ.1.ex Ariſt.hoc capite vbi dicit intellectum in cognitione ſingularium ſe habere veluti lineam reflexam: ſentit ergo cognoſci reflexè.

Secundò arguit D. Th. loco vltimo citato, quia intellectus noſter cognoſcit per ſpeciem intelligibilem ſpiritualem, atq; adeò abſtractã à materia, cum ergo ſingularia materiam concernant, quæ vel ſe ſola, vt Thomiſtæ putant, vel ſaltem ſimul cũ forma eſt principiũ indiuiduationis, ſequitur intellectum non cognoſcere primò, & directè naturam ſingularem, ſed potius vniuerſalem, quæ abſtrahit à materia, & conditionibus materialibus: vnde & dici ſolet, intellectum abſtrahere ab hinc, & nunc.

Tamen quãuis hæc D. Th. ſententia propter eius autoritatem probabilis ſit, longe tamen probabilius iudico, vt dixi.1.lib.Phyſ.ſingulare cognoſci directè ab intellectu. Quam ſententiam tenet Sco. in.4.d.45.q.3. Duran.in.2.d. 3.q.1. Tol.hic.q.12. qui rem turius perſpecta mutauit ſententiam, quam olim tenuit.1. Phyſi.q.5.

Pro cuius intelligentia aduert. eſt, duobus modis intelligi poſſe rem aliquã cognoſci ab intellectu propriè. Primò ita vt habeat conceptum proprium illius, ideſt, non cõpetentem alteri: & in hoc ſenſu non negat D. Th. neq; eius diſcipuli ſingulare cognoſci propriè, & directè ab intellectu, concipit enim intellectus ſingulare tamquàm aliquid vltimatè iam contractum, quod non conuenit naturæ vniuerſali, qua ratione ſi loquamur de hac lata ſignificatione conceptus proprij, etiam poteſt dici nos formare conceptum proprium rerum ſpiritualiũ; nam de Angelis concipimus illos eſſe incorporeos, & omni materia priuatos, qui conceptus non competit rebus materialibus, & ita in hoc ſenſu dici poteſt proprius Angelorum.

Alio ergo modo dicitur res aliqua cognoſci ab intellectu conceptu proprio: videlicet, quando res cognoſcitur per ſpeciem propriè, & directè repræſentantem illam, qua ratione dici non poteſt Angelos cognoſci à nobis conceptu proprio, quia cognoſcuntur per alienas ſpecies, è contra verò res materiales, quarũ habet intellectus proprias ſpecies

cies, dicũtur propriè, & directè cognosci ab illo.

Dicendũ ergo in hac quæstione est intellectũ cognoscere singulare materiale directe & per propriã speciẽ. Quę sententia probari potest primò, quia intellectus agens nõ producit speciem se solo, sed adiutum à phantasmate, vt ab instrumento, vt infrà ostendã c. 5. ex communi omniũ sententia: sed phantasma cum sit imago sensus interni, qui circa singularia versatur repræsentiat naturam singularẽ accidentis sensibilem: ergo potiùs determinat intellectum agentem ad producẽdam speciem intelligilem singularis, quàm vniuersalis abstracti à conditionibus indiuidualibus, & ita phantasma longè magis accõmodatum instrumentum est ad producendam speciem singularis, quàm vniuersalis.

Secundò, quia in intellectu non minùs quàm in sensu species expressa euadit similis speciei impressæ: fit enim ab illa tamquàm ab instrumẽto determinante intellectũ, ad producendam talem, vel talẽ speciem expressam; & ita sicut de Angelis nõ habemus propriã speciem impressam, ita neque formamus de illo propriũ cõceptum, sed de singulari materiali formar intellectus proprium conceptũ expressum, vt forè omnes Thomistæ admittunt, vno dempto Caietano vbi supra, quod præter quàm, experientia ipsa manifestè cõprobatur experietur enim quis, si velit supra se reflecti, potis se intelligere vniuersale ad modum alicuius rei singularis, quam aliquando vidit, quã è contra. Etiam ratio ipsa id suadet, cum enim cognitio nõstra pro hoc statu fiat mediis sensibus, & dependenter ab illis, nihil magis potest propriè cognosci ab intellectu, quàm id quod sensu aliquo sensatũ est: sed singulare est proprium obiectum sensus: ergo etiam intellectus format de illo proprium conceptum, atq; adeò etiam habet propriam speciẽ impressam, qua illud directè possit cognosci.

Tertiò, quia, vel intellectus non habet propriam speciem singularis materialis quia singulare est, aut, quia materiale, est, vel propter vtrũq; simul: non quia singulare est, nã intellectus vnius Angeli habet speciem propriam in opinione omniũ alterius Angeli singularis, cum illum propriè & directè connoscat; ergo iã singulare, quantum de se, est capax, vt sit de illo species propria

pria: ex parte verò intellectus nulla repugnátia aſsignari poteſt. Primò quia ſi intellectus Angeli non eſt incapax ad hoc: ergo neq; noſter. Dicere enim capacitatem illam intellectus Angelici prouenire ex maiori perfectione, quam habet, quàm noſter intellectus, non eſt ſufficiēs ratio. Ex hoc enim quòd intellectus Angelicus ſit perfectior noſtro, ſolū colligitur, vel habere perfectiores ſpecies, vel quòd perfectiori modo cognoſcat obiecta, non verò quòd ſolus ille ſit capax recipiendi ſpeciem propriam ſingularis.

Secundò, quia ſpecies ſingularis, quam hîc ponimus in intellectu non eſt materialis, ſed potiùs ſpiritualis, quare ergo intellectus noſter non erit ex ſe capax ad recipiendā illam?

Neque etiam obſtat materialitas ſingularis materialis: nam etiam vniuerſale materiale eſt, ſicut enim hic homo componitur ex hac materia, ita homo in communi componitur ex materia in communi: ergo ſi auferas ſingularitatem, quantùm eſt ex parte materiæ, tam materiale eſt vniverſale, quàm ſingulare, id enim quod dici ſolet vniuerſale eſſe magis abſtractum à cōditionibus materialib', ſenſus eſt, ideſt à conditionibus indiuidualibus, nam illis exceptis, etiam vniuerſalia ſunt corporea, ſicut ſingularia. Præterea cum talis materialitas cognoſcatur per ſpeciem ſpiritualem, quid impedit rem materialem cognoſci ab intellectu, dūmodo id ſit per ſpeciem ſpiritualem.

Quòd verò neque impediat materialitas, & ſingularitas, ſimul probatur à ſimili de Angelo, ille enim habet ſpecies proprias ſingularium materialium: ergo iam ex parte materialitatis, & ſingularitatis, non repugnat dari ſpeciem illius, neque aliàs poteſt ſufficienter aſsignari repugnátia ex parte intellectus: ergo dicendum eſt intellectū habere propriam ſpeciem ſingularis materialis, per quā poſſit illud directè, & propriè cognoſcere.

Tandem res hæc magis cōſtabit ex impugnatione ſingulorum modorū, quibus Thomiſtæ paulo anteà citati aſſerebant cognoſci ſingulare indirectè & reflexè. Et im primis nō placet primus modus Caiet. aſſerentis, cognoſci arguitiue; nā potiùs vniuerſale colligitur ex ſingularibus, quam è contra; nam vt dicebam. 1. lib.

Phyſi.

Phyſi. ex eo quòd intellectus cognoſcit plura indiuidua habere conuenientiam aliquam, colligit inde eſſe naturam aliquam vniuerſalem illis cómunem; potiùs ergo vniuerſale colligitur ex ſingularib', quã è contra.

Secundò, quia ſingulare nõ ſemper cognoſcitur per diſcurſum; nam ante diſcurſum de re ſingulari neceſſariò debet præcedere apprehẽſio terminorũ ſingularium: ergo nõ ſemper ſingulare cognoſcitur arguitiuè, ſi proprie de diſcurſu loquamur.

Neq; etiã placet modus dicẽdi Soti aſſerentis ſingulare cognoſci per determinationẽ phantaſmatis; nã hęc ſententia adhùc duobus modis explicari poſſet. Primò quidẽ ita quòd intellectus informatus ſpecie intelligibili vniuerſalis aſſummat vt inſtrumentũ phãtaſma ad producendum verbum rei ſingularis. Et hoc dici non poteſt, quia intellectus poſsibilis, qui intelligit, non vtitur phãtaſmate, hoc enim eſt munus intellectus agentis. Tum etiam, quia potentia cognoſcitiua, vt dicebam quæſt. 5. huius capitis, requirit principia illi inhærentia, per quæ intelligat, & hac de cauſa dicebam ſolùm phantaſma non ſufficere vt ſit inſtrumentum ad producendum verbum mentis: ergo non poteſt intellectus poſsibilis vti phantaſmate ad cognitionem ſingularis.

Quare alij hoc tempore dicunt producta iam ſpecie intelligibili rei vniuerſalis, Phãtaſma vt inſtrumentum intellectus agentis producere modum quemdam in ſpecie intelligibili, quo ſpecies intelligibilis determinatur, & modificatur ad repræſentandum ſingulare. Contra quam ſententiam argumentor ſic: nam ſaltem iam concedit hæc ſententia dari propriam ſpeciem intelligibilem, ſaltem modalem directè repræſentantem ſingulare. Et probatur, nam ille modus, quem iſti fingunt ſuperadditum in ſpecie intelligibili, eſt proprius ſingularis, & ad nihil aliud ordinatur: ergo iam concedunt ſpeciẽ modalem, qua ſingulare directè repræſentetur.

Vnde argumẽtor, nã ſi phantaſma eſt inſtrumentum accommodatum ad producendam ſpeciem modalem ſingularis, quare ergo non dicemus produci quandã ſpeciem realem, per quã directè repræſentetur ſingulare, cum opus ſit tali ſpecie modali. Præſertim

cum

cum ſingulare non ſit modus ſuper additus, & ex natura rei diuerſus à natura vniuerſali, vt ſuprà dicebam de ſenſibili communi reſpectu proprij: nã cum ſenſibile cómune ſit modus ſuperaddit⁹ ſenſibili proprio, correſpondet illi ſpecies modaliter diuerſa ab ſpecie ſenſibilis proprij.

Tandem contra hęc omnia facit, quòd nullum obiectum indirectè cognitum poteſt eſſe primo cognitum à noſtro intellectu, vt pluribus rationibus oſtendi 1. lib Phyſi. & q. ſequenti nõnihil dicam: ergo ſingulare nullo modo poteſt cognoſci indirecte ex cognitione vniuerſalis, quouis modõ hoc fingatur.

Ad argumenta cõtrariæ ſententiæ reſpondetur. Ad primum ſimilitudinem illam Ariſt. hoc modo intelligendam eſſe, vt Themiſtius, & Philoponus exponunt, quòd quẽadmodum linea reflexa habet diuerſum modum ab illo, quẽ habet linea recta, ita intellectus diuerſo modo ſe habet, quando intelligit vniuerſale, & quando cognoſcit ſingulare, ſunt nãq; iſti diuerſi actus, & ita ratione illius diuerſi actus diuerſimodè ſe habet, nõ tamẽ intẽdit Ariſ. ſingulare reflexè cognoſci ab intellectu.

Ad ſecundũ, quòd quanuis ſingulare materiale concernat materiam, tamen nõ probatur hoc ſingulare non poſſe directè cognoſci per ſpeciem ſpiritualem abſtractam à materialitate, vnde munus intellectus agentis non eſt abſtrahere ſpeciem intelligibilem à cõditionibus ſingularibus, vt ſine fundamento fingunt Thomiſtæ, ſed abſtrahere illã à materialitate; nam intellectus agẽs ex phantaſmate materiali, veluti deducit aliam ſpeciẽ ſpiritualem, directè tamen repræſentatiuã rei ſingularis. Id etiam quod dici ſolet, intellectũ abſtrahere ab hic & nunc, tantũ denotat intellectum eam habere perfectionem, vt poſsit cõſiderare obiectum aliquod preciſſe ſecundum ſuam eſſentiam ſingularẽ, aut vniuerſalem non conſideratis circunſtãtijs loci & temporis, quod ſecus eſt de ſenſu, hic enim nõ percipit obiectũ niſi prout in tali præſentia, & in tali loco exiſtens, & ita cõcernit neceſſariò hic, & nũc, intellectus vero minimè.

Ex dictis colligitur non repugnare, ſimul in eodem intellectu plures ſpecies intelligibiles numero tantùm diuerſas, non ſecus quàm de ſpecibus ſenſibilibus dicebã. 2. lib. c. 12.

cap. 12. cùm enim istæ speciès ordinentur ad diuersa obiecta numero repræsentanda, non habent similem omninò modum informandi: vnde intellectus habens speciē intelligibilē huius obiecti adhùc est in potentia ad habēdā aliā speciem intelligibilem huius obiecti numero diuersi.

Quæst. VIII. Quomodò intellectus cognoscat vniuersale.

PRædicatū aliquod vniuersale, v. g. color, duobus modis potest ab intellectu cognosci, vno modo prout inclusum in suis singularibus, vt in hac albedine, qua ratione potiùs est singulare, quā vniuersale; & hoc modo certum est, prædicata vniuersalia alicuius indiuidui cognosci per speciē talis indiuidui. Ratio est, quia species repræsentās hāc albedinē, repræsentat essentiā illius, & cū de illius essentia sint hæc prædicata vniuersalia, scilicet color, & qualitas, talia prædicata ibi cōtēta, repræsentātur per speciem singularis, in quo sunt intimè inclusa.

Alio ergo modo potest cognosci vniuersale, prout scilicet est denudatum à cōditionibus indiuidualibus, & ab illis abstractū consideratur, vbi non loquor de secūda intentione vniuersalis, sed de natura ipsa, tamē abstracta, & hoc modo quærimus per quā speciem cognoscat ab intellectu.

In qua re primus dicēdi modus esse potest vniuersale nō cognosci per speciē intelligibilē singularis, sed per aliā diuersam. Nec desunt leues rationes ad hanc sententiā probādā. Primò, quia species expressa, quę est conceptus formatus per actū intelligendi, euadit similis speciei impressæ, à qua causat, vt sæpè diximus; sed species expressa singularis solū repræsentat prædicata vniuersalia, nō prout contracta in singularib⁹; ergo quę uis notitia, quæ mediante talī specie impressa habeat, nō erit de re vniuersali, prout abstracta à suis singularib⁹, atque adeò vniuersale, vt vniuersale est, non potest cognosci per hanc speciem.

Secundò, quia abstractum, & contractum, sunt conditiones contrariæ, & sibi inuicem repugnantes: ergo impossibile est, speciem repræsentantē naturā, vt cōtractā, qualis est species rei singularis, repræsentare illā, vt abstractā à suis singularibus: ergo vniuersale per aliā speciē cognoscitur.

Dicendum tamen est, vni-

uerſale cognoſci p ſpeciē rei ſingularis, in qua eſt talis ratio vniuerſalis incluſa. Ratio eſt duplex. Prima, quia ſpecies intelligibilis repræſentans hāc albedinem, repræſētat ea omnia, quæ ſunt de illius eſſētia; ſed prędicata ſuperiora, ſunt de eſſentia inferiorū, qualiter de eſſentia Petri eſt q̄ ſit homo, animal, corpus, &c. ergo hæc omnia prædicata repręſē tāt per ſpeciē intelligibilē Petri: ergo cognoſcuntur per talē ſpeciem.

Et ſi reſpōdeas negādo cōſequētiā, quia talia prædicata ſolū repręſentātur per talem ſpeciē, vt incluſa in ſingulari, de cuius eſſētia ſunt, nō verò repræſentātur vt abſtracta, & ita per illā ſpeciē non poſſunt cognoſci, vt abſtracta. Contrà eſt, q̄ ſi ratio ſuperior reluceret in ſpeciē, licèt cōtracta; ergo iā talis ſpecies repræſētat rationē illā ſuperiorem, & etiā cōtractionē: poteſt ergo intellectus vti illa ſpecie ſecundū omnē latitudinē, ad quam ſe extēdit, videlicet ad cognoſcendā rationem ſuperiorē abſolutè, & etiā prout contractā: poteſt ergo per illā ſpeciē cognoſcere prædicata ſuperiora abſolutè abſq; cōtractione, qua ratione vniuerſalia ſūt.

Sed inſtabis: Nā eadē ratione poſſet quis facilè dicere, p phātaſma repręſentās rē ſingularē poſſe intellectū agētem ꝓducere ſpeciē rei vniuerſalis, quia in tali re ſingulari repræſētata per phātaſma ſunt prædicata vniuerſalia inuoluta, vnde quodāmodò repręſē tāt per phātaſma; & ita poterit intellectus vti phātaſmate ſecundū omnē ſuā latitudinem, ad quā ſe extēdit: atq; adeò poterit producere ſpeciem vniuerſalis abſtracti: quod eſt cōtra ſuperiùs dicta.

Reſpōdet negādo cōſequētiā, nam intellectus poſſibilis habet vim ad pręſcindēdā vnā rationē ab alia, vnde poteſt vti ſpecie intelligibili ſecūdū vnā rationē, pręſcindēdo illā ab alia; quia verò totū munus intellectus agētis tātū eſt ꝓducere ſpeciē intelligibilē, qua obiectū intelligi poſsit, ideò, quia poteſt per vnicam ſpeciem cognoſci tam ratio ſuperior, quàm inferior, ideò non producit ſpecies diuerſas harum rationum.

Secūdò probat cōcluſio, nā ſi ratio hominis, quę eſt in Petro, vt eſt prędicatū vniuerſale, poſtulat diſtinctā ſpeciē intelligibilē ab ea, qua repręſentat Petrus: ergo etiā ratio animalis peteret aliā ſpeciē nouā diuerſam ab ſpecie hominis,

& ſic

& sic de singulis prædicatis superioribus. Consequētiā probo; nā sicut prædicatū, homo, dicit rationē abstractā ab indiuiduis hominis, ita animal à pluribus speciebus, & sic de alijs prædicatis, ex quibus superiora abstrahūt ab inferiorib⁹: ergo singulis illorū correspōderēt diuersæ species intelligibiles, q̄ nullus dixit, & est planè superfluū, cū omnia illa prædicata inclusa in Petro, sufficiēter repræsētari possint p speciem repræsentantē Petrū.

Sed dubitabis an sufficiat vnica species singularis ad eognoscendū vniuersale vt abstractū, an verò requirātur plures plurium singulariū. Ratio dubitādi est: nā intellectus ex eo hábet fundamentū ad abstrahendā naturā vniuersalē pluribus communem, quia videt plura singularia habere interse conuenientiam: vnde illud, in quo cōueniunt, percipit vt omnibus commune: ergo necessarium est, concurrere plures species plurium singularium ad cognoscendum vniuersale, vt abstractum.

Respondetur tamen in primis, certum esse sufficere vnicā dūtaxat speciē intelligibilē ad cognoscendā rationem superiorem, tamen prout inclusam in singulari, qua ratione per speciē Petri cognoscimus esse hunc hominem, hoc animal, &c. Si tamē loquamur de ratione superiori, prout abstracta, distinguendum est, nam cognitio aliqua potest ex duplici principio oriri, scilicet, vel tamquam ex principio ex quo colligitur, qua ratione præmissę sunt principiū cognitionis conclusionis, non quidem principium quo efficiēs, hoc enim est species intelligibilis simul cum intellectu, sed principium ex quo talis cognitio colligitur. Aliud verò est principium quo, quod est causa efficiens talis cognitionis, qualis est species intelligibilis.

Dico ergo ad cognitionem vniuersalis requiri plures species plurium singulariū, tamquàm principium ex quo: nā intellectus nisi videret conuenientiam plurium singularium, non colligeret vniuersale: vnde cognitio talium singularium habet se velut cognitio præmissarum, ex qua alia infertur: tamen si loquamur de principio efficiēti quo, sufficit vnica species vnius singularis ad eognoscendum tale vniuersale, quia tota natura talis vniuersalis sufficienter repręsentatur per vnicam speciē, vnde per quā-

sibet speciem singularium, potest cognosci vniuersale. Et per hæc patet ad rationem dubitandi.

Ex dictis patet quàm sit verum id, quod latè ostendimus 1. lib. Phys. d. 1. nempe vniuersale non posse esse primò cognitum à nostro intellectu, sed potiùs singulare, ex eo enim intellectus habet fundamentum ad percipiendam naturã aliquam communẽ pluribus, quia cognoscit plura individua eiusdẽ speciei habere inter se conuenientiã aliquam; priùs ergo debet cognoscere singularia illa, quàm naturam communem ab illis abstrahat.

Secundò, nam cum intellectus noster pro hoc statu operetur dependenter à phãtasia, quæ cum sensus sit, versatur circa singulare, id, quod primò cognoscit, illiq; priùs obijcitur est singulare. Sed ne rem hanc obiter attingens ob tenebrare potiùs videar quã declarare, legantur dicta loco allegato, vbi res hæc fusse satis tractata est: satis sit hoc loco ea fundamenta iacuisse, quæ ad illius quæstionis intelligẽtiã promiti hoc loco iaciẽda.

Ex dictis etiam colligo, tã vniuersale, quàm singulare directè cognosci ab intellectu, vtrũq; enim cognoscitur per speciem directè, & propriè illud repræsentantem; vnde vtrumq; est obiectum directè cognitum, licèt vnum cognoscatur priùs alio.

Tandem ex dictis facile est soluere rationes supra adductas. Ad primam respondetur verum esse speciem intelligibilem repræsentare prædicta vniuersalia contracta in singularibus, quia tamen vtrumque repræsentat prędicatũ, & eius contractionem in singulari, ideò potest optimè intellect' vti illa specie ad cognoscendum prædicatum vniuersale, præscindendo illud à contractione in singulari.

Ad secundam probare optimè speciem intelligibilem, nõ repræsentare naturam vt abstractam, quod nos fatemur, tamen vt cognoscatur per illã natura, vt abstracta, satis est; quòd in illa repræsentetur natura illa absolutè, vt intellectus formet deinde conceptũ de illa præcisse sumpta sine suis singularibus.

Quæst. IX. Quomodo intellectus cognoscat substantiã, & accidens.

COnueniunt omnes vt credo, intellectũ cognoscere accidens per propriam speciem

ciem intelligibilem, qua directe repræsentetur: nam cum phantasma, medio quo intellectus agens producit speciem intelligibilem, sit species accidentis, sensus enim interior cuius est phantasma, tantũ versatur circa accidentia, substantia autem est sensibilis per accidens, ideò tale phantasma est instrumentum accommodatum, vt intellectus agens producat speciem propriam accidentis: & hinc patet accidens non cognosci per speciẽ substantiæ, sed per propriam suam speciem.

Solùm ergo est difficultas de substantia, an cognoscatur per propriam speciem, vel potiùs per speciem accidentis. In qua re prima sententia est asserentium dari in intellectu propriam speciem substantię, diuersam ab specie accidẽtis, per quam cognosci possit. Tenet Sonci. 7. lib. Met. q. 14. Iauell. q. 3. & in scholis nostris est res ferè omnium calculis recepta. Quæ videtur probari primò, quia substantia est prior cognitione accidentis; nam cum accidentia dicant essentialem ordinem ad subiectum, quod est substantia, dependet quidditatiua cognitio illorum ex cognitione substãtiæ, & ita cognitio substantiæ est prior cognitione accidentis: ergo in illo priori necessariò debet cognosci substantia per propriam speciem, non verò per speciem accidentis, nã quod cognoscitur per speciẽ alterius, supponit cognitionẽ illius. Quemadmodum quia Angelus cognoscitur per speciem rei materialis, priùs cognoscitur res illa materialis, ad cuius modum deinde cognoscitur Angelus.

Secundò argumentantur à simili; nam accidens reale, verbi gratia calor, producit saltẽ vt instrumentum substãtiam realem, ignem scilicet: ergo similiter accidẽs intentionale, nempè species intentionalis accidentis debet producere substantiam intentionalẽ, scilicet speciem substãtiæ, & ita quanuis Phantasma solùm sit species accidentis, erit sufficiens instrumentum ad producẽdam speciem substãtiæ. Omitto futiles alias rationes, quibus hæc sententia fulciri solet, sunt enim planè nullius momenti, qualis est ratio illa Soncinatis, & aliorum, quod cum de substantia habeatur quidditatiua cognitio, nõ potest fieri per species improprias alterius rei: cõstat enim nos habere quidditatiuã cognitionem Angelorum, & nostræ

ſtræ animæ, cum tamen hæc omnia cognoſcantur, per ſpecies alienas. Cuius ratio eſt, nam quanuis res aliqua cognoſcatur per ſpecies alienas, poſſunt tamen de illa plura demonſtrari per euidentē demoſtrationem, vt quòd Deus non ſit corpus, &c.

Quare hac ſententia relicta longè probabilius exiſtimo ſubſtantiam non cognoſci per propriam ſpeciem, ſed per ſpeciem accidentis. Quā ſententiam tenet Ricardus in 2. diſt. 24. quæſt. 3. artic. 3. Herue. quodlib. quæſt. 12. Valleſ. cap. 64. de Sacra Philoſo. Iand. 1. de anima quæſt. 3. eāq; hoc tempore ſequūtur viri doctiſſimi. Et in primis res hæc manifeſta experientia comprobatur, ſi quis enim velit ſupra ſe reflecti, experietur ſe cognoſcere ſubſtantiam per modum accidentis, cognoſcimus enim ſubſtantiam ad modum cuiuſdam albedinis extenſæ, vel ad modum alterius accidentis: ergo ſicut Angelus nō cognoſcitur per propriam ſpeciem, quia cognoſcitur ad modum alterius, ita ſubſtantia.

Secūdò probatur, quia phā taſma eſt quod determinat intellectum ad producendum talem, vel talem ſpeciem intelligibilem; ſed phantaſma tātum eſt ſimilitudo accidētis, & non ſubſtantiæ: ergo intellectus non habet propriā ſpeciem ſubſtantiæ.

Dices ſpeciē accidentis qualis eſt phantaſma in confuſo repræſentare ſubſtantiā, quia talis ſpecies non repræſentat albedinem, verbi gratia, abſtractam, ſed in concreto, ſcilicet album, vbi inuoluтè continetur ſubſtantia. Sed contrà eſt nam quanuis ſpecies accidentis repræſentet accidēs in cōcreto, ſubſtantia tamen ſubſtracta tali accidenti, ſolū per accidens ſentitur per talē ſpeciem: ergo intellectus agens ex vi talis ſpeciei nō determinatur ad producendā propriā ſpeciem ſubſtantię: vnde cū intelligat dependenter à ſenſibus etiam intelligit ſubſtantiā ad modum accidentis.

Ex dictis colligitur, quòd ſicut ſubſtantię non datur propria ſpecies intelligibilis, ita nec quantitatis prædicamētalis, nā vt ſupra lib. 2. c. 6. oſtendi, etiā quantitas eſt ſenſibile per accidens, nā ſi Deus cōſeruaret albedinem parietis cū ea extenſione, quā modo habet, ablata quantitate, eodē modo videretur, ac de facto, ſicut in Sacramento Euchariſtię albedo panis eodem modo videtur poſt corruptam ſubſtantiam

tiam panis, ac antea videbatur; vnde quantitas non minus quàm substantia est sensibilis per accidens, ac perinde neque in intellectu correspondet illi propria species intelligibilis.

Colligitur secundò, quàm sit verum, quod 1. lib. Physic. disputatione prima ostẽdi primò cognitum à nostro intellectu non esse singulare substantiæ, sed accidentis, cum enim substãtia cognoscatur ad modum accidentis, priùs debet cognosci accidens, & ita substantia non potest esse primò cognita.

Colligitur tertiò facilis solutio eius quęstionis, quã plures 1. lib. de anima tractare solẽt, & nos ibidẽ ad hunc locũ eius propriũ disputandã remissimus, videlicet vtrũ accidẽtia conducãt ad cognitionẽ substantiæ, quãuis enim ad distinctam cognitionem accidentiũ à priori, & per causam materialẽ habendam, opus sit, cognouisse substãtiam, quę illorũ subiectum est, ad quod dicunt essentialem ordinem, tamẽ ad habendã cognitionẽ de substantia à posteriori, plurimum conducunt accidẽtia: nam ex peculiaribus accidentibus, & proprietatib' rei colligitur eius substãtia, & essentia: tũ etiam, quia cum substantia cognoscatur per speciem accidẽtis, plurimùm conducunt accidentia ad cognitionem substantiæ, neq; in re facili opus est longiorem terere disputationem.

Ad argumenta cõtrariæ sententiæ respondetur. Ad primũ verum esse cognitionem substantiæ esse priorẽ cognitione distincta accidentis, hæc enim haberi nõ potest, nisi cognoscatur naturalis dependentia, quã dicit accidens ad substantiam, vt à causa materiali, à qua habet esse: tamen ante hanc cognitionem præcedit cognitio confusa accidentis, qua solùm cognoscitur accidens tantùm, vt aliquid exĩstens in rerum natura, non discernendo distinctè, an habeat inhærentiam, & dependentiam à subiecto, licèt reuera illam habeat. Neq; opus est cognitione confusa ea omnia attingere, quæ in re reperiũtur, sic enim potius esset distincta, quàm confussa.

Fit ergo res hoc ordine, & prius intellectus format conceptum confusum accidẽtis, & solùm quoad quæstionem an est. Deinde vero ad modum accidentis sic confusè cogniti, cognoscit substantiã distincte: tandẽ verò cognita iã substantia

ſtantia, quæ eſt cauſa materialis, à qua tale accidens pẽdet, format diſtinctum conceptũ accidentis, etiam quoad quæſtionem, quid eſt.

Vnde quandò Ariſt. 7. Met. text. 4. dixit ſubſtantiam eſſe priorem cognitione accidentis, loquitur de cognitione diſtincta, & non ſequitur ſubſtãtiam cognoſci in illo priori per propriam ſpeciem, ſed per ſpeciem accidentis priùs confuſſe cogniti.

Ad ſecundum reſpondetur eſſe diuerſam rationem de accidenti reali reſpectu ſubſtantiæ realis, & de accidenti intẽtionali reſpectu ſubſtantię intentionalis, vt ita dicã: nã accidens reale ideò producit ſubſtantiam realẽ, quia eſt diſpoſitio ad ſubſtantiam, illãq; continet in virtute, tamen accidens intentionale nõ eſt diſpoſitio ad ſubſtantiam intentionalem, vt patet in ſenſu, vbi quanuis producatur ſpecies accidentis, non tamen producitur ſpecies ſubſtantiæ, & cũ cognitio intellectus pro hoc ſtatu fiat dependenter à ſenſibus. res ita ſuo modo contingit in intellectu, ſicut in ſenſu.

Quæſt. X. Quomodò intellectus cognoſcat pro hoc ſtatu res ſpirituales, & ſe ipſum, ſuasq; actiones.

IN hac re aduertendum eſt in primis, id quod ſupra dicebam, duplex principiũ poſſe aſsignari in iuditio aliquo, ſcilicet principium quo efficiens, & hoc eſt ſpecies intelligibilis, quæ eſt cauſa efficiẽs intellectionis, & principiũ qđ ſunt premiſſæ ad inferendam talem concluſionem. Duo ergo poſsũt dubitari in hac quę ſtione. Primum eſt, per quam ſpeciem intelligibilẽ cognoſcat intellectus res ſpirituales, & ſe ipſum ſuaſq; actiones: aliud verò eſt ex quibus principijs ſeu prę miſsis eliciat talẽ cognitionem.

Circa primum fuit quorũdam ſententia, animam rationalẽ cognoſcere ſe ipſam per ſe ipſam: ſic fatetur ſenſiſſe Platonẽ in Alcibiade, & Mirandu. in ſuis concluſionibus: tenet etiam Gregor. in 1. d. 3. q. 2. & videtur indicare Auguſtin. lib. 9. de trinitate. c. 3. in fine, vbi dicit, *Quòd mens ſe ipſam nouit per ſe ipſam, quoniam eſt incorporea*: & fundamentũ eſſe poteſt, quia anima rationalis eſt intimè præſens ſibi ipſi, &

& proportionata, nulla ergo indiget ſpecie, vt ſe cognoſcat, & idē eſt de intellectu, vt ſe cognoſcat. Et cōfirmari poteſt à ſimili: nā Angelus vt ſe cognoſcat, non indiget ſpecie ſuperaddita, præſertim in cōmuni Thomiſtarū opinione, qua dicunt Angelum ſe cognoſcere per ſuam eſſentiā: idē ergo erit de anima rationali reſpectu ſuæ cognitionis.

Dicendū tamē eſt primò, ad cognoſcēdas res ſpirituales ſibi extrinſecas, quales ſūt Angeli, indigere ſpecie rei materialis. Hęc eſt cōmunis omniū ſententia, quā D. Th. & eius diſcipuli cōmuniter ſequūtur. 1. p. q. 87. & 88. & ſæpe alibi, vnde Paul. 1. ad Corint. c. 3. Videm', inquit, nūc per ſpeculū, & in ænigmate: vbi loquitur de Deo, & eadē eſt ratio de alijs ſubſtantijs ſpiritualibus, & ipſa experientia id planè demōſtrat: intelligimus enim Angelum ad modum cuiuſdā iuuenis pulcherrimi habētis alas, &c. & cum conceptus ſeu ſpecies expreſſa euadat, vt ſæpe dixi, ſimilis ſpeciei impreſſæ, euidens eſt intellectum in tali cognitione vti ſpecie aliena rei materialis.

Eſt tamē dubitatio an quādo quis intelligit Angelū, verbi gratia, detur aliquod obiectum terminatiuum talis actus præter rem illam materialem, ad cuius modum intelligimus Angelum.

Sunt enim qui dicant nihil à re materiali terminare talem actum, quod tamē falſum eſt; nam longè aliud eſt, quod intelligitur, aliud verò id ad cuius modum intelligitur: ſi enim quis vulgarem hominem è media plebe acceptum, quaſi eſſet Rex, intelligat, reuera non intelligit Regem, ſed plebeium hominem ad modum Regis; ita ſane quando quis cognoſcit Angelum, id, quod intelligitur eſt ipſe Angelus, de quo intellectus plures enuntiat proprietates, quę in re materiali minimè inueniri poſſunt, ſemper tamen intelligit hoc totum ad modum rei materialis.

Dico ſecundò etiam animā, aut intellectum ad cognoſcendum ſe ipſum indigere ſpecie rei materialis. Hæc etiam eſt communis omnium ſententia, quam ſatis indicauit Ariſt. hoc capit. vbi dicit, intellectū intelligere ſe ipſum, ſicut alia cuncta: ergo ſicut ad percipienda alia obiecta extrinſeca indiget ſpecie ſuperaddita, ſic etiam ad cognoſcendū ſe ipſum: vnde cū ſe ipſum cognoſcat ad modū rei materia-

lis, euidens eſt intellectum v-ti ſpecie rei materialis ad cognoſcendum ſe ipſum.

Maior poſſet eſſe dubitatio, an actiones intellectus, & voluntatis producant in intellectu proprias ſpecies, quib' cognoſcantur, licèt imperfectas. Partem enim affirmatiuam ſequuntur plures hoc tempore, cum Scoto in. 4. diſt. 4. q. 3. quos ſupra retuli. q. 4. vt tamẽ ibi oſtendi, longe probabilius eſt actiones intellectus, & voluntatis, & etiam habitus intellectuales, denique omnem rẽ ſpiritualem cognoſci per ſpeciem alienã, experimur enim iſta omnia à nobis cognoſci per modum rei materialis, neque formamus proprios conceptus de illis: ergo intelligũtur per ſpecies alienas.

Imò addo plures etiam res materiales tã paruæ entitatis, vt ſenſu percipi non poſſint, etiam cognoſci ab intellectu per alienas ſpecies: cõcipit enim quis lineã ad modum cuiuſdam fili protenſi, & punctũ ad modũ parui corpuſculi. Simile quid eſt de relatione, & de alijs accidentibus materialibus exiguam ſatis entitatem habentibus, quorũ omnium ratio eſt, quia cum intellect' noſter pro hoc ſtatu intelligat depẽdẽter à ſenſibus, ea omnia accidentia materialia, quæ ſenſu non percipiuntur, intelliguntur per ſpeciem alicuius rei ſenſatæ, & ita ad modum illius concipiuntur.

Vnde ad argumenta cõtrariæ ſententiæ reſpondetur, & in primis Auguſtini, cum dicit mentem ſe per ſe ipſam cognoſcere, tantùm intendere, vt notauit D. Th. 1. p. q. 87. ar. 1. ad primum, quòd mẽs per ea, quę ſunt ſibi intrinſeca, ſe cognoſcat, ſcilicet per ſuos actus, licèt à poſteriori, nõ verò abſque ſpecie ſuperaddita.

Ad primam rationem reſpõdetur, quòd cum modus cognoſcẽdi noſtri intellectus pro hoc ſtatu ſit depẽdẽter à ſenſibus, quamuis anima, aut intellectus ſit ſibi præſens, & proportionatus in eſſe rei, non tamen eſt proportionatus ſuo modo cognoſcendi, cum ſpiritualis ſit, ipſe verò cognoſcit ad modũ corporis: vnde propter hanc inproportionem cũ ſuo modo cognoſcendi, indiget ſpecie rei materialis, vt ſe ipſum cognoſcat.

Ad confirmationem reſpõdetur, quidquid ſit de exẽplo illo, in quõ nõ moror, eſſe tamen diuerſam rationem: nam Angelus, non ſolùm eſt ſibi præſens, ſed etiam eſt proportionatus ſuo modo cognoſcẽdi,

di, intelligit enim res spirituales vt sunt in se: vnde cum sit sibi sufficiéter præsens, & proportionatus suo modo cognoscendi, nulla fortasse indiget specie superaddita; intellectus tamen noster, prout est in se, non est proportionatus suo modo cognoscendi.

Circa secundum, quod inquirebat quæstio, scilicet vnde, aut ex quo principio deducat intellectus noster cognitionem rerum spiritualiũ, aduertendum est huiusmodi res dupliciter posse cognosci, scilicet, & quantùm ad quæstionem an est, & quantũ ad quæstionem quid est.

Hoc supposito non est animus hoc loco disputare, de quiditate, aut existentia Angelorum, autipsius Dei estnamq; res Theologica: solùm nonnihil dicam de accidentibus spiritualibus, quæ animæ nostræ inhærent, quales sunt potentiæ & habitus.

Fuit enim aliquorum sentẽtia asserentium, actus voluntatis cognosci immediatè per se ipsos, ita quòd immediatè, & per se ipsos concurrant ad actum illum cognitionis, quo percipiũtur. Tenet Pater Molina, 1. p. q. 55. ar. 4. sed non placet. Primò, quia experiẽtia cõstat huiusmodi actus cognosci ad modum rei materialis: ergo cognoscuntur per speciẽ rei materialis, non verò immediatè & per se ipsos.

Secundò, quia potẽtia cognoscitiua, vt suprà dicebã, debet vti principio aliquo sibi inhærenti, quo constituatur in actu. 1. ad eliciendam cognitionem de re aliqua: ergo actus, qui sunt in voluntate, cũ nullatenùs inhæreant intellectui non possunt immediatè, & per se ipsos causare suã notitiam.

Dicendũ ergo est breuiter animã cognoscere accidentia spiritualia sibi inhærẽtia à posteriori, cognoscit enim suas potẽtias, quoad quæstionẽ an est per operationes, quia experitur se intelligere & velle. Et hinc etiã cognoscit habitus, quia experitur se faciliùs modò, quàm antea operari, & ita colligit se habere internũ habitum, quo redditur facilis, ac tandem cognoscit se habere speciem intelligibilem, quia est principium necessariũ ad intelligendum. Deniq; essentiam horum omnium quodãmodo colligit à posteriori; nã ex eo quòd intellectio se extẽdat ad obiectum spirituale, qualiter intelligimus Deũ, & Angelos, colligit intellectionẽ esse actũ spiritualem, actus

enim materialis nõ potest attingere obiectũ spirituale, vt patet de actu potẽtię sẽsitiuę: & hinc colligit potentiam elicitiuã talis actus esse spiritualem, quia potẽtia corporea nõ potest elicere operationẽ spiritualem, & cum talis potentia spiritualis non possit subiectari in materia, colligit esse ponendam formam spiritualem, cui talis potentia inhæreat, quo argumento euidenter ostendam infrà immortalitatem animę rationalis, & cũ ad omnem cognitionem sequatur appetitus, colligit in hac eadem anima rationali dari aliam potẽtiam spiritualem illi propriam, quæ dicitur volũtas, & est quidam appetitus rationalis, & per inde colligit debere habere operationes spirituales: hæc tamẽ omnia cognoscit per speciem rei materialis, vt ostensum est.

Quæst. XI. Vtrũ intellectus noster pro hoc statu necessario intelligat per conuersionem ad Phantasmata.

DE modo cognitionis animę separatę fortasse plura dicam infrà, modo autẽ in his omnibus solùm loquor de modo cognitionis animæ vnitæ corpori, nã quòd anima separata non intelligat per cõuersionem ad phantasmata per se ipsum satis patet, cum phantasmata, quæ species materiales sunt, non sint extra corpus.

Præterea certũ est intellectũ in prima cognitione alicuius obiecti, necessariò indigere operatione phantasiæ: ratio est, quia non potest tale obiectum intelligere, nisi habeat speciem intelligibilem illius: talis autem species intelligibilis producitur ab intellectu agenti medio phantasmate, vt instrumento. Phantasma autem est idôlum productum per operationem phãtasiæ, quod pendet à tali operatione in fieri, & conseruari, nõ secùs quã verbum mentis ab actuali intellectione: ergo in prima cognitione obiecti necessariò dependet intellectus ab operatione phantasiæ.

Solũ ergo est dubiũ de alijs cognitionibus, quæ sequũtur post habitã iã cognitionẽ de obiecto aliquo, quãdo scilicet intellectus est iam informatus specie intelligibili, an necessariò intelligat depẽdẽter ab operatione Phãtasię, hoc enim intelligitur in præsenti per cõuersionem ad phantasmata.

Ra-

Ratio autem dubitandi in præsenti quæstione, se se statim offert, nã intellectus informatus specie intelligibili est sufficiẽs principiũ ad eliciendã cognitionẽ de obiecto talis speciei, non secus, quã sensus informatus specie sensibili est principium sufficiens ad eliciẽdam sensationẽ: ad quid ergo indiget intellectus habens iam speciem intelligibilem, operatione phantasiæ?

Propter vim huius rationis autores in varias sentẽtias fũt distracti. Primus modus est eorum, qui asserunt speciem intelligibilem dependere in sua conseruatione à phantasmate, à quo producitur, vnde necessarium esse dicunt, intellectum in quauis intellectione dependere ab operatione Phantasiæ, vtpote, quæ cõseruat speciem intelligibilẽ, qua necessariò indiget ad intelligendum. Sic docuit Auice. vt refert S. Tho. 1.p.q.66.art.6. in corpore, quem optimè eo loco refutat; nam memoria sensitiua habet vim ad conseruandas species, etiam cessante specie expressa sensus externi, à qua producuntur, vt vidimus, ita quòd tales species nõ pendeant ab illa in cõseruari, sed in fieri solùm: nam etiam cessante sensatione externa contingit actus memoriæ: ergo multo meli⁹ id debet habere memoria intellectiua, quæ idem est, quòd intellectus: ergo tales species non pendent in conseruari à phantasmate, sed solùm in fieri.

Dicendum ergo est: huiusmodi species intelligibiles incorruptibiles esse: nã in primis non possunt corrũpi defectu conseruantis, quia nõ conseruantur à phantasmate, neq; etiam defectu subiecti, habent enim subiectũ incorruptibilẽ, scilicet intellectũ possibilem: neq; à contrario, quia species intentionales, vt suprà vidimus, quantũuis sint de obiectis contrarijs, nõ sunt contrariæ: species autẽ expressa, scilicet verbũ mentis, corrũpitur ex defectu conseruantis, pẽdet enim in conseruari ab actuali influxu intellectus, quo cessante statim corrumpitur.

Quare secunda sentẽtia est asserentium, ideo intellectum in quauis intellectione necessariò debere cõuerti ad phãtasmata, quia existimant Phantasma concurrere saltẽ vt instrumentum physicum ad intellectionẽ: sed hæc sentẽtia ex superiùs dictis facilè refutari potest; nam cum species intelligibiles sint necessariò ponendæ ad intellectionem, & intel-

le-

lectus illis informatus sit principium sufficiens ad intellectionem, impertinenter ponitur talis concursus phantasmatis, ad eliciendam intellectionem, præsertim, cum vt suprà dicebam, potentia cognoscitiua ad actum cognitionis, necessariò debeat vti principio sibi inhærenti, quale non est phantasma.

Tertiò ergo alij rei difficultati succumbentes, dicunt intellectum solùm in prima cognitione indigere conuersione ad phantasmata, non tamẽ semel iam accepta specie intelligibili. Tenet Albert⁹ hoc loco tract. 2. c. 19. & Philopo. text. 30. & lib. 2. de anima. c. 4. Caiet. Thienensis hoc lib. tex. 34.

Verumtamen dicẽdum est, intellectum in quauis cognitione adhuc recepta specie intelligibili, indigere operatione phantasiæ, atq; adeò necessario intelligere per conuersionem ad phãtasmata. Tenet cõmunis philosophorũ schola, tum hoc loco, tum infrà. c. 8. & D. Th. cum suis discipulis. 1. p. q. 84. art. 7. & 8. & est expressa sententia Arist. infrà c. 8. vbi secundum vnã versionem sic habet, *Necesse est intelligentem phantasmata speculari*, vbi per phantasmata intelligit obiectum repræsentatum in phantasmate, sicut imago Cæsaris, Cæsar dici solet: est ergo sensus necessarium esse eum, qui intelligit simul per sensum internum speculari, & cognoscere idem obiectum in phantasmate. Clariùs tamẽ id habet versio Arigyropoli, quæ sic habet, *Et qui contemplatur necesse est vna cum phantasmate contempletur*, quasi dicat necessarium esse actũ intellectus committari actum phãtasiendi.

Secundò id probatur manifesta experientia, qua experimur læsa operatione phantasiæ, etiã lædi operationes intellectus, vt patet in ebrijs, & furiosis, quod manifestè indicat operationes intellectus pẽdere ab operatione phantasiç, & ita illa læsa læduntur operationes intellectus: cũ ergo non indigeat phantasmate, tã quã principio physicè influẽte in intellectionem, dicendũ est indigere illo, propter naturalem harum potentiarũ subordinationem nõ minùs quã experientia comprobatum. A priori autem id optimè colligit S. Th. loco suprà citato; nã cum modus operandi sequatur modum essendi, quia anima rationalis pro hoc statu est vnita, & connexa cum corpo-

re,

re, ideo quantũuis habeat operationes sibi proprias, quale est intelligere, non mirum, quòd tales operationes sint cõnexæ, & dependentes ab operationibus corporis, & ita necesse est intelligere cum conuersione ad phantasmata.

Et si inquiras quomodo volitio, quę est operatio spiritualis habeat dependẽriam à corpore. Sunt qui dicãt huiusmodi volitionem esse connexam cum operatione appetitus sensitiui, non secus, quàm cognitio intellectiua cũ cognitione sensitiua: sed non placet, nã appetitus sensitiuus sæpe prosequitur obiectum aliquod adhuc voluntate in contrarium reluctante, vt patet de motibus effrenatæ luxuriæ, quos voluntas sæpe euitare difficile potest: ergo in illis siue voluntas velit, siue nõ, appetitus sensitiuus suã elicit operationem: de quibus æffrenatis motibus dicebat Paulus. *Sentio legem aliam in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: ergo appetitus sensitiuus, & voluntas non habẽt necessariam subordinationem.

Dicendum ergo est operationem voluntatis eatenus esse necessariò cõnexam, cũ operatione aliqua corporis, quatenùs indiget necessariò operatione intellectus proponẽtis sibi obiectum, *Cum nihil vólitum quin præcognitũ*, & quia talis actio intellectus necessariam habet cõnexionem cum operatione sensus, ideò de primo ad vltimum etiam actiones voluntatis necessariò sunt connexæ cum operationibus corporibus.

Dubitant nõnulli hoc loco, an Beati, & Christus Dominꝰ, necessario intelligant per cõuersionem ad phãtasmata, sed quidquid de hoc sit, de quo plura tradunt Theologi 1. p. 11. ar. 5. & inter recentiores doctissimus P. Vazquez rem hanc illustrat. disp. 46. c. 2. vbi per doctus pater affirmans lumen intellectus agentis, non esse necessarium in Beatis, perspicuè docet neq; cõuersionem ad phantasmata: quod tã verũ est de alijs beatis, quã de Christo respectu infusæ, non vero respectu cognitionis experimentalis: hanc enim sicut & nostram, ex conuersione ad phantasmata fieri iudico: in quo in præsentia non est immorandum, quia non est huius loci, satis sit hoc loco ostẽdisse naturalem modum intelligendi intellectus nostri, pro hoc statu habere necessariam dependentiam à phantasmatibus.

Ad

Ad rationem autem dubitandi ſuperiùs adductam ex dictis facilis eſt ſolutio, ſolùm enim probat intellectũ noſtrũ ſemel informatum ſpecie intelligibili, nullum aliud principium requirere, quod in ſuã actionem phyſice influat, non tamen quòd nõ habeat neceſſariam connexionem cum operatione phantaſiæ circa ſimile obiectum propter naturalem ſubordinationem harũ potentiarum.

Quæſt. XII. Vtrùm intellectus poſsit ſimul plura intelligere.

COnueniunt omnes intellectum noſtrum poſſe ſimul plura percipere, quando illa plura in aliquod vnũ coaleſcũt, ita vt ſe habeãt per modum vnius, qua ratione vnica intellectione intelligimus domum, in qua tamen plures partes inuoluuntur conſtituentes vnicum totale, & adæquatum obiectum illius cognitionis. Similiter ſi loquamur de potentia cognoſcitiua ſenſitiua, vnico actu videmus colorem, qui tamen pluribus partibus integratur. Verum eſt, ꝙ vt oſtendimus capite de viſu ſingulis partibus obiecti correſpondent ſingulæ viſiones, & ſpecies expreſſæ partiales, integrantes tamen vnicam totalem viſionem, & ſpeciem talis obiecti: an vero ſit ſimili modo philoſophandum in actu intellectus, quo intelligimus obiectũ ex pluribus partibus integratum.

Probabilius exiſtimo non eſſe eandem rationem, nam vt habet commune axioma. *Quæ ſunt in inferioribꝰ diſperſa ſunt in ſuperioribus vnita*, & ita intellectio, quæ ſuperioris ordinis eſt per eandem indiuiſibilem entitatem poterit plures partes eiuſdem obiecti attingere, & ita Deus omnium ſupremus vnico indiuiſibili intuitu omnia comprehendit.

Solùm ergo eſt quæſtio an intellectus poſsit ſimul multa intelligere per modũ pluriũ, ideſt, an poſsit obiecta totaliter diuerſa, & diſparata percipere ſimul.

In quo ſecundò certum eſt id non poſſe fieri vnico intuitu: nam cum actus diſtinguantur per obiecta, vbi ſunt plura obiecta totaliter diuerſa, neceſſe eſt, vt ſint plures actus totaliter diuerſi. Id ergo quærimus in præſenti an intellectus poſsit ſimul plures actus elicere, quibus plura, vt plura ſunt intelligat.

In quo, certum eſt tertiò poſſe

posse intellectũ simul habere plures actus, diuersi ordinis, id est quorum alter sit naturalis, alter verò super naturalis: qua ratione omnium Theologorum calculis receptum est, Beatos, & Christum Dominum præter cognitionem beatificam supernaturalẽ, habere simul naturalem rerum cognitionem, nec mirum est, quia cum actus supernaturalis fiat eleuante potentiam peculiari concursu, non repugnat potentiam aliàs vnico actu naturali intentam, ex speciali Dei auxilio simul ad alium super naturalem eleuari, loquimur ergo de actibus meré naturalibus, de his enim dumtaxat spectat agere ad Philosophum.

In qua re prima sententia est asserentium, intellectum non posse per naturam habere simul plures actus, & ita neq; intelligere plura per modum pluriũ. Tenet S. Th. 1. p. q. 85. ar. 4. & q. 58. art. 2. quẽ Cáet. Bañez & alij sequũtur. Scio S. Th. a nonnullis explicari: sed reuera huius fuit sentẽtiæ, vt legẽti patebit, quã probat hac ratione, quia actus sunt vltimus terminus potẽtiæ, nõ secus quã figura est vltimus terminus quantitatis; sed idẽ corpus nõ potest simul in eadem parte plures habere figuras, vt per se patet, neq; enim simul potest eadẽ pars esse longa, & rotunda, quia vna figura necessariò excludit aliam. Prætereà neq; potest eadẽ linea simul habere duos terminos vltimos: solũ ergo potest habere vnicũ punctum vltimũ: ergo similiter non potest eadem potẽtia simul habere plures actus.

Secundò adducit S. Th. verba Arist. lib. 2. topi. cap. 4. vbi dicit quòd cõtingit multa scire, intelligere verò nõnisi vnũ; cum scientia sit habitus, sensus est, posse nos habitualiter multa scire, actu tamen intelligere non nisi vnum.

Tertiò obijciũt, q̃ sequatur duo accidẽtia numero diuersa esse in eodẽ subiecto, nã quãdo quis videt duo alba, haberet duas visiones numero diuersas, hoc tamẽ nullũ esse incõueniens, imò necessariò dicendũ, suprà late ostẽsum est: nec video pro hac sentẽtia aliam probabilem rationem.

Hæc tamen sententia semper mihi visa est difficilis, & contrariã longe existimo probabiliorẽ, videlicet posse intellectũ plures actus simul habere, etiã non subordinatos, quibus plura, vt plura sunt, simul intelligat. Tenet Scot. in. 1. d. 3. q. 6. Gre. in. 2. d. 11. q. 1. Dur.

d.3.q.vltim.Caie.Thien.hoc lib.tex.23.Moli.1.p.q. 58.ar. 2.diſput.1.imò ex Thomiſtis. idem ſentit Sotus.1.lib.de Poſteriori reſolu.q.1.ad.4.& vtrem à ſuis ordiamur principijs.

Dico primò: potentia ſenſitiua benè poteſt percipere plura obiecta,vt plura ſunt,id eſt non ſubordinata. Quæ cõcluſio ſuppoſitis, quæ ſuprà diximus de ſpeciebus ſenſibilibus ,euidẽs eſt;nam quando quis videt ſimul duo alba loco diſtantia, & prorſus diſcõtinua, neceſſariò ibi ſunt duæ viſiones totales numero diuerſæ, & duæ ſpecies: nam quòd non videantur per vnicã,probo; quia, vel videntur per eandem indiuiſibilem entitatem viſionis, vel per duas viſiones partiales, non per eandem viſionem indiuiſibilem, quia ſi alterum ex illis corrumpatur, iam non videtur, cum tamen maneat viſio alterius: ergo iã ſeparatur viſio vnius, à viſione alterius ; ſed impoſsibile eſt eãdem indiuiſibilem entitatem ſeparari à ſe ipſa: ergo non videntur per eandem indiuiſibilem viſionẽ. Quòd vero neq; per duas partiales:probatur primò,quia cum illæ viſiones tantũ diuerſæ ſint numero,ſi coaleſcunt in vnicam totalem, neceſſariò id erit per continuationem inter ſe,ſicut quando coniunguntur duæ aquæ;impoſsibile autem eſt illas viſiones continuari inter ſe, quia vel continuantur ratione extenſionis ſubiectiuæ, & hoc non, quia vtraq; viſio eſt in eadem prorſus parte potẽtiæ viſiuæ, nõ verò in parti b' diuerſis diſcõtinuis; vel ex parte extenſionis obiectiuæ, & hoc nõ, quia non repræſentant vnicam extẽſionem obiecti, ſed duas totaliter diſcontinuas, qua etiam ratione verſantur circa duas intenſiones duarum albedinum realiter, & totaliter diuerſas:ergo nullo modo poſſunt tales viſiones inter ſe continuari. Præſertim, quòd ſi ſemel admittatur, poſſe duas viſiones partiales numero diuerſas eſſe in eadem parte ſubiecti, quare repugnabit eſſe duas totales; præſertim cũ actus diſtinguantur per obiecta totalia.

Secundò tamen id clariùs probatur quando quis ſimul videt album,& nigrum, vbi cũ illæ viſiones ſint diuerſæ ſpeciei, non poſſunt inter ſe continuari, neq; aliàs poſſunt vniri, ſicut actus, & potẽtia, quia ridiculum eſt dicere vnam viſionem ex illis alteri inhærere, ſicut accidens inhæret ſubiecto:

iecto; ergo in hoc exemplo euidenter probatur potentiam sensitiuã simul percipere plura, vt plura sunt, per actus totaliter diuersos, & per hæc patet etiam id inueniri in sensu interno, cum enim etiam immutetur à præsentia obiecti, idem argumentum, quo ostenditur in sensu externo vidente simul album, & nigrum, esse duos actus specie, & totaliter diuersos, probat de sensu interno, habet enim similem vim.

Ex his dico secũdò multo melius fatendum esse, posse intellectum intelligere simul plura obiecta disparata specie diuersa, per actus totaliter diuersos. Ratio est euidẽs, quia intellectus non est minoris actiuitatis, & perfectionis, quã sensus, quare ergo ea perfectio, quæ sensui necessario tribuenda est, & quam fere omnes Thomistæ tribuunt, denegãda est intellectui? Et potest simile fieri argumentum, quia intellectus potest intelligere obiectum sensatum per sensum, & ita quando quis simul videt album, & nigrũ, potest intellectus eadem obiecta intelligere, quæ tamen sunt plura postulantia diuersos actus diuersasq; species. Addo quod sicut pluribus intentus minor est ad singula sensus, ita intellectus ad plura obiecta distractus, remissè circa vtrumque versabitur, virtus enim vnita fortior est, quã ad plura distracta.

Ad rationes oppositæ sententiæ respondetur. Ad primam esse petitam ab analogia valde impropria, quãdo enim actus alicuius potentiæ assimilatur figurę, solùm intenditur quòd sicut figura est vltimus terminus quantitatis, ita actus sit vltima perfectio potentiæ, non tamen quòd sicut corpus nequit plures habere figuras, ita potentia non possit simul plures habere actus. Ratio diuersitatis est, quia vna figura in sua intrinseca ratione exclu dit aliam, qualiter esse rotundum excludit quòd longitudo sit maior, quam latitudo, aliàs non erit rotundum, tamẽ vnus actus non excludit aliũ, quando non sunt contrarij, vt patet quando quis simul videt album, & nigrum.

Ad locum autem Arist. respondetur, illum loqui de cognitione perfecta, ita vt sit sensus, posse nos habitualiter plura scire perfectè; actualiter tamen non nisi vnum perfectè, quia vt anteà dicebam, pluribus intentus minor est ad singula sensus.

& proprietates huius intellectus, dicens esse veluti habitum, & lumen, ideò autem dicit esse veluti habitum, quia est productiuus sui actus, sicut habitus sunt causa actus: dicit verò esse sicut lumen, quia sicut lumen facit colores esse actu visibiles, ita intellectus agens facit res actu intelligibiles, dum producit species intelligibiles, per quas possit percipi: & hinc dici solet, intellectum agentem illuminare phantasmata; de quo infrà quæstione secũda. Dicit præterea huiusmodi intellectũ agentem esse separabilem, id est non pendet ab organo corporeo, & immixtum, & incorporeum. Præterea esse impassibilẽ, quod intelligendũ est tam de passione corruptiua, quã perfectiua: de corruptiua patet, quia huiusmodi intellectus non percipit qualitatẽ aliquam habentem contarium: quã si quæ qualitates spirituales sunt, quæ habeant contrarium, illæ sanè recipiuntur in intellectu possibili, vt habitus scientiæ, & erroris, & similes. Præterea adhuc passione perfectiua est impassibilis huiusmodi intellectus: nam species intelligibiles, quas producit, sunt in intellectu possibili: ergo intellectus agens, vt sic, impassibilis est: quę omnia probat: nã quod agit præstantius est eo, q̃ patitur: sed intellectus possibilis est separabilis, id est independens ab organo, & est immixtus: ergo multo meliùs id debet habere intellectus agens: sed quia dixerat intellectum agentẽ actiuũ esse, & reducere ad actum intellectũ possibilẽ, dicit quod scientia in actu, est idem quod res, id est, quod res intellecta, sæpe enim obiectum scientię, scientia appellari solet, qua ratione propositio opinabilis, opinio dici solet, cũ tamẽ opinio propriè loquendo potius sit habitus opinatiuus, scientia verò in potẽtia est prior tẽpore, inquit, quã scientia in actu. Dubitat tamẽ Arist. quare si intellectus est separabilis à corpore, anima separata non recordetur. Respondet q̃ nõ reminiscitur, idest, nõ percipit eodem modo, quo in corpore percipiebat, quia deficit intellectus passiuus, idest imaginatio, hæc enim est potentia corpori affixa. Et hæc de litera.

Disp. IIII. Huius libri de intellectu Agenti.

QVanuis nonnulli hoc loco priùs disputent de in-

ad actum; neq; enim educit materia actiuè ex se formas, quibus ad actum reducatur.

Tertiò, in natura cœli inuenitur principium passiuũ respectu sui motus, non tamẽ inuenitur in illa natura principium actiuũ talis motus, quia mouetur ab extrinseca intelligentia.

Quartò, in igne est principium actiuum respectu calefactionis, non tamen inuenitur in illo principium passiuũ illius, quia ignis non recipit in se calefactionem, quam actiuè causat: ergo non in omni natura, in qua inuenitur principiũ passiuum, debet reperiri actiuum, autè contrà.

Communis tamen recepta Philosophorum sententia est dari in anima nostra potentiã quandam spiritualem productiuam specierum intelligibilium, quæ dicitur intellectus agẽs, ideò sic appellatus, quia eius munus tantùm sit agere, videlicet producere species intelligibiles, quam potentiã esse in anima ex eo efficaciter conuincitur, quia cum species intelligibiles nõ possint produci ab obiectis ipsis, eo quòd obiecta sensibilia materialia sunt, nihil autem materiale potest, vt causa precipua, attingere productionem rei spiritualis, & quia propter eandem rationem non potest talis productio fieri à solo phãtasmate, quia etiã materiale est, ideò necessariò est ponenda in anima nostra potentia quædã spiritualis, quæ vt causa principalis producat tales species: hæc autem potentia appellatur intellectus agens: est ergo necessario ponenda.

Dico secundò: huiusmodi intellectum agentem non esse aliquid à nobis separatum, sed potiùs potentiam animæ nostræ inhærentẽ. Ratio est, quia anima intellectiua debet in se habere instrumenta requisita ad intelligendum, vnum autẽ ex requisitis est intellectus agens, vt ex Phãtasmatibus producat in illa species spirituales illi proportionatas, vt intelligat: ergo huiusmodi potẽtia debet esse propria animæ, & cum sit potẽtia spiritualis, eo qudd ordinatur ad producendum effectum spiritualẽ, non potest esse aliquid inhærens corpori, debet ergo esse potentia animæ inhærens.

Vnde ad argumenta contrariæ sententiæ respõdetur. Ad primum negando consequentiam, ideò enim datur intellectus agens, quia obiecta materialia, & phantasma illorum, cum etiam materiale sit, non

possunt vt causa principalis agere in potentiam spiritualē, qualis est intellectus possibilis, producendo in illo speciem spiritualem: vnde necesse est ponere aliam potentiam spiritualem, quæ sit causa principalis illius effectus: at verò obiecta materialia sensibilia, cum sint perfectiora, quā species intentionales, quas producunt, & materiales, sicut illa habent in se sufficientem, & proportionatam virtutem, ad tales species producendas, ita ad earum productionem non est opus alia potētia: vnde nō debet dari sensus agens, sicut datur intellectus agens.

Ad secundum respondetur talem operationem non posse fieri ab anima medio phantasmate absq; potentia superaddita, quæ est intellectus agēs: nam in primis si asseramus huiusmodi productionem specierum intelligibilium, quæ est actio intellectus agentis esse actionem vitalem, manifestum est, debere habere ortū à potentia aliqua vitali illi proportionata, sicut de alijs operationibus id dicitur: tamen quidquid de hoc sit, dicā infra. Ratio ad id probandū desumitur à simili: nam sicut ad alias operationes animæ minùs perfectas, qualis est nutritio præter calorem, qui est instrumentum ponitur potētia, qua mediante anima illas eliciat, multò meliùs id debet cōcedi in productione specierū intelligibiliū, quæ perfectior operario est, & improportionata phantasmati.

Tandem ab obiectiones cōtra rationes Arist. respōdetur, illam, sicut & plurīes alias, intelligendam esse nōnullis additis, Arist. enim non loquitur nisi in creatis, & ita prima obiectio cessat: quando enim dicit, in qualibet natura debere dari principium actiuū, & passiuum, loquitur de natura, quæ mediante tali actione, & receptione possit amplius perfici, qualiter anima nostra per intellectionem perficitur. Deus autem cū sit infinitè perfectus, non potest amplius perfici. Præterea Arist. loquitur de natura aliqua in ordine ad perfectionem propriam sibi debitam, qualis est operatio intelligendi respectu animæ: vnde cessat obiectio de materia prima, illi enim nulla forma determinatè est debita, sed pro ratione dispositionis, quam habet, quòd si aliqua forma vage est debita materiæ respectu huius, non debuit dari illa principium actiuum, quia principium naturale agēdi nō

or-

ordinatur, nisi ad determinatam operationē, natura enim est determinata ad vnum.

Cessat etiam obiectio illa de cœlo, nam cœlum ordinatur ad motum localem tanquàm ad perfectionem sibi debitam ratione sui, sed ratione horum inferiorum, vt scilicet sint variæ generationes, & corruptiones, vt vidimus 2. li. de cœlo: qua etiā ratione quāuis in aere sit principiū passiuum respectu luminis, nō tamē inuenitur in illo principiū actiuum, quia lumen non est perfectio debita naturæ aeris, sed illi omninò ab extrinseco proueniens. Tandem ignis nō habet principiū passiuum respectu calefactionis, quia calefactio non ordinatur ad perficiendum ignem, sed alia à se: cùm verò intelligere sit operatio ordinata ad perficiendā intrinsecè animam, opus fuit dari in illa principium passiuum illius.

Circa vltimū, quod inquirit quæstio, videlicet quę sit natura intellectus agētis, varia extāt Philosophorū deliramēta quibusdā asserentibus intellectū agentem esse Deū, qualis est Alexander: alij verò saltem esse quandam substātiam separatam: & fortassè sumpsit hæc sentētia occasionē errādi ex Arist. in hoc cap. vbi secundum aliorum translationē intellectū agētē separatū appellat: vtraq; enim sententia satis erronea est; nā quòd intellectus agēs nō debeat esse substātia sed potētia in nobis existēs exeo sufficienter cōiectari potest, quia vt anteà dicebā, anima intellectiua debet in se habere omnia instrumēta requisita ad intelligendū: alterū autem est intellectus agens, vt illi species intelligibiles ministret, quæ à rebus materialib⁹ fieri nequeunt: ergo ad hunc effectum pręstandum non debemus recurrere ad substātias separatas, scilicet intelligentias, sicut recurrimus in motu cœli, qui ad bonum potiùs horum inferiorum, quàm ad ipsius cœli perfectionem ordinatur: quando autem Aristot. vocat huiusmodi intellectum separatum, non intendit esse separatum ab anima, sed à corpore, quasi dicat nulli organo corporeo esse affixum.

Tandē ex dictis cōstat, huiusmodi potētiā nō esse cognoscitiuā, est enim eius munus producere species intelligibiles: quę actio preuia est ante intellectionem.

Maiorem habet difficultatem, vtrùm huiusmodi intellectus agēs sit potētia realiter

diuersa ab intellectu posibili. Sunt enim de hac re duæ opiniones probabiles satis: altera afferentium esse potentias realiter diuersas: videtur namq; impossibile potentiam non cognoscitiuam, qualis est intellectus agens, esse idem realiter cum potentia cognoscitiua, qualis est intellectus posibilis; alteram verò asserentium, vtramq; esse eandē potentiam secundum rem, denominatione solùm distinctam, penes ordinē ad diuersa munera subordinata, qualia sunt producere speciem, & intelligere: actiones autem subordinatę facilè possunt ad eandē potentiam reuocari. Quòd autem actio intellectus agentis non sit actio cognoscitiua, parùm interest: nam etiam in intellectu posibili datur actio aliqua, quæ non sit cognitio, nempè productio habitus intellectualis; hæc enim, quantuis resultet ex cognitione, nō tamē cognitio; sicut ergo actiones istæ, quæ subordinatæ sunt, reducuntur ad eandem potentiā, ita dici potest de actione intellectus posibilis, & agentis. Præterea quia durum videtur concedere in nobis duos intellectus realiter diuersos: quidquid tamen ex his dicatur, satis est probabile.

Quæst. II. Quomodò intellectus agens producat species intelligibiles.

QVanuis ex dictis constet, intellectū agentē id munus exercere, vt in intellectu posibili species intelligibiles producat, quo tamē pacto id efficiat, vel an se solo, vel ab alio adiutus, non satis cōstat inter Philosophos, varias enim de hac re cōfingūt sētētias, inter quas sit prima eorū, qui asserūt solū intellectū agētē producere speciē intelligibilem absq; aliqua causa illū coadiuuāte, per subordinationem tamen ad actum phātasię, ita q̄ posito phantasmate per naturalē subordinationem intellectus agens moueatur ad producēdā speciē intelligibilē; nō secùs quā posita cognitione obiecti cōueniētis statim voluntas mouet ad actū volitionis p̄ solā potētiarū subordinationē absq; aliqua physica causalitate. Verūtamē hęc naturalis potētiarū subordinatio, licèt aliquādo admittenda sit necessario, quādo scilicet nō potest vera, & physica causalitas intercedere: quādo tamen res p̄ veram, physicamq; causalitatē explicari potest, non est cur ad merā subordinationē recurram⁹. Adest etiā peculiaris

ratio

ratio in nostro casu, ad id probandum: nam cum species intelligibilis euadat similis phãtasmati, eandem enim naturã accidentalem repræsentãt, signum est Phantasma fuisse physicam causam illius, effectus enim assimilatur suæ causæ.

Quod rursus à simili confirmari potest: nam sicut verbum mentis producitur simile speciei intelligibili, & ita species intelligibilis est causa physica productionis verbi, ita species intelligibilis producitur similis phantasmati: optime ergo inde conijci potest phãtasma esse physicã causam speciei intelligibilis. Exemplũ autẽ devolũtate nullius momenti est, bonũ enim solũ mouet voluntatẽ per modũ finis methaphoricè, dũ voluntatẽ ad se allicit, & mouet, ad hoc autem satis est tale bonum proponi voluntati ab intellectu, quin physicè aliquid in illã influat: phantasma autẽ mouet intellectum agentem, determinando illum ad producendum aliquid sibi simile, & ita mouet, vt causa physica cui assimilatur effectus.

Quare secunda sentẽtia est asserentium phantasma renera esse concausam physicã simul cum intellectu agenti ad producendam speciem intelligibilem, non tamen esse causam physicam efficiẽtem, sed exemplarem: quemadmodum enim quando pictor ex vna imagine aliã depromit, prior imago solùm cõcurrit per modum extrinseci exemplaris, quin aliquid in nouam imaginem depictã physicè influat, ita dicunt phantasma ad id solum deseruire intellectui agẽti, vt ad illius exemplar aliam similem imaginem eliciat.

Sed neque hæc sententia placet, quia exemplar, vt ex eius diffinitione patet, est id, in quod agens intuens operatur, & ita exemplar solùm potest deseruire cognoscenti, vt ad illius imitationẽ aliud simile efficiat; sed intellectus agens non est potẽtia cognoscitiua, vt omnes admittũt: ergo respectu illi' nõ potest phãtasma habere rationem exemplaris.

Dices, satis esse, q̃ anima per phantasiam intueatur phantasma, & deinde per intellectum agentem poterit fieri aliquid simile exẽplari: sicut quãdo pictor, ex vno exemplari aliam similem imaginem format, nõ est necesse quòd manus formans imaginem illam, cognoscat tale exemplar, sed satis est cognoscatur ab alia potentia, scilicet à potentia visiua. Tamen cõtra hoc est, quod neq;

phãtaſia imuetur in tale phã taſma; nã vt ſuprà vidimus idô lum, ſeu phãtaſma obiecti ſen ſibilis non cognoſcitur à ſenſu interno, ſed tantũ vt quo: dicere autem ſaltem cognoſci ab intellectu, non ſatisfacit, nam productio ſpeciei intelligibilis, de qua agimus præcedit cognitionẽ intellectus poſſibilis: ergo nullo modo poteſt phantaſma habere rationem exẽplaris in productione ſpeciei intelligibilis.

Tertia ſententia eſt afferentium phantaſma ſolùm concurrere ad talem productionem, vt cauſam formalem extrinſecam ſpecificantem: ſed minus placet hæc ſententia quàm præcedens: nam, vel intelligit phantaſma ſpecificare actionem intellectus agentis, vel ſpeciem intelligibilẽ productam: non ſpeciem intelligibilem, ſpecies enim cum diſtinguantur per obiecta, ab illis deſumunt ſuam ſpecificationem non verò à phantaſmatibus: ſi autem ſpecificat actionem, cum non ſpecificet illam tamquàm terminus per illam productus, ſolùm poteſt eam ſpecificare tamquam agens, actio enim etiam ſpecificatur ab agenti proximo: iam ergo phantaſma actiuè concurrit ad illam actionem, quod nos intendimus.

Quarta ſententia aſſerit phãtaſma eſſe cauſam materialẽ, ex qua reſpectu productionis ſpeciei intelligibilis, nõ quidẽ ex qua effectus componatur, conſtat enim phantaſma non componere ſpeciem intelligibilem, ſed ex qua intellectus agẽs abſtrahit ſpeciem illam. Quæ ſententia etiam eſt falſa: nam materia circa quã verſatur productio ſpeciei intelligibilis, eſt ſpecies intelligibilis, ſemper enim res facta eſt materia, circa quam verſatur productio illius, materia autẽ circa quã verſatur ſpecies intelligibilis, etiam non eſt phãtaſma, ſed obiectũ illius, obiectum enim appellatur materia circa quam, materia autem ex qua non eſt niſi vbi habet rationem partis componentis, qua ratione lapides ſunt materia ex qua fit domus: ergo impoſsibile eſt phãtaſma eſſe materiam ex qua: vnde cum dicimus ſpeciem intelligibilẽ fieri ex phantaſmatibus, particula *ex* non dicit habitudinem cauſæ materialis, ſed cauſæ efficientis, vt cum dicimus ex vno igne fieri alium ignem, cum tamen fiat efficienter.

Quinta tandem ſentẽtia eſt intellectum ſimul cum phantaſmate concurrere in genere cau-

cauſæ efficiẽtis ad productionem ſpeciei intelligibilis, adhùc tamen huius ſententię ſectatores ſunt diuiſi, quibuſdã aſſerentibus intellectum agẽtem, & phantaſma eſſe cauſas ſolùm partiales, ita quod diuerſo concurſu partiali cõcurrant, qualis eſt Scotus in 1.d.3. q.8.ad primum, alijs verò aſſerentibus, eſſe cauſas ſubordinatas eodem prorſus concurſu operantes, vt iam hoc tempore tenet communior philoſophorum ſententia, quos ſtatim referam.

Dico ergo primò, intellectum agentẽ eſſe cauſam principalẽ efficientẽ productionis ſpeciei intelligibilis. Tenet S.Th.1.p.q.84.ar.4.de veritate.q.10.Caiet.1.p. q.55.art.1. Ferr.2.contra Gent.c.78.Scotus vbi ſuprà,& hoc loco communiter interpretes, & videtur ſatis indicare Ariſtot. hoc capite vbi intellectum agentẽ vocat omnia faciens, facere autem efficienciam dicit, & clariùs poſt initium capitis, dicit hunc intellectum ideò eſſe ponendum, vt omnia agat, atque efficiat (ſupple intelligibilia) augere autem, efficere, aperte cauſam efficientem denotãt

Ratione verò ſatis conuincitur, quia productio ſpeciei intelligibilis eſt operatio animæ rationalis, illam autem debet exercere media aliqua potentia, quam ſupra oſtendimus eſſe intellectum agentem: ſed nulla alia cauſa principalis aſſignari poteſt talis effectus: ergo intellectus agens eſt cauſa principalis ad producendam ſpeciem intelligibilem.

Secundò, nam intellectus agens eſt potentia ſpiritualis animæ inhærens, nec minorẽ habet perfectionem, quã ſpecies intelligibiles, imò multò maiorem: ergo habet virtutẽ proportionatam, & ſufficientem ad illum effectum: ergo eſt cauſa principalis.

Dico ſecundò phantaſma cõcurrere ad huiuſmodi productionem vt inſtrumentum phyſicum efficienter determinando intellectum agentem, vt hanc potius quàm illam ſpeciem producat. Hæc eſt communis ſententia, quam S. Th. Scotus, & alij iam citati vnanimiter defendunt. Et in primis quòd phantaſma debeat aliquo modo concurrere ad productionem ſpeciei intelligibilis: patet, tum à ſimili, tum à priori. A ſimili quidem, quia ſpecies expreſſa ſenſus externi, concurrit ad producẽdam ſpeciẽ impreſſam in ſenſu interno: ergo ſimiliter ſpecies expreſſa ſenſus interni, quod eſt

est phantasma, debet concurrere ad producēdam speciem impressam in intellectu.

A priori verò ex eo probatur: nam intellectus agens est potētia de se indiferēs ad producendas varias species intelligibiles diuersorum obiectorū; ergo vt hanc potius quā illam producat ab aliquo debet determinari, quod nihil esse potest nisi phantasma: ergo cō currit vt causa determinās ad talem productionem speciei. Quòd verò concurrat efficiēter. Probatur primò, quia non concurrit, vt causa exemplaris neq; vt causa formalis extrinseca, vt iam ostendimus, neq; alio genere causę distincto ab efficienti concurrit, vt facilè constat: restatergo concurrat, vt causa efficiēs instrumētalis.

Secūdò, quia species expressa sensus externi efficiēter cō currit ad producendā impressam in sensu interno: ergo similiter species expressa sēsus interni debet concurrere efficiēter ad producendam speciē impressam in intellectu.

Tertiò, quia effectus assimilatur causæ efficienter illum producenti, sed species intelligibilis similis est phantasmati in repræsentando idem obiectum: ergo efficienter concurrit ad illam producendam.

Tandē quartò, quia res hæc hoc modo explicata meliùs intelligitur, ita vt phantasma sit instrumētū determinās indifferentiā intellectus agentis. Quod verò sit causa instrumē talis, & non principalis. Patet, quia cum phātasma sit aliquid materiale, est longe inferioris ordinis, quàm species intelligibilis, & ita illi improportionatum, solùm ergo potest concurrere vt causa instrumē talis, ad quod non obstat materialitas, causa enim instrumentalis, potest esse imperfectior suo effectu.

Addiderim hoc loco falsam esse plurium sententiam asserentium, quòd quanuis phātasma sit instrumentum absolutè loquendo ad producendā speciem intelligibilem, tamē respectu determinationis ad talem effectū, quod scilicet producatur hæc species, potiꝰ quā illa, sit causa principalis.

Quę sententia à plurimis in academia nostra recepta semper mihi visa est falsa: nam non solùm species intelligibilis in communi, sed hæc species intelligibilis, v. g. albedinis, est superioris & perfectioris ordinis, quā phātasma albedinis: ergo tale phantasma semper est improportionatum ad illū specialē effectū: ergo etiā ad illā actio-

actionem concurrit vt instrumentũ, quęuis enim ratio quã in specie intelligibili cõsideres, spiritualis est, & ita in proportionata cum re materiali.

Sed obijciũt: nam q intellectus agens producat hanc peculiarem speciem intelligibilẽ, nõ potest reduci vt in causam principalem in intellectũ agentem, quia cum intellectus agẽs indifferens sit nõ potest esse causa principalis talis determinationis, debet ergo talis determinatio in effectu, reduci in solũ phãtasma, vt in causam præcipuã. Respõdetur talẽ determinationẽ effectus, reducendã esse in intellectũ agentẽ, determinatum tamẽ ab speciali phãtasmate: quãuis enim ex se indifferẽs sit, dũ tamẽ determinatur, per cooperationẽ phãtasmatis, etiã est causa principalis, vt hæc specialis species producatur, & ita nihil debet reduci in phantasma, vt in causam principalem.

Dico tertiò intellectũ agẽtem nullam qualitatem imprimere in phantasma, vt illũ eleuet ad productionem speciei intelligibilis. Hæc conclusio colligitur ex doctrina generali de instrumentis tradita 2. lib. physic. disp. 3. vbi latè ostendimus non esse necessariam præuiam aliquam qualitatem instrumentis superaddi tã, vt dicãtur eleuari ad actionem causæ principalis. Et in nostro casu id breuiter ostendo, quòd si intellectus agens imprimit qualitatem aliquam in phantasmate, ratione cuius dicatur eleuari, vel illa qualitas est corporea, vel spiritualis: non spiritualis, quia nulla qualitas spiritualis potest reci pi in subiecto corporeo: neq; etiã corporea, quia per illã tã improportionatũ manebit sicut antea, semper enim maneret corporeũ: frustra ergo talis qualitas ponitur.

Dicendum ergo est iuxta doctrinam ibi traditam, phantasma non ex eo dici eleuari ab intellectu agenti, quia aliquam qualitatem ab illo recipiat, sed quia intellectus agens eadem actione cum illo concurrit, ad producẽdam speciem intelligibilem, & ita dum cum illo cooperatur fit phantasma potens elicere actionem, quam aliàs non posset, & ita eleuatur ad actionẽ superioris ordinis, qua agat in intellectum possibilem speciem illi imprimendo.

Ex dictis etiam patet, quã sit verum, quod loco dicto ostendi, scilicet nõ esse semper necessariam præuiam actionẽ, qua instrumẽtum aliquid effi-

efficiat, ante actionem cauſæ principalis, patet enim phantaſma, nullam prę uiam operationem habere ante actionem illam, qua ſimul cum intellectu agenti producit ſpeciem intelligibilem.

Dico quarto: phantaſma & intellectum agentem eodem indiuiſibili concurſu concurrere ad huiuſmodi productionem, & non per diuerſos concurſus partiales. Hanc concluſionem ſtatuo contra Scotum vbi ſupra, & manifeſtè deducitur ex doctrina generali de inſtrumentis tradita loco citato, vbi oſtẽdimus cauſam principalem, & inſtrumentum eadem prorſus indiuiſibili actione concurrere, tamqnam agentia ſubordinata. Et in noſtro caſu id breuiter oſtẽdi poteſt: quia vel aliquis concurſus correſpondet phãtaſmati, qui nõ correſpondet intellectui agẽti, & tunc ſequitur illum concurſum ſolùm phãtaſmati debere tribui, atq; adeò phantaſma reſpectu illius eſſe cauſam principalem, quia ſe ſolo eſt ſufficiens ad illum: vnde iam terminus quaſi partialis tali concurſui correſpondẽs produceretur à phantaſmate vt à cauſa principali, & ita aliquid ſpeciei correſponderet phantaſmati, vt cauſæ præcipuæ, quod iam oſtendimus eſſe falſum: ſi autem quiuis concurſus procedens à phantaſmate procedit etiam ab intellectu agenti habetur intentum, nẽpe eundem indiuiſibilem concurſum, ab vtroq; procedere. Quæ ratio ad omne inſtrumẽtum in ſimili forma accommodari poteſt. Atq; in prę ſenti id obiter attigiſſe ſufficiat plura enim de hac re dixi loco citato, ibiq; videri poſſunt, ne eadem pluries repetamus.

Poſſet tandem hoc loco dubitari, an hæc productio ſpeciei intelligibilis, ſit actio vitalis, & quidem inter Iuniores Philoſophos, quibus res hæc negotium nouiſſe faceſsit, plũres exiſtimant huiuſmodi actionem non eſſe vitalem, eo quod intellectus agens in hac actione veluti ſuppleat vicem obiecti: nam ſpecies impreſſa, quam obiectum materiale ad extra exiſtens, non poteſt per ſe ipſum in intellectu imprimere, intellectus agens, quaſi id munus ſubiẽs producit; ſed productio ſpeciei impreſſæ facta ab obiecto non eſt vitalis actio, vt patet de actione illa, qua colores producũt ſpecies ſui in medio: ergo neq; productio ſpeciei facta ab intellectu agenti eſt actio vitalis.

Mihi tamen probabilius vi de-

derur huiusmodi actionem vitalem esse, est enim proprius actus intellectus agentis, quē esse potentiam vitalem ex eo conjectari videtur, quia est potentia orta ab anima rationali, non secūdum gradum formæ naturalis, in quo conuenit cū alijs formis substantialibus nō viuētium, sed quatenus rationalis est; sed gradus rationalitatis est quidam gradus vitæ, non secus quàm gradus sentiē di, aut nutriendi: ergo talis potentia vitalis est, atq; adeò, actio illi propria etiam est vitalis: quod autem productio speciei impressæ facta ab obiecto sensibili nō sit actio vitalis parū interest, quia quanuis illa actio non fiat modo virali, hæc tamen productio fit modo vitali, abstrahendo talē speciem à phantasmatibus, quæ actio nulli alteri agenti nisi vitali conuenire potest. Prior autem modus producendi speciem, generalis est, etiam non viuentibus, imò contingere potest vnum & eundem terminum posse fieri actione vitali, & actione non vitali, qualiter productio nouæ partis viuentis potest fieri vitaliter per nutritionem, non vitaliter tamen à Deo solo. Quid ergo mirum quòd quanuis productio speciei impressæ causata ab obiecto externo non sit actio vitalis, tamen productio speciei intelligibilis ex phantasmatibus sit actio vitalis.

Quæst. III. Quo modo intellectus agens illuminet phantasmata.

INtellectum agentem phantasmata illuminare adeò philosophorum calculis receptū est, vt nihil tam sit frequens apud ipsos: idq; de sumpsere ex Arist. in hoc capit. vbi intellectum agentem lumen appellat, quod stare non posset nisi aliquid illuminaret, sed non aliud nisi phātasmata; ergo intellectus agens illuminat phā tasmata.

Sed quanuis locutio hæc ab omnibus recipiatur, nescio tamen an sano modo ab omnibus intelligatur: nam ex antiquioribus philosophis Abenpoce existimauit intellectum agentem illuminare phantasmata inhæsiuè, ex eo videlicet quòd in illis imprimat lumen quoddam illis [illegible]mè inhærens; non secus quàm luminosum dicitur illuminare medium.

Hæc tamen sententia ex dictis superiori quæstione facile refutatur, quia scilicet tale lumen productum ab intelle-

ctu agenti in phantaſmatibus vel eſt aliquid ſpirituale, vel corporeum, non ſpirituale, quia nihil tale poteſt recipi in ſubiecto corporeo: neque etiam corporeum: nam fruſtra eſſet tale lumen, cum adhuc phantaſma maneat corporeũ, & ita improportionatum ad producendam ſpeciem ſpiritualem: ergo impoſsibile eſt intellectum agentem illuminare phantaſmata inhæſiue.

Quare mihi hac in re placet ſententia Caietan. 1. p. quæſt. 79. artic. 3. aſſerentis intellectum agentem illuminare phãtaſmata obiectiuè, ita quòd nihil in illis imprimat, qualiter ipſe Caietan. exiſtimat lumen externum illuminare corpus coloratum obiectiuè ſolum, ita quòd nihil luminis recipiatur in illo. Sed quanuis exemplum hoc non recipiam, eo quòd ſupra oſtendi, corpora colorata opaca aliqualis lucis eſſe capacia, ſententiam tamen eius recipio, & hac ratione explico: ſupponẽdo tamen hîc nomine phantaſmatis non tam intelligi idôlum phantaſiæ quàm obiectum illius, vt enim ſuprà dicebam, ſæpe imago, & eius obiectum eodem nomine appellantur, qualiter imago Cæſaris Cæſar appellatur. Dicitur ergo intellectus agens illuminare phantaſmata, id eſt obiecta phantaſmatum, ſimilitudo autem à lumine ducta in hoc conſiſtit, quòd quemadmodum lumen externum facit colores eſſe viſibiles, qui ſine lumine videri non poſſunt, ita intellectus agens facit obiecta intelligibilia, dum eorum ſpecies producit in intellectu, ſine quibus intelligi non poſſunt: imò ſupra capite de viſu etiam dicebam lumen externum concurrere ad producendas ſpecies colorũ, hoc ergo appellat Caiet. illuminare phantaſmata obiectiue, & fortaſſe iuxta hunc modum explicari poſſunt aſſerentes intellectum agẽtem poni ad confortandum intellectum poſsibilem: nam cum illi imprimat ſpeciem neceſſariò requiſitam ad intelligendum, tribuit illi ſufficientem virtutem ad ſuum munus exercendum, & penes hoc dici poteſt illum confortare, neque video qua ratione hæc ſententia ſecundum veram philoſophiam confortari poſsit. Et hæc de hoc capite.

Et de his quæ communiter diſputari ſolent

dict a

dicta sufficiat: vlterius verò ad aliqua, quæ maximam ingerunt difficultatem gradum faciamus.

TRA-

TRACTATVS DE IMMORTALITATE animæ, de appetitu ſenſitiuo, & rationali, dolore, & actibus vitalibus, & alijs, quæ non vulgaria, ſed ſubtilia maximè ſunt.

Diſput. Prima. De immortalitate animæ rationalis.

POſtquàm diſputatũ eſt de anima vegetatiua, ſenſitiua, & potentijs earum, reſtat diſputemus de anima rationali, quantum attinet ad eſſentiam eius.

Quæſt. 1. Vtrũ anima rationalis ſit immortalitas ſecundum Ariſt.

LEgatur Card. Tolet. 3. de anima. q. 15. & authores infrà citandi tract. de immortalitate animæ. Multi ſenſerũt Ariſt. putare animam noſtram eſſe mortalem: ſic dicũtur ſenſiſſe Ariſtogenes, & Diechardus auditores Ariſt. vt refert Miran. li. 4. examinis. c. 4. Plutarchus lib. 1. de placitis. c. 1. Gal. in hiſtor. philoſo. indicat Niſſenus li. de anima, Pomponace' li. de immortalitate animæ, Theodoretus lib. 5. Grecani. affect. Iuſtinus martyr ſermone exhortatorio ad Gẽtes, Orig. 2. Periar, indicat Nazian: oratione. 1. Theologiæ in fine, Lactan. lib. de reſurr. carnis, Alex. Aphro. de cuius mẽte latè Aug. locis infrà citandis, & de mẽte Ariſt. idem ſenſit Simon Portius citatus à Toleto.

Secunda ſententia eſt aſſerentium Ariſt. dubium fuiſſe in hac parte, licèt magis videatur inclinare in animæ immortalitatem. Sic ſentit Scot. in. 4.

d.43.q.2.Dur.in. 2. d.13. q.3. Herueus lib.1.q.11. Niphus de immortalitate animæ.c.1.Cano.tamẽ lib.vlt.de locis Theolo.c.vlt.putat Arist.magis inclinare in contrariam partem.

Tertia sententia est asserentium esse immortalẽ secundũ Arist. Nonnullos refert Card. Tolet. alios refert Miran.lib. 4.examinis c. 9.eruditè, vt ad solet; Eugub.lib. 9. de perẽni philo.à cap. 8. Villalp. apologia. de immortalitate animæ. Petr.Martin.tract.de eadẽ re, prolixè Palatius.3.de ani. c.4. q.1.Alb.tract.2.de ani.c.20.& tract.3.c.13.Pereir. lib.7.suæ philo.c.19. Tol.loco citato,& ꝙ maius est D. Tho.2. contra Gent. c.78. & 79.Ferra.ibi & eius schola,&.12.Meta. vt infra dicã,&probat.Tol.ex 2.de anima tex.66.vbi dixit, *Quod amare, cogitare, & similia destruũtur cũ corpore: intellectus autẽ fortasse diuinũ aliquid, & impassibile est*,inquit Arist.quę eo fine dicuntur ab illo teste D.Th. quia cũ locutus fuisset de intellectu, admittẽdo opiniones aliorum, posset aliquis credere, sic sentire Arist.vt verò explicaret non esse locutũ ex propria sententia ,addit illa verbi, *Dicit autem, fortasis*,vt aduertit D. Tho. quia nondũ hoc erat determinatum.

Secundũ testimoniũ est ex 2.de anima tex.21. *De intellectu autẽ, & speculatiua potẽtia nihil manifestũ adhùc est,si dicitur aliud genus animæ esse, & hoc solũ posse separari,sicut perpetuũ à corruptibili.* Legatur D.Th.& alij ibi,& idẽ indicat Arist.12. Meta.tex.13. vbi manifestè id affirmat D.Th.Ant. Andr. & alij,& 2.de generat. anim.c.3. docet, actionẽ intellectus nõ communicare cum corpore: idem supponit.1.de part.animal.c.1.idẽ supponit.1. Ethi. c.11.dicitur etiã Arist. scripsisse dialogum quendam ad Eudemum, in quo multas adducit rationes ad ostendendã animæ immortalitatem,vt refert Themist. Paraphrasi. in. 3. de anima capit. 37.ex quo id desũpsit Pereira, qui testatur Eudemum illum fuisse, cùius meminit Cicero.1.de diuina. narrans somnium eius de immortalitate animæ.

Præter has autem sentẽtias, est singulare figmentum quorundam Iuniorum Arist.sensisse, animã quidem rationalẽ esse immortalem,nõ eã,quæ informat corpꝰ, sed quę assistẽs est, aliud verò principium informans materiã hominis esse corruptibile; quod principiũ, si solũ ponatur anima sensitiua, parùm differt hæc sentẽtia

ab

ab intellectu Auerroistico: si verò ponatur etiã habens operationẽ rationis simul cũ anima assistẽte contra mentẽ Arist. est, vt cõstabit ex dicẽdis. Fundamentũ verò huius sententiæ infrà referam fideliter, & refellam efficaciter.

Mihi videtur Arist. magis inclinasse in immortalitatẽ animæ rationalis: hoc enim efficaciter probant loca adducta pro. 3. sententia; cũ verò affirmo Arist. in hoc inclinasse de immortalitate, & durationeperpetua, ex parte finis intelligo, vt voluerit animam semel creatã perpetuò duraturã, an verò senserit creari ante corpus infrà dicem⁹; cũ hoc tamẽ existimo nõ omninò Arist. putasse se demõstrasse efficaciter immortalitatẽ animę, quę duo lõgè diuersa sunt. Et ad hoc secundũ affirmandũ me mouet, q̃ cũ hęc cõtrouersia fuerit ea ætate inter insignes Philosophos disputata, sine dubio Arist. propter cõsequendã hominũ gloriã, cuius erat auidissimus, mille in locis rẽ hãc tractasset, si existimaret rẽ hãc demonstratiuè posse probari aliqua ratione à se inuenta.

Secũdò dico: sensisse Arist. vt probabilius animã rationalẽ informantẽ esse immortalem. Hæc est sine dubio mens Autho. quos citaui pro tertia sententia, & videtur probari efficaciter ex loco citato. 12. Meta. tex. 16. & 17. nã de eadẽ anima rationali affirmat, & esse causam formalem, & manere post corpus, vt ibi explicat S. Th. clarissimè, Anto. Andre. & alij expositores, & idem S. Th. 2. contra Gen. c. 79.

Sed dicet aliquis, in eo locò quãdo Arist. loquitur dubitatiuè, quid dicẽdũ est? Respõdetur primò, q̃ illa dubitatio secundũ aliquos cadit supra omnes animas, quia forsan aliqui existimabant omnẽ animã esse separabilem: sic interpretatur hũc locum Scot. in 4. d. 43. q. 2. indicant non nulli expositores loco citato, dicuntque, hunc esse modum familiarem affirmandi: nec desunt qui etiã addant Græcam particulã esse affirmatiuam. Addo tamẽ ex propria sententia, huiusmodi modũ loquendi significare Arist. non putasse suam sentẽtiam demonstrasse.

Restat explicemus aliqua loca illustriora, quibus vtuntur existimantes Arist. sensisse animam imformãtem hominis esse immortalem.

Primus locus est ex. 3. de anima. c. 1. in quo affirmat Arist. intellectum passiuũ extingui. Respondent nonnulli ex opi-

nionē Simplicij, qui ſic intelligit illū locum, vt dicatur intellectus paſsiuus extingui, non quia ſecundum rem corrūpatur, ſed quia amittit ſtatum paſsiui, quia cum pro eo ſtatu nō accipiat ſpecies à rebus, nō patiatur iam ab obiectis, & propter ſimilem rationem D. Tho. 1. p. q. 54. ar. 4. contēdit in Angelis non eſſe intellectū poſsibilem, id eſt, paſsibilem, quia in opinione D. Tho. non patitur ab obiecto, ſed habet ſpecies infuſſas à Deo.

Hæc tamen doctrina nō poteſt ſufficiēter probari ex mēte Ariſt. & ideo D. Th. & alij, eo loco nomine intellectū paſsiui intelligunt imaginationē, nam eodem lib. cap. 3. dixerat Ariſtot. phantaſiam eſſe quaſi quendam intellectum, & 1. Ethi. lection. 2. apud S. Th. eſt, partem ſenſitiuam eſſe rationalem, quatenùs per obedientiam ſubditur rationi: & ſecūdùm hanc ſententiam dicunt Ariſt. affirmare animam rationalem in ſtatu ſeparationis nō recordari rerum, quas in hac vita ſciuerat ſecundum eundam modum, id eſt, cum conuerſione ad phantaſmata. Legatur Tolet. Palatius, & alij, Burid. q. 1. ad vltimum: & ex hac doctrina intelligitur, q̄ docuit Ariſt. 1. de anima text. 66. quòd intelligere corrūpitur corrupto quodā interiori: & quod attinet ad locū Ariſt. hæc ſecunda explicatio videtur verior, ſed quod attinet ad prēſſentem queſtionē: ſine dubio nobis fauet locus ille, nam ſi ſupponat Ariſt. animam manere poſt corpus, quomodò quæret cauſam, ob quam poſt mortem non reminiſcatur, q̄ idque benè ponderauit Burid. q. citata in corpore.

Secūdò poteſt obijci, quia Ariſt. c. 16. aut ſecundum aliā diuiſionem. c. 10. reprehendit Solonē, eò quòd dixerat beatitudinem veram ſupereſſe homini poſt hanc vitam. Verùm tamen, ſi attentè legatur illud caput, oppoſitum colligitur ex Ariſt. vt verò aduertit D. Tho. lect. 5. illud tantū reprehendit Ariſt. in Solone, quòd in tempore mortis ponat fælicitatem huius vitę, quòd ideo putat inconueniens, quòd ex eius ſententia fælicitas conſiſtit in contemplatione; ad quā homo eò tempore minus eſt aptus.

Tertiò poſſunt ſimul obijci nonnulla loca facilia. 1. phyſic. tex. 28. dicit Ariſt. ſe acturum de formis generabilibus, & corruptibilibus, & 2. phyſi. tex. 12. dicit, *Formā ſola ratione poſſe ſeparari à materia*: & 4. phyſi.

physi. tex. 17. probat formam non esse locum, *quia locus separatur à re, non tamen forma*, & 8. physi. tex. 52. dicit principia, quæ se mouent, per accidens esse corruptibilia, anima verò se mouet per accidẽs ad motum corporis: &. 7. Meta. tex. vltimo dicit, *Partes, quæ destructo toto manent, solũ sunt partes materiales.*

Respondetur ad primũ, q̃ Arist. vocat formas generabiles, & corruptibiles, formas rerum generabilium, & corruptibilium.

Ad secundũ quòd Arist. loquitur de forma, & materia formaliter, & actu, respectu totius: quam rationem etiam anima rationalis actu non habet, nisi quando actualiter est coniuncta; vel per separationem intelligit distinctionem quidditatum; & in hanc secũdam inclinat ibi D. Tho.

Tertius locus facilè intelligitur. Argumentum Arist. tale est: forma non separatur à re, cuius est forma, manente ipsa re: ergo forma non est locus: quia is separatur à re, manente ipsa re.

Ad quartũ respondetur, q̃, vt D. Th. & alij explicãt, solũ docet Arist. principia, quæ se mouent per accidens esse in rebus corruptibilibus.

Tandem vltimum testimoniũ nihil habet roboris, quia Arist. ibi non negat formam aliquam esse separabilem à toto, sed solùm affirmat omnem partem separabilem ab illo habere quodammodò rationem materiæ respectu totius: vnde ex his omnibus locis nõ colligitur animam rationalem esse corruptibilem ex Arist.

Quartò potest obijci quia Arist. 12. Meta. text. 39. dicit quòd Deo felicitas inest perpetuò, nobis verò paruo tempore, &. 3. Et hi. c. 6. dicit, q̃ fortis in periculo, mortem timet, quia omnium terribiliũ vltimum est mors, & mortuo nihil videtur boni, aut mali accidere.

Ad primũ respondet Card. Tolet. Arist. loqui de fælicitate, quæ inest viuis, nõ de ea, quæ post mortẽ potest inesse animæ. Et reuera videtur cõformis Arist. Locus verò ex Ethi. explicatur à Card. Tol. hoc modo, vt fortis timeat mortem secundum Arist. quia post illam nihil boni, aut mali potest accidere, id est, quia post mortem non habet materiam, circa quam exerceat suã fortitudinẽ. S. Th. ibi lect. 14. sic interpretatur, vt mors dicatur vltimum terribilium, quia est terminus totius vitæ præsen-

ſentis, & nihil poſt mortẽ videtur eſſe bonum mortuo, vel malum de his, quæ pertinent ad præſentem vitam. Mihi verò videtur Ariſt. eo loco non negare, poſſe aliquid boni, vel mali animæ accidere poſt hãc vitam, vel homini, quia ipſe non cognouit reſurrectionẽ carnis; qui tamen putauit animam eſſe perpetuam. Addo ſecundò quòd ipſe non loquitur abſolutè, ſed quaſi ex communi conceptione vulgi ignari. Addo tertiò quòd ibi videtur aperte ſupponere Ariſt. animas mortalium hominum futuras poſt mortem: aliàs dicere poſſet, non poſſe fortitudinem verſari circa periculum futurum poſt mortem, quia nec anima manet poſt mortem.

Quintò poteſt obijci ex. 1. de partibus animal. t. 1. in quo docuit Ariſt. animam non eſſe naturam quòd neceſſariò videtur intelligendum de anima non informanti: ergo cũ ſentit animam eſſe immortalem, vel non communicare cũ corpore, explicari poteſt de anima non informanti. Reſpondetur animam non eſſe principium formaliter, in quantum principium intellectionis: tum quia ſæpe eſt libera reſpectu huius actus, tum quia ſpirituales actiones communi vocabulo non ſolent dici phyſicæ, aut naturales, quia neque in materia ſunt, neque à materia dependent.

Sexto obijcitur doctrina Ariſt. 1. de anima text. 8. in quo cũ propoſuiſſet diſputandum eſſe; an ſit vna definitio cõmunis animæ & text. 13. dixiſſet hoc pendere ex eo, an habeat propriã aliquã operationem.

Tandẽ tex. 51. concludit eſſe Philoſophi naturalis agere de anima, aut omninò, aut aliqua; quo in loco videtur Ariſt. velle tradere eandẽ doctrinã, quam tradidit loco citato; & iuxta eandem doctrinam dicẽdum eſt ſolùm velle Ariſt. vel aliquam animam, ſicut intellectiuam, non pertinere ad Philoſophum, vel animam rationalem, ſecundum aliquẽ ſtatum non pertinere ad eundẽ.

Septimò obijcitur Ariſt. 1. de anima tex. 24. vbi reprehẽdit Anaxag. quia non videtur diſtinguere animam ab intellectu, cum tamen mens, & intellectus non ſit omnibus, in quibus eſt anima, imo neq; in omnibus hominibus: quo loco vtuntur Iuniores, quaſi Ariſt. diſtinguat mentem aſsiſtentẽ ab anima informanti.

Pro ſolutione aduertendũ eſt, quod Tolet. aduertit ex

Simpl.

Simpl. & alijs Græcis, eo loco per intellectũ significari potẽ tiam intellectiuam cum actu prudentiæ, qui re vera nõ est in omnibus hominibus: pueri enim non habent vsum prudẽtiæ. D. Th. verò ferè eodẽ sensu intellectum affectum habitu prudentiæ: & re vera Arist. tex. antecedenti nomine intellectus potentiam intellectiuam significauerat; & ideò meritò Card. Tolet. cęcos vocat eos, qui ex hoc loco Aristot. colligunt vel intellectum non esse à natura, vel non inesse omnibus, quòd est contrà mentem Arist. sect. 30. problema. q. 5.

Obijcitur octauò locus quidam ex. 2. de generat. animal. c. 3. in quo Arist. inquirit, an animæ omnes sint in semine, vel vndè recipiant illas viuentia; postquã locutus est de vegetali, sensuali, & rationali anima, addit, *De mẽte etiam dubiũ esse potest, quo nam tempore, & quomodò recipiant eam viuẽtia.* Ex quibus verbis videtur colligi quarta opinio suprà posita. Pro intellectione huius loci aduertendum est, quòd vt soluat Arist. dubiũ illud, supponit fœtum esse animatum. Secundò etiã supponit, vt certum, sensualem animam, qua viuens constituitur in esse animalis recipi in materia seminis, etiam tempore prẽcedenti ante informationem animæ rationalis. His positis sic ait Arist. *Quam obrem, & de mente etiam, quo nam tempore, & quomodo, & vnde eam recipiant, quæ principium id participant, plurimum dubitatur.* Ex quibus verbis non est cur colligamus de quarta aliqua anima distincta à tribus præcedentibus esse sermonẽ; sed dubium esse de tertia illa, quam dicit etiam hic recipi in materia: vnde si bene perpendatur totus contextus, nec leuissimum quidem fundamentum habet in illo quarta sententia. Et hæc sufficiant pro isto loco quantùm ad præsentem difficultatem pertinet. Quomodo verò Aristot. soluat eo loco dubium propositum, non est præsentis difficultatis. An verò ex eo colligatur Aristot. sensisse animam rationalem esse ante corpus dicam suo loco.

Vltimò obijcitur pro quarta sententia, quòd Arist. 1. de anima cap. 4. text. 61. videtur affirmare intellectũ esse substantiam quandam, & non corrumpi, & quòd extrinsecus videatur aduenire: quibus verbis videtur significare Aristo. huiusmodi intellectum aduenire homini iam constituto,

sed

Sed D. Th. & alij intelligunt Arist. loqui ex sententia aliorum Tolet. verò nõnullas reijcit expositiones, & ipse affirmat, per intellectum ibi significari animam, de qua verificatur, ꝙ sit substãtia quædam, & quòd nõ corrũpatur, & quòd extrinsecùs adueniat, id est, quòd non educatur de potentia materiæ. Hæc sufficiat attigisse ex multis locis, ex quibus facilè est alia explicare.

Quærere posset aliquis quæ nam fuerit mens aliorũ Philosophorum circa immortalitatem animæ. De mente Platonis consentiunt authores animam rationalem esse immortalem: de quo legi potest Pater Pereira lib. 6. suæ philosophiæ. c. 18. Eugub. lib. 9. de peremni philosophia. c. 14. Euseb. lib. 11. de præparat. Euange. c. 14. Plures alios Philosophos adducit Eugub. loco citato. Idem senserunt multi ex Stoicis, & Pythago. vt refert Plutarch. lib. 4. de placi. c. 7. & multi ex Græcis, qui suam philosophiam sumpserunt ab Hebræis, vt refert Iosephus lib. contra Apionem: legatur Euseb. lib. 10. de præparat. & Berosus lib. 3. Herodot. lib. 2.

Aduertendum tamen est, in hoc fuisse deceptos plures Platonicos, quòd posuerint transmigrationem eiusdem animæ à corpore in corpus, quod eruditè refutat Eugub. lib. 7. diuinarum institutio. legatur Antoni. 1. p. Theologali. cap. 5. Apuleius lib. de Deo Socratis, Aug. 9. de ciuitate. c. 16. Quæ hîc poterant obijci ex doctrina Arist. 1. cæli. c. 12. diximus in lib. de cœlo citato.

Quæst. II. Vtrùm ratione naturali possit probari immortalitas animæ.

ANte omnia supponẽdum est, fuisse errorem Saducæorum negantiũ animas post mortem durare, vt multi ex iunioribus referunt: legantur Patres circa. c. 22. Math. circa c. 10. eiusdem, & circa. c. 3. Sapientiæ varijs tractatibus de immortalitate animæ, homilijs de resurrectione Domini, & circa. c. 15. primæ Corinth. & circa cap. 19. Iob. legantur Scholast. d. 44. qui meritò docent secundum nostram fidẽ animam esse immortalẽ; estq; veritas hæc expressè definita in Con. Lateran. 3. sessio. 8. & doctè D. Th. 4. contra Gent. c. 79. infinitæ ferè sunt authoritates scripturæ, quæ animæ immortalitatem probant.

Sed quæri potest an anima nostra sit immortalis solũ ex dono

dono Dei, vel etiam ex natura sua. Respõdeo: cum Patres affirmant animam esse immortalem intelligendi sunt secundum suam naturam; nunquam enim dicunt aliquid, ex quo possit intelligi, illos velle animam ex speciali miraculo durare post mortem, & hic sensus apertè videtur intentus à Leone. 10. in Concil. Lateran. sessione. 8. sic enim dicitur. *Cũ diebus nostris nonnulli ausi sint dicere de natura animæ rationali quòd sit mortalis, &c.* & addit, *sacro aprobante Concilio dãnamus, & reprobamus omnes asserentes, animam intellectiuam esse mortalem, aut vnam in cunctis hominibus, & hac indubium vertẽtes, cum illa non solũ vere, & per se, & essentialiter humani corporis forma existat, sicut in Canone Clementis Papæ. V. Generali Vienensi Concilio edito continetur, verum, & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis multiplicata, & multiplicanda.* Quibus verbis satis clarè indicat Concil. animã rationalem per se, & essentialiter esse immortalem, sicut, & corporis formam; præsertim cum in hac diffinitione damnẽtur illi, qui affirmabãt, illam secundum suam naturã esse mortalem. Vnde merito Bañez. 1. p. q. 75. artic. 6. affirmat, certum esse secundum fidem animam rationalem ex natura sua esse immortalem; & propter idem testimonium Moli. 1. p. q. 50. ar. 5. colu. 168. dicit esse periculosum in fide asserere Angelos suapte natura esse corruptibiles. Vnde existimo parum esse tutum in fide affirmare nõ esse certum esse immortalẽ ex natura sua, quod audacter affirmant nonnulli ex Iunioribus.

Sed quæres primò quomodo in Conci. Constantinopo. 6. act. 11. dicitur animas, & cætera indiuisibilia esse immortalia, nõ per naturam, sed per gratiam. Respondeo mentem Sophronij, cuius est illa epistola, nullam entitatem esse ex natura sua immortalem, quin egeat concursu Dei; quã doctrinam tradiderat Dionis. 4. de diui. nomi. & 6. & his locis aduertũt eius interpretes, & ipse manifestè se declarat cap. 6.

Quæres secundò quomodo solus Deus dicatur habere immortalitatem. Respõdetur q̃ dicitur solus habere Deus immortalitatem sumptam pro omnimoda immobilitate, vt exponit Dion. 1. de diui. nomin. & hoc modo explicat S. Th. 1. p. quæst. 50. ar. 5. ad. 1. id,

quod dixit Damaſ. lib. 2. de fide. c. 3. Angelum eſſe ſubſtantiam intellectualem gratia, & non natura immortalitatē ſuſcipiens: vult enim D. Th. immortalitatem ſumi à Damaſ. pro perfecta immutabilitate; omnis enim mutatio mors quædam eſt ſecūdùm Auguſt. lib. 3. contra Maximinum cap. 12. & epiſt. ad Dioſcorum. Poteſt etiam dici ſolus Deus habere immortalitatem à ſe per ſuam eſſentiam, ſicut dicitur bonus, &c. Addendum verò eſt ex doctrina S. Th. contra Gent. c. 30. & cap. 55. & 1. p. q. 50. ar. 1. Ad vltimum, quòd licèt Angelus poſsit ab extrinſeco deficere, tamen hoc non impedit, quin ex natura ſua dicatur incorruptibilis, quia quātum eſt ex principijs intrinſecis non habet vnde poſtulare poſsit, & idem eſt de anima. Vnde huiuſmodi res poſſunt dici incorruptibiles, & immortales, quidquid malè dixerit Gab. in 2. d. 2. q. 1.

Sed quęres tertiò quomodo dicatur Eccleſiaſtes. 3. *Vnus eſt interitus hominis, & iumentorum, &c.* Reſpondeo ibi Sapientem loqui ex perſona impij, & inſipientis, vt docet D. Th. 2. contra Gen. c. 79. & expoſitores Scripturæ loco citato, & ſuprà citati authores agētes de immortalitate animæ. Legatur S. Th. 1. p. q. 75. arric. 3. ad 1. Cano. 12. de locis Theolo. Scot. in 4. d. 43. q. 1. Reſtat ergo vt videam an hæc fidei veritas poſsit probari ratione naturali. In quo ſupponendum eſt non poſſe impugnari huiuſmodi veritatem ratione naturali, quia contra veritatem nullum habet mediū efficax ratio naturalis, & ideò vt præcipit Concil. citatū, rationes philoſophicæ factæ cō tra veritatem fidei ſaluantur à catholicis authoribus.

His poſitis ſunt multæ rationes, quibus autores probāt animæ immortalitatem. Plures adducit Tolet. 3. de anima q. 16. Prima ratio ſit, qua ſæpe vtitur S. Th. Anima noſtra habet operationem ſpiritualē ergo eſt ſpiritualis: ergo independens à materia, ergo ex ſolo defectu materiæ nō eſt corruptibilis. Probatur primū antecedens, nam intellectus cognoſcit res ſpirituales: ergo operationem ſpiritualem; conſequentia fundatur in proportione requiſita inter operationē, & obiectum: antecedēs probatur, quia iudicat inter res naturales, & ſpirituales.

Dices, intellectum noſtrum cognoſcere ſpiritualia per ſpecies rerum materialium. Sed con-

contrà est, quia licèt vtatur huiusmodi speciebus, tamen re vera aliqua prædicata affirmat de rebus spiritualibus, quæ nullo modo possunt cõuenire rei materiali, quod efficaciter arguit huiusmodi obiectũ, & intra latitudinẽ obiecti huius potentiæ: quod verò pro hoc statu non vtatur proprijs speciebus, solùm arguit imperfectã esse cognitionẽ; at si dẽtur illi species propriæ, perfectè poterit ea obiecta cognoscere. Secundò declaratur amplius, quia sæpe intellectus cognoscit res abstrahendo illas à singularitate, & à tempore, distinguens prædicata re ipsa distincta: qui modus re vera videtur excedere facultatẽ potentiæ materialis, aliàs non posset efficaciter probari, bruta non habere similem modũ cognitionis. Et declaratur amplius, tum ex reflexione intellectus supra proprium actum, & ex vi discursiua, quæ ex vno colligit aliud: & per omnia entia, & non entia diuagatur mirabiliter.

Quod si habet spiritualem aliquam operationem, statim sequitur, ipsam esse incorruptibilem, quia si habet operationem independentẽ à materia necesse est habeat esse independens à materia, quia ipsa operatio infert tale esse. Ex quo fit vlterius, vt hæc forma non possit corrumpi per solã expulsionem à materia, quia aliæ formæ ex eo corrumpuntur, quando expelluntur à materia, quia ex natura rei pendent in esse à materia; neque habent operationẽ, quã exerceant independenter à materia. Ex quo colligo animam rationalem non posse esse corruptibilem ratione contrarij; neq; ad defectũ subiecti; neque defectu agentis, quia pendet inmediate à solo Deo. Quam ratiocinationem doctè persequitur D. Tho. multis in locis.

Sed dicet aliquis. Licèt anima modò non dependeat in suo esse à materia, atque adeò non pendeat à corpore vt à subiecto quo ad operationem spiritualem; pendet tamen de facto à corpore, vt ab obiecto, id est, à ministrante species obiecti: ergo deficienti huiusmodi potentia ministrãte obiecta, deficit anima.

Respõdetur, quòd licet de facto habeat anima huiusmodi connexionem cum materiali potentia ministrante species, tamen hoc ipso quòd habet spiritualem operationẽ, quę essentialiter non requirit huiusmodi connexionẽ actua-

lem necessariò sit, vt hæc forma sit separabilis à materia, quia potest exercere huiusmodi operationẽ, vel per species receptas in corpore, vel p̃ species receptas a prima causa; q̃ fussẽ per sequitur Valle de sacra Philoso. c. 4. pag. 88. & ex hac doctrina intelligitur discursus. S. Th. 1. p. q. 75. art. 8. & multa alia, quæ docuit agẽs de incorruptibilitate Angelorũ. 1. p. q. 50. art. 5. & ibi eius discipuli, & 2. contra Gẽt. c. 55. Legatur Cano loco citato, Fracastori' dialogo de anima, Perez. q. vlti. 3. de anima.

Sancti etiã Patres immortalitatẽ animæ ostendere conati sunt Aug. 2. soliloquiorũ, & lib. de immortalitate animæ, Ambro. lib. de bono mortis, Chrysost. hom. 4. de prouidẽtia; & licèt plures afferãt rationes, ea tamen, quæ sumitur à prouidẽtia Dei, visa est Patribus valde efficax: supposito enim id, q̃ lumine naturali notũ est, scilicet Deũ habere prouidentiã, vt cõmunis fert Philos. & Theolo. schola, ſtãtim videtur animã duraturam post mortem. In qualibet enim Republica bẽnè instituta specialis prouidentia gubernatoris est, pœna afflicere malos, præmio bonos; q̃ tamẽ ex omni parte, & perfectè, nõ videmus exequi in hac vita; cũ sępe mali delitioſè viuant, boni verò multis afficiãtur malis vſq; ad mortẽ: ergo necesse est, vt in altera vita mali puniantur, boni verò præmio afficiãtur. Vnde, vt refert Clemens Roma. lib. 3. re cognitio. dixit D. Petrus. *Si Deus iustus est, anima immortalis est.* Similem rationem indicat Plato dialo. de immortalitate animæ in fine, & Socra. vt refert Tullius Tuscul. 1. & simile quid dixit Epicarnius, vt refert Eugub. lib. 9. de per. philo. c. 15. quã rationẽ pluribus verbis persequuntur Patres, & cætori auth. & re vera hæc ratio efficacissima est. Vnde merito displicet Scotus multis autoribus: audacter enim in 4. d. 43. q. 2. putat rationem hanc inefficacem esse. Primò, quia existimat nõ esse lumine naturali notum, Deũ habere prouidẽtiam. Secũdò, quia etiãsi hoc principiũ probetur, tamen sufficiens præmium virtutis est, virtutis ipsius delectatio; & pœna sufficiens mali, esset ipsa de ordinatio suæ voluntatis.

Verùm circa illud primum Scoti legẽdi sunt authores in materia de prouidentia, & cõtra illum disputat Cano loco citato, neq; videtur sufficiens ex omni parte præmiũ virtutis,

tis, sola naturalis delectatio, cum sæpe opera virtutis fiant cum magno labore. Tum etiã, quia vitiũ sæpe non habet annexam tantam pœnam, quantã delectationẽ. Præterea, quę nam delectatio esse posset in sola proferenda acerbissima morte, si nulla esset spes futuri præmij, & re vera vix videtur tantam potuisse habere difficultatem Hieremiam, Iobum, Abacum, & Dauidem circa inquisitionem causæ ob quam Deus sinit malos delitiose viuere in bonis: bonos verò doloribus affici. Vlterius, si vera esset mens Scoti quomodo verificaretur illud Pauli. 1. *Corinth. 15. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus*. Præterea, si nulla esset alia pœna peccatorũ quomodo homines possent coerceri à vitijs? quis esset timor pœnæ? qualis virtutis amor?

Est tamẽ non leue argumentum pro immortalitate animę petitũ ab authoribus, sapiẽtissimis Philosophis, multarũq; gentiũ. Videtur enim insita à natura homini notio, vt in simili Tusculana prima argumentatur Cicero vt probet Deũ esse. Peti etiã solet alia ratio nõ leuis momẽti in philosophia, petita à fine hominis, quia necessariò videtur esse affirmandum hominem habere suum vltimum finem, quem tamen in hac vita miserijs plena non videtur consequi.

Est tamẽ dubiũ quoddã an huiusmodi rationes demonstrent animæ immortalitatẽ. Scotus enim supra existimat non esse demonstratiuas, & Vatablus Ecclesiastes. 3. num. 21. existimat ratione naturali non cognosci immortalitatem animæ. Vall. tamen & Cano. alijque huius ætatis existimant rationem illam petitam ab operatione esse demonstrationem philosophicam, & ideò Card. Tolet. quæstio. 16. existimat sententiam Scoti esse temerariam, & Chrysostom. loco citato existimat suam rationem esse luce clariorẽ: affirmatq; eos, qui dubitãt de immortalitate animæ, posse etiam dubitare an in meridie sit dies; neque fundamentum Vatabli aliquid habet efficacitatis, quia vt supra diximus in illo capit. sermo est de insipiente.

Sed potest aliquis obijcere pro Scot. ex Aug. 13. de Trini. c. 9. affirmat enim paucos cognouisse immortalitatẽ animę. Respondetur tamẽ, quòd expresse in eo cap. Aug. affirmat aliquos ratione naturali inue-

ueniſſe immortalitatẽ animæ: videtur autem Aug. loqui de his, qui proprio labore huiuſmodi cognitionẽ adepti ſunt. Addi etiã poteſt, quòd Aug. non loquitur de quacumque immortalitate, ſed de immortali ſtatu futuro poſt hanc vitam ſimul cum beatitudine.

Secũdò obijcit Scot⁹ ex Grego. li. 4. moral. in fin. qui addu ctis quibuſdã rationibus pro immortalitate animæ addit. *Qui propter has rationes nõvult credere, credat propter finẽ*; qua ſi ſupponat Gregor. rationes nõ eſſe omninò efficaces: quæ verba non inuenio apud Gre. & tamen licèt ſint Greg. facilè poſſunt explicari: neque enim affirmat Gregor. rationes eſſe ineffieaces, ſed cum ad fideles eſſet ſermo, meritò potuit dicere: Si quis non mouetur his rationibus credat propter fidem.

Quæret aliquis, an benè Ariſt. ex operatione probauerit immortalitatem animæ. Dubiolum hoc propoſitum eſt, vt explicentur nonnulla, quæ circa hoc dixit Ariſt. 1. enim de anima à text. 12. ponit aliquas propoſitiones. Prima eſt. *ſi intelligere eſt imaginatio quedam, aut nõ ſine imaginatione, non erit ſine corpore.* Secunda. *Si anima humana aliquã habet propriam operationem, fieri poteſt, vt à corpore ſeparetur, ſi autem nulla ſit propria operatio, ſeparabilis non eſt.*

Circa vltimam aduertendũ eſt multũ laborare Themiſt. Auerro. Ægid. & alios in explicando modo argumẽtationis, quo vtitur Ariſt. & mihi placet breuiter affirmare, illã ratiocinationem Ariſt. ratione materiæ eſſe bonam: ſic docuerunt Apollina. & alij, licèt etiã poſsit dici, quod docuit. S. Th. non eſſe ibi aliquam ratiocinationem, ſed contineri duas propoſitiones, quæ poſſent deſeruire ad inueſtigandam animæ immortalitatem, quod alij etiam amplectũtur.

Secundò oportet explicare, quid intelligat Ariſt. nomine propriæ operationis. Pro quo aduertendũ eſt quòd licet omnes operationes vitæ procedant ab anima, tamen quædã ſunt, quæ in corpore, vt in ſubiecto, & organo, recipiuntur, ac perinde pendent ab illo, vt à cauſa materiali. Alia poteſt eſſe operatio, quæ & ab anima ſit, & non recipiatur in corpore, atq; adeò, neq; pendeat à corpore, vt à ſubiecto, vel organo, cum ergo Ariſto. dicit animam eſſe ſeparabilẽ, ſi habeat propriam operationem, de operatione propria ſe-

secundo modo intelligendus est, secundum S. Th. & alios, & communiter recipitur à Iunioribus, licet Tolet. velit, quòd loquatur Arist. de operatione, in qua neque à corpore, vt obiecto dependeat: hæc autem (inquit ille) est cognitio intelligentiarum. Verùm tamen, vt dicam suo loco, nulla est talis cognitio in hoc statu, & ideò de illa non potest explicari Arist. & in his propositionibus cõditionalis est sermo Aristot. quòd verò ipse senserit animã habere propriam operationem colligendum est ex locis suprà citatis pro immortalitate animæ ex mente Arist.

Sed quæres aliquis, quomodò Arist. 3. de anima tex. 30. docuerit intellectum nunquã intelligere sine phantasmate. Videtur enim sequi ex mente Arist. animam esse mortalem. Quod argumentum adeò efficax visum est Caiet. vt propter illud dixerit Arist. his lib. sensisse animam esse mortalẽ, si est imaginatio, vel non sine imaginatione. Sed si hoc ita esset vix posset à contradictione liberari Arist. vt constat loco citato. 12. Meta. Secundò contra hoc est, quòd si Arist. 2. lib. de anima tex. citato nomine propriæ operationis intellexisset eam, quæ non pendet à corpore, vt obiecto, quod tenetur dicere Caiet, ferè euidenter sequeretur supponi statum separationis, vel saltem pro hoc statu esse talẽ modum operandi; hoc autem secũdum omnimò pugnat cũ experientia, illud autem esset magnũ vitiũ in argumẽtò; tũ etiã sequitur, vt vidimꝰ, ex operatione indepẽdẽti, à corpore, vt à subiecto, colligi independentiã animæ à materia: ergo sufficit si nomine propriæ operationis hanc intelligat.

Ad dubium ergo propositũ respondent aliqui, quòd Arist. 3. de anima loco citato dixit animam non esse sine imaginatione, quod tamen intelligit pro hoc statu: cũ verò primo de anima dixit, quòd si anima est phantasia, vel non sine illa, non est separabilis, intelligendus est, si pro nullo statu est sine illa. Sed hæc explicatio etiam videtur supponere duplicẽ statũ, & ideo ex dictis possimꝰ explicare Arist.

Pro cuius explicatione aduertendum est, quòd tribus modis potest dici aliqua operatio pendere à potentia materiali; vno modo tanquam ab eliciente immediatè; sicut visio pendet à visu: alio modo, tanquam à proponente obiectum,

ctũ, ſicut actus appetitus ſenſitiui pendet ab operatione ſenſus interni. Tertio modo tanquàm à concomitãte, propter connexionem cum eadem anima: qua ratione pendet intellectus ab operatione ſenſus interni, etiam poſtquàm habet ſpeciem obiecti. Cùm ergo Ariſt. dixit, quòd ſi anima habet aliquam propriam operationem eſt ſeparabilis, nomine proprię operationis intelligit operationem independentem à potentia materiali, non ſolùm tanquàm ab eliciente, ſed etiam tanquàm à proponente obiectum, ita vt ſolùm dicatur pendere à potẽtia materiali, propter concomitantiam, quam operationem reuera habet anima etiam in hoc ſtatu: cùm verò dixit Ariſt. animam non eſſe ſeparabilẽ, ſi eſt phantaſia, vel non ſine phantaſia, iuxta duos priores modos intelligendus eſt: at cùm 3. de anima affirmat nõ eſſe intellectum ſine phantaſia, iuxta tertium modum intelligendus eſt: & hanc explicationem meritò amplectuntur plures huius ætatis. Legatur Ariſt. 1. de anima, tex. 12. & 14.

(3.)

Quæſt. III. Vtrùm anima rationalis inceperit cum corpore.

RAtio dubitandi eſſe poteſt, quia ſi anima poteſt manere ſine corpore, etiam ex natura rei: ergo poterit etiam eſſe ante corpus.

Fuit quondam error Pythagorę aſſerentis animam tranſmigrare à corpore in corpus: vnde conſequens erat, animã eſſe ante multa corpora. Quẽ errorem ſumpſit Pythagoras ab Aegypt. vt refert Herod. fuitque multorum: Plato, vt in epiſt. ad Marcellam teſtatur Hieron. qui etiam affirmat, hanc tenuiſſe Ioannem quendam Epiſcopũ Hieroſol. imò eam tribuit Ruffino Hiero. Apologia contra Ruffin. lib. 1. Fuit etiam error Orig. libr. 1. Periar. cap. 7. lib. 2. cap. 3. 6. & 8. Legatur S. Tho. 2. contra Gen. cap. 83. & ibi Ferrara, Cardin. Tolet. 3. de anima. q. 17. Ludouicus Viues ſuper cap. 20. libr. 11. de Ciuitate Dei.

Dico primò in hac quæſtione, animam rationalem creatã eſſe ſimul cum corpore, ita vt quælibet anima fuerit adeò in inſtanti, in quo vnita eſt materię. Hanc probat S. Thom. multis rationibus, ex quo etiã illas

illas' de sumpsit Card. Tolet. & quidquid sit de efficacitate illarum, ea mihi videtur esse ratio, quæ simul etiam explicat disparitatem propter quam ex natura rei manet anima post corpus, & non sit ante illud, nam cum anima sit forma informans ex communi ordine naturę, non producitur, nisi causa materiali postulante formam, sicut & aliæ omnes formæ, in quo est magna disparitas inter creationē Angeli, & creationem animæ rationalis, quia Angelus est totum quoddam completum immediatè producibile; vnde quòd producatur in hoc, vel illo instanti non potest referri in aliquam causam materialem, vel efficientem secundā, sed immediatè in voluntatem Dei, at cum anima rationalis (vt dixi) sit forma, creatur secundùm ordinem naturæ in instanti, in quo vltimò ad illā disponitur materia: intelligitur etiam causa, propter quā ex natura rei anima perseueret post dissolutionem à corpore, quia, vt constat ex suprà dictis, semel producta anima, nulla est causa ex natura rei postulans corruptionē illius, & ipsa secundùm suū esse postulat conseruationem; quod non contradicit rationi formæ; at antequàm producatur in instanti vnionis, nihil est quòd postulet productionem illius; & modo intelligitur, quomodo dixerit Arist. 12. Met. loco citato, omnem causam formalem non esse ante suum effectū, licèt aliqua causa formalis possit manere separata ab illo. Legatur S. Th. q. 90. ar. 4. Est enim hæc doctrina iam de fide, habetur in Conci. Bracha. 1. c. 6. Legatur actio. 11. 6. synodi generalis in epistola Sophronij, Leo Papa in epist. 71. c. 10. & 11. & epistol. 11. ad Iulium Episcopum, Damas. 3. de fide. c. 5. Cyryl. Alex. in illa verba Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & D. Th. 2. contra Gen. c. 83. in fine adducit autoritatē ex lib. de Ecclesiast. dogma.

Dico secundò etiā esse certum secundum fidem, nō esse transmigrationem animarum à corpore: est enim definitū, vt suprà vidimus, pro multitudine corporum multiplicari animam; & in Scriptura sępe indicatur huiusmodi multiplicatio, & distinctio; & hoc etiam probatur ex locis, quibus probatur resurrectio, in qua vnusquisque portabit secundum, quod gessit in corpore, aliàs re vera non posset

ſtare doctrina etiam Philoſo. aſſerentium non poſſe eandē completam ſubſtantiā ex natura rei reproduci. Legatur Auguſt. lib. de hæreſibus capit.86.

Sed obijci poteſt quòd ſaltem Ariſt. contrarium ſenſerit.2.lib. de generat. animaliū cap.3. nam ibi videtur dicere, *Mentem eſſe ante corpus licèt aliæ animæ eße non poſsint.* Propter iſtum locum, vt Card. Tolet. refert. 3. de anima. q. 15. concl. 2. dixerunt nōnulli Ariſt. loqui eò loci ex mente aliorū, quod probabiliter inquit Tolet. colligūt propter tria. Primò, quia doctrina illa, non erat nimis ſpeculatiua, ſed hiſtorica. Secūdò, quia re vera in eo capite aliquas opiniones aliorū refert. Tertiò, quia ibi inſinuat Ariſt. animā rationalem habere quædā corpora diuina, & non ex elemētis, & hanc explicationem ſequutus fuerat Cardin. Tole. in 2. de anima. q. 2. explicans illum locum: qua quæſtione etiam addit aliam ſolutionem, vt cum Ariſt. dicit, mentē ab extrinſeco venire, loquatur nō de entitate animæ ſecundum eſſe, ſed de perfectione acquiſita, videlicet habitu.

Neutra tamen iſtarum ſolutionum placet: prima non habet fundamentum in eo textu, & duæ coniecturæ, quas fecit Cardinalis Tolet. non conſtant ſatis. Tertia autē explicari poteſt, quod quantum ad illud loquatur ex mente aliorum, vtitur enim verbo, videtur, nec dixit corpus illud eſſe nō ex elemētis, ſed magis diuinum, vel nobilius. Secunda enim ſolutio omninò eſt contra intentionem capitis, vt facilè conſtabit legenti, & ideo Tolet. tertiā addit quęſt. illa. 2. 2. lib. quòd anima rationalis dicatur extrinſecus aduenire, nō quia ſit ante corpus, ſed quia non educitur de potentia materię: quam ſolutionem fuſius explicat. 3. de anima. q. 15. aduertit enim quod Ariſt. illo cap. 3. 2. lib de generatione animalium, duas quęſtiones propoſuit: vna eſt: an omnes animæ eſſent ante corpora, an cum ſemine, ideſt ex vi illius aduenirent. Ad primam dicit reſpōdere impoſsibile eſſe animas eſſe ante corpus. Ad ſecundam animam rationalem extrinſecus aduenire. Et quidem quod attinet ad ſecundam quęſtionem, ita reſpondet Ariſt. quòd ad priorem forſan eſt probabilius, illam non determinaſſe quò ad animam rationalem, ſed docuiſſe ſolùm aliquas animas

non

non posse esse ex natura rei ante corpus, quia habet corporalem actionem, vt ex contextu facilè intelligitur: & licèt quis concedat in eam partè aliquo modo inclinare Arist. vt videatur admittere ex parte actionis non esse impedimentum propter quod anima non possit esse ante corpus, dicendum est nihilominus suam mentem declarasse 12.lib.Meta.

Quæst.IIII. An anima rationalis sit substantia cõposita ex materia, & forma.

SVpponendum est omninò esse falsum errorem quorũdam asserentium esse portiunculam diuisam ex substantia Dei, vt docuit D.Th.1.par.q. 90.art.5. & 2. contra Gent. c. 85.contra quosdam Hæreticos. Sic dicunt sensisse Manich. & Priscil, vt August. refert lib. de origine animæ, & lib.de hæresibus.c.24.& Ireneus lib. 1. aduersus hæreses cap.24.affirmat Carpon.fuisse huius hæresis autor. in quã inclinatur Philo.Iudeus in opusculo inscripto, *Quod deterius posteriori insidietur*. Qui error damnatur in Concilio Bracar.& à Leone Papa epistola.71.c.5.legatur August. supra epistol. 28. & 157. Chrysost.hom.13.super Genesim. Et licèt aliqui ex philosophis improprie videantur in hac re loquuti, tamẽ vt aduertit Eugub.lib. 9. de peren. philoso. cap. 8. nonnulli solùm voluerunt animam à Deo procedere: vnde & Trimegist. Asclepio scribẽs: Mens, inquit, nõ est abscissa à substantia Dei, sed quasi explicata, sicut lumẽ à sole. Legatur Scholiast.Damasceni.2.de fide.c.12. è multis verò principijs philosoph. facilè potest hic error impugnari.

Et supponendum est ex dictis animam esse substantiam: disputat autem D. Th. 1.p.q. 65.ar.5.& q.de anima ar.6.an anima sit composita ex materia & forma: dupliciter autem potest intelligi, vel ita vt sit composita ex materia & forma, & subiecto verè materiali, & forma spirituali, & hic sensus omninò est falsus, quia tota entitas animæ est aliquid spirituale, vt probat ratio supra facta petita ab operatione: & communis est mens auth. locis citatis, & est doctrina certa secundum fidem, vt docuit Tolet. propositione prima ex his, quas ponit in principiõ. 1. lib. & hoc videtur magis de mente Concilij

Later. ſub Innocentio. 3. & habetur extrauagan. de ſumma Trinitate, & fide Catholica Cannone *Firmiter*, verba cõcilij hæc ſunt, *Is (id eſt Deus) ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam corporalem, & ſpiritualem, Angelicam, & mundanam: deinde humanam, quaſi cõmunem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam.* Quibus verbis apertè indicat Concil. hominem eſſe cõpoſitũ ex corpore, & ex ſpiritu, prout ſpiritus dicit aliquid cõ diſtinctum à corpore. An verò in hoc canone definiat Angelos eſſe purè ſpirituales nõ eſt huius loci. Legantur interpretes. 1. p. q. 10. quo in loco explicant, & referunt aliquos Patres; qui videntur affirmare Angelos eſſe corporeos, & conſequenter idem indicant de anima rationali. Legatur Bañez. 1. p. q. 75. art. 2. Legantur Patres in illud Math. 10. *Animam autem non poſſunt occidere*, Chryſoſt. hom. 3. de incõprehenſibili Dei natura, & hom. 3. in Geneſ. Greg. 5. Moral. c. 21. Aug. de hæreſibus, hæreſi. 86. & lib. 10. ſuper Geneſ. ad literã à. c. 23. & epiſt. citata quæſt. præcedẽti. Legatur Caſtro, verbo *Anima* hæreſ. 2.

Sed poteſt obijci teſtimoniũ illius Patris, quod refertur ſynodo. 7. generali act. 5. aſſerentis animas, & Angelos eſſe eiuſdem materiæ aereæ, vel igneæ. Verùm tamen dicendum eſt, quoad hoc non recipi à Concilio illud dictũ, vt communiter tradunt Scholaſtici in materia de Angelis loco citato, ibi enim ſolùm erat ſermo de adoratione imaginum, quam ex falſa conceptione de natura Angeli, & animę conabatur ille Pater probare.

Secundò alio modo poteſt intelligi, animam eſſe cõpoſitam ex ſpirituali, & receptiuo aliquo ſpirituali, vt tota entitas animæ ſpiritualis ſit. Quo ſenſu nõnulli dixerunt animã eſſe compoſitã eximateria, & forma, vt refert. D. Th. 1. p. q. 90. ar. 2. ad 1. & de ſpiritualib⁹ creaturis art. 1. in quo primũ affirmat. D. Th. ſenſiſſe Aug. 7. ſuper Geneſ. ad literã, fortè dubius habere animam ſuã materiam pro ſuo genere ſpiritualẽ, ex qua fieret: in ſolutione tamen illius argumenti explicat Aug. q̃ locutus fuerit nõ ex propria ſententia, illã enim videtur impugnare. D. Th. verò, & eius ſchola vbiq; negat animã componi ex materia & forma, & videtur mẽs Damaſ. 2. de fide cap. 12. definiens animam: indicat Hugo

Vi-

Victor. super c. 4. Angelicæ Hyerarchiæ Dionys. & Cõcil. vt suprà vidimus, animã appellat formam: in communi autẽ modo loquendi non intelligimus aliquid compositum ex receptiuo, & forma.

Et ratione philosophica potest probari. Primò, quia sine aliquo fundamento philosophico dicitur oppositũ. Secũdò, vel illud receptiuũ formæ essentialiter est forma, & vt constat ex phys. hoc fieri nõ potest; quia vna forma nõ est informatiua alterius formæ substantialis, nec possunt poni diuersi gradus eiusdemmet formæ substantialis, quia hæc forma, vt constat ex lib. de gener. nõ habet intensionẽ: vel illud receptiuũ est purè materia, & tunc ex huiusmodi receptiuo, & forma fieret totũ integrũ, vt constat à simili in alijs compositis, nec posset illud receptiuũ informare materiam hominis; vnde forma illa immediatè sine subordinatione informaret duas materias, alteram verè materialẽ, alteram pro suo genere spiritualem, & hoc quidem ex natura rei omninò repugnat rationi formæ, vt hoc habeat ex natura sua. Vnde Philosophi cognoscũt huiusmodi receptiuũ de essentia hominis, & Patres explicantes misteriũ incarnationis, præter materiã, & formã, id est, corpus, & animã nõ cognoscunt aliquid aliud substantiale receptiuum.

Explicari amplius potest, quia etiã secundùm hanc sententiã deueniendum est ad aliquam formã entitatiuè simplicẽ, quod statim de prima forma dici potest. Ex multis alijs principijs philosophicis impugnari potest hæc doctrina, hæc tamen sufficiat attigisse; quæ re vera suadent longè esse probabilius non esse possibile aliquid oppositũ ex materia, & forma, informatiuum alterius materiæ; an verò in gradu rerum spiritualium sit possibile aliquod compositũ integrum ex receptiuo & forma spirituali, dicitur in Meta. Nonnulla alia dici poterant de quiditate animæ rationalis, quæ in sequentibus commodiùs dicentur.

Quæst. V. Vtrùm anima fiat à Deo.

DE materia receptiua animæ nihil est speciale q̃ dicamus præter generalẽ doctrinã de prima materia traditã in phys. restat ergo explicemus eius causam efficientẽ. In quo fuit error quorũdã asserentiũ

animam

animam fieri ab anima, ſicut corpus à corpore: ſic Apoll. & ſequaces, vt refert D. Th. 2. cõtra Gent. c. 86. ſic etiã dicitur ſenſiſſe Tertul. vt refert Car. Tolet. 3. de anima. q. 17. ex Auguſt. lib. dẽ hæreſ. c. 86. certũ tamen eſt ſecundum doctrinã fidei animam non fieri ab anima, ſed creari à Deo: Eſt communis Scholaſt. omnium, eam tradit expreſſe Hieron. in apologia contra Ruf. lib. 2. legatur lib. de ſpiritu, & anima. c. 14. & lib. de Eccleſi. Dogmatibus, quæ habentur inter opera Auguſt. lib. de hæreſ. c. 81. Nec refert, inquit, D. Tho. q̃ in aliquibus locis oppoſitum indicet Auguſt. in propria aliqua locutione. Legatur epiſt. 28. & epiſtol. 157. & lib. 10. ſuper Geneſ. ad literam, & lib. de Baptiſmo paruul. cap. 10. imò, & multi Philoſophi ſenſerunt animam eſſe factam à ſolo Deo, quorum dicta refert Eugub. lib. 9. de perẽni Philo. c. 5. & Ariſt. vt ſupra vidimus teſtatur animam extrinſecus aduenire.

Et ratione probari poteſt. Primò, quòd non fiat dependẽter à materia, ab aliqua cauſa ſecunda, quia ipſa in ſuo eſſe, eſt aliquid ſpirituale, atq; adeo in ſuo eſſe independens à materia, & ita etiam in fieri. Legatur S. Th. 1. p. q. 118. ar. 2. Communis verò modus agendi cauſæ ſecundæ fit per eductionem ex potentia ſubiecti, ex natura enim rei, nulla creatura poteſt creari.

Sed quærere poſſet aliquis, an Angeli concurrant efficiẽter ad productionem animæ, Legatur S. Th. 1. p. q. 90. ar. 3. & Cardin. Tolet. 3. de anima q. 13. qui refert Auicen. ſenſiſſe animas factas ab Angelis, quod receperunt quidam Hęretici, vt Selcucus, Hermias, quorum fit mentio lib. 7. hiſtor. tripartitæ cap. 1. Similem errorem habuit Apoll. vt etiã dicitur in 5. hiſtoriæ tripartitæ. c. 44. & Auguſt. quidem, vt Tolet. refert, dubius fuit, an ſecundum fidem ſit omnino certum, animã à ſolo Deo creari, & ipſe in epiſtola de origine animę ad Hieronym. licet teneat animã à ſolo Deo creari, dubitat tamẽ, an ſit de fide, & Lugdunenſis quidam Epiſcopus nomine Eucherius qui fuit poſterior Auguſtino circiter centum annos dicit hoc difficilè poſſe determinari, quia nihil eſt, inquit, à Sanctis viris, aut ſcripturarum authoritate dictum, aut certum. Caſtro autem verbo *Anima* hęreſi. 5. tantum affirmat, quòd ſi fuerit aliquis Scripturæ locus,

cui, cui apertè cõtradicat hęc assertio, erit hæresis, ipse tamen nullum adducit scripturæ locum.

Verum tamen S. Th. 4. contra Gen. c. 87. colligit ex dictis cap. præcedenti excludendum esse errorem ponentiũ animas esse creatas ab Angelis & 1. p. q. 90. art. 3. dicit esse alienum à fide affirmare animas factas esse ab Angelis virtute Dei; vtitur vero D. Tho. his locis verbis illis Geneſis. *Et inspirauit in eum spiraculum vitæ*, & Tolet. adducit autoritatem Leonis Primi epist. 91. dicẽtis animas à solo Deo incorporari. Et secũdùm rationem naturalẽ probari potest, quia ex natura rei Angelus nõ potest esse causa principalis creationis animæ rationalis. Quòd si aliquis dicat Angelos esse causas instrumẽtales, liberè, & sine fundamẽto loquitur in philosophia: cũ hoc etiamsi sit possibile, pendeat ex sola voluntate Dei, non ex communi concursu rerũ, vel exigentia alicuius causæ naturalis, vt interim omittam quã sit dubium; an creatura possit eleuari ad creandum. Et hæc de hac disputatione.

Disputa. II. De appetitu in communi, & in particulari.

DIuisit Arist. 2. de anima potentias animæ, in vegetatiuam, & sensitiuam, appetitiuam, & intellectiuam, & loco motiuam. Disputatum est hactenùs de tribus prioribus, consequens est, vt de appetitiua, & loco motiua constituamus sermonem: & in hac disputatione agemus de appetitiua, in sequenti verò de locõ motiua: & de appetitiua non nihil docuit Arist. cap. 93. lib. de anima: circa quod pauca quædam tradunt Doctores, fusse enim disputatur hęc materia ab Scholasticis. 1. part. q. 80. & 12. in multis quæst.

Quæst. I. De appetitu, & eius obiecto, in communi.

ADuertendum est primò appetitum in genere sic posse describi, *Vt sit inclinatio in rem conuenientem*, iuxta doctrinam S. Th. 1. p. q. 8. art. 1. & 1. 2. q. 8. ar. 1. & multis alijs locis, quã recipiunt Scholastici, apud quos cõstituta etiam est diuisio appetitus in naturalem, sensitiuum, & rationalem, de qua legatur D. Th.

Th.1.p.q.6.ar.1.q.87.ar.4.& multis alijs locis, quibus videri possunt eius discipuli. Dicitur ratio appetitus naturalis, ingenita, cuiuslibet rei inclinatio in suum bonum, quam translatiuè vocarunt appetitum Philosophi, eo quòd sit inclinatio rei ad bonũ, quod non habet, vt docuit D.Th.1.p.q.16.ar.1. hic autem appetitus secundùm communem sententiam Doctorum nõ distinguitur realiter à natura cuiuslibet rei: vnde meritò Dionysius primo de diuinis nominibus hunc appetitum vocat substantialem, & essentialem habitudinem, & hoc appetitu, quælibet potentia animæ dicitur appetere obiectũ suũ, vt docuit S.Th.1.p.q.76.art.1.ad 3. vnde meritò hic appetitus dicitur non subditus rationi, vt docuit S.Tho.1.p.q.80.ad 5.& 12.q.17.ar.8. Neque enim potest ratio etiam cũ libertate facere, vt res non inclinetur ex natura sua in bonum sibi conueniens. De quo appetitu posset aliquis quærere, an ita tendat in bonum, vt nulla ratione tendat in malũ? Conueniunt omnes scholastici citati non posse rem aliquã habere naturalem appetitum rei disconuenientis, & contrariæ, quia nulla res potest habere inclinationem sibi contrariam, nec potest alicui rei esse debitũ suum contrariũ: omne enim debitum fundatur in natura: vnde est illi conforme, & in hoc non dubitarunt Philosophi. Absolutè ergo dicendum est obiectũ appetitus esse bonum cuilibet rei proportionatum.

Tertiò quæres, an huiusmodi appetitus possit esse in rem supernaturalem, & alterius ordinis? Disputãt de hac re Scholastici multis locis maxime 1.p.q.12. & 13.in materia de beatitudine, & in 4. in eadem materia. Mihi absolutè videtur non posse esse naturalem appetitum ad rem supernaturalem, & alterius ordinis; quia appetitus naturalis respicit bonum cum ordine ad executionem, vnde semper habet ordinem ad potentiam actiuam, vel passiuam, vel ad vtrumque: sed in re naturali respectu supernaturalis, vt sic, nõ potest esse potentia actiua, vel passiua naturalis: ergo non potest esse appetitus. Maior per se videtur nota, dicitur enim lapis, verbi gratia, per se appetere centrũ, quando caret loco naturali, quem potest habere, & à quo potest perfici in eodem ordine rerum: neque enim ad rem

im-

impossibilem potest philosophicè poni in lapide appetitus naturalis. Minor probat, quia entitati naturali, quantũ est ex se, neq; in genere causæ efficientis, neque materialis potest esse debitus concursus causæ, quia cõcursus debitus causæ proportionatur illi in ordine eodẽ rerũ secũdũ totã Philosophiã: ergo ad rẽ omninò supernaturalem, atq; adeò extra totã latitudinẽ rei naturalis nõ potest esse debitus cõcursus causæ naturalis. Et declaratur ex dictis dubio præcedenti, quia debitum actionis fundatur in ipsa natura agẽtis. Et de appetitu naturali hæc mihi sufficere videntur.

Præter hunc autẽm appetitum, qui (vt Philosophi dicunt) tendit in rem naturalẽ, sine interiecta cognitione ponitur in rebus cognoscentib⁹ appetitus dictus cognoscitiuus, quia formam cognitam potest appetere medio actu elicito; & ideò dicitur sequi formam cognitam: ex quo Doctores probant necessitatem huius appetitus, quia sicut res naturalis inclinatur in formam naturalem sibi conuenientem, ita res habens cognitionem potest appetere formam cognitam, vt experientia ipsa testatur.

Iuxta diuersam verò potentiam cognoscitiuam in diuerso ordine assignãt Philosophi diuersos appetitus: & eum, qui sequitur formam cognitam à sensu vocant sensitiuum: eum verò, qui sequitur formã cognitam ab intellectu, vocãt intellectiuum, vel rationale, pro quorum cognitione in genere supponẽdũ est, quod de potẽtijs animę in cõmuni dictũ est.

De actu horũ appetituũ posset aliquis quærere an fiat efficiẽter ab ipsa potẽtia? Et dicẽdũ est fieri efficiẽter ab illa.

Secũdò posset quęrere aliquis, an huiusmodi actus requirat in potẽtia aliquod principiũ inhærẽs, quod cõcurrat ex parte obiecti in genere causę efficiẽtis: dixi ex parte obiecti, quia nõ est dubiũ, quin ex parte obiecti cõcurrat habitus ad huiusmodi actũ: quærimus ergo de aliquo principio, quod in suo genere proportionetur speciei impressæ respectu actus cognitionis.

Cõmuniter supponũt authores in appetitu nõ esse huiusmodi principiũ, & omnes Iuniores sine cõtrouersia amplectũt, & assignãt cõmuniter ratione ex doctrina D. Th. multis in locis asserẽtis intellectũ trahere res ad se, voluntatẽ verò tẽdere in res. Legat 1. 2. q. 22.

D art.

ar. 2. & q. 4. artic. 2. intellectus ergo trahit res ad se per similitudinem receptam ab obiecto, & ideò eget aliquo tenēte se ex parte obiecti: volūtas verò suo pondere tendit in res. Quæ doctrina explicari potest ampliùs, quia intellectus v. g. producit similitudinem expressam obiecti: vnde & requiritur aliquid ex parte obiecti, vt effectus relinquatur secūdū conditionem vtriusque, id est, potentiæ; at volūtas nō producit similitudinē obiecti, sed pōdus in illud, & quasi tendentiā actualem, & motionē, ad quā producēdā potest potentia appetitiua esse sufficiens, sicut potētia motiua ad causandam motionem actualē ad locū, vt omittā nō esse respectu potētię appetitiuæ fundamenta similia his, propter quę ponimus species. Ratio verò à priori debet esse natura ipsius potentiæ, sicut & de intellectu agenti dixi nō postulare ex natura sua principium inhęrens sibi: quæ doctrina, vt aduertam, ex sequentibus meliùs intelligetur.

Tertiò posset aliquis quærere, an actus potentię appetitiuę sit immediatè receptus in ipso appetitu. Philosophandum est sicut in simili de actu cognitionis, disp. 5. quęst. 2. Et similiter philosophandum est circa perfectionē, vel imperfectionem huius actus ex maiori, vel minori perfectione obiecti. Et similiter circa distinctionē quidditatis horū actuum à quidditate obiectorum. Po quibus omnibus legatur q. cita. An verò duo actus huius potentiæ possint fieri simul, affirmandum est iuxta dicta disp. cit. quęst. 3. An verò hic actus habeat terminū, explicādū est ex dictis q. 1. disputationis citatę, sicut & non nulla aliaproportione seruata.

Quæst. II. Quid sit appetitus sensitiuus, & quotuplex.

EX dictis facilè potest describi huiusmodi appetitus: nā si sumatur pro potētia est principium elicitiuū actus vitalis tēdentis in formā cognitam sensu: si verò sumat pro ipso actu, etiam constat quid sit, quia actus solet vocari ab authoribus appetitus elicitus: ex quo etiam facilè constat, quod sit obiectum huius appetitus: quod ampliùs explicabo in fine huius quęstionis.

Illud dubium difficilius est, an appetitus sensitiuus sit vna sola potentia, vel duæ distinctæ realiter. Communis est au-

authorum sententia, maximè Thomisth. asserentiũ irascibilem, & concupiscibilem realiter distingui: vocant concupiscibilem, appetitum tendẽtem in bonum: irascibilẽ verò potentiam resistentem contrarijs in consecutionem huius boni: Est expressa sentẽtia S. Th. 1. p. q. 8. ar. 2. & de veritate. q. 15, ar. 3. & q. 25. art. 2. & multis alijs locis amplectuntur eius discipuli: idem dicitur sensisse Plato, & Pythagoras, vt retulit Plutarchus lib. 4 de placitis cap. 4. indicat Nissenus lib. 4. Philosophię cap. 8. Damasce. 2. de fide c. 12. Hieronymus super c. 13. Matthęi sequitur Galen. 6. de vsu partium cap. 18. Cardin. Tole. 3. de anima quæst. 27. fundamẽta huius sententiæ adducentur infrà.

Secunda sententia est multorum Iuniorum hac ætate asserentium esse tantùm realiter vnam potentiam. Et probatur primò à simili, quia tantùm datur vnus sensus internus: ergo sufficit vna potentia appetitiua, quæ sequatur formam ab illo cognitá, quod potest declarari exemplo voluntatis, & intellectus.

Secúdò efficaciter, quia cũ non possit probari distinctio realis ex parte principij non est cur actus irascibilis, & cõcupiscibilis dicantur adæquati, & inferre diuersas potentias; præsertim cum huiusmodi actus sint inter se subordinati, & claudantur in latitudine actus appetitus: & etiam exemplo actus potest declarari, & re vera hæc sententia secundum rationẽ videtur probabilior, licet minùs confirmetur authoritate, & quod attinet ad Nissenũ, Damascenũ & Hiero. posset aliquis respõdere illos loqui de actibus, vel de ipsa potentia, secundũ diuersam accidentalem denominationem.

Secundò illos non tractasse rem omninò ex professò vsosq; nominibus, irascibilis, & concupiscibilis, iuxta communiorem modum loquendi Philosophorum.

Et declaratur hæc doctrina ex doctrina ipsius D. Th. 1. p. q. 82. ar. 5. in quo negat, irascibilem, & concupiscibilem in voluntate distingui. Explicat quandam authoritatem Hieronymi, & aliam desumptam ex lib. de spiritu, & anima. c. 13. qui circumfertur tomo. 3. inter opera Augustini, & vult S. Th. locutiones has in volũtate nõ indicare diuersam potentiam; sed eandem cum ordine ad diuersum actum: sic

ergò possumus nos explicare communes locutiones Patrũ, licèt Damascenus, & Nisenus videantur indicare oppositum.

Sed obijcitur primò. Tendere in bonum, & tendere in arduum sunt diuersa obiecta formalia: ergo inferunt diuersas potentias: sed concupiscibilis tendit in bonũ, vt consequatur illud; irascibilis in arduũ, vt superet: ergo sunt distinctæ potentiæ. Antecedẽs primæ consequentiæ videtur notum ex ratione boni & ardui, consequentiæ verò videntur rectè concludere.

Respondetur tamen quòd licèt hęc obiecta distinguãtur in ordine ad actus, ita vt inferãt actus diuersos specie, nó tamen probatur adęquata distinctio respectu principij, vt vult D. Th. 1. p. q. 8. ar. 2.

Secundò potest obijci ex doctrina S. Tho. 1. p. q. 82. art. 5. Sunt plures sensus interni: ergo & plures appetitus: sed hæc ratiotinatio supponit falsum fundamentum.

Tertiò potest obijci ex eodem S. Th. q. 81. cita. art. 2. in corpore. 1. part. Aliquãdo irascibilis appetit contra inclinationẽ concupiscibilis: ergo distinguuntur. Antecedens probatur, quia sæpe irascibilis amat tristia quando vult illa superare, vt consequatur obiectum concupitũ. Respõdetur primò q; huiusmodi actus nõ sunt propriè contrarij, quia tristia amantur propter consecutionem boni concupitũ: vnde revera habent inter se ordinem: & secundò licèt actus essent verè contrarij, non probatur sufficienter distinctio, quia potest esse principium aliquod elicitiuum horum actuum.

Quartò potest obijci ex eodem S. Thom. art. citat. in corpore: passiones irascibilis minuunt passiones concupiscibilis, & è cõtrario: ergo sunt cõtrariæ, & inferunt diuersas potentias. Antecedẽs probatur, quia ira accẽsa minuit concupiscentiã, & è contra. Respõdetur: ex cõtrarietate, vt dixi, actuũ non rectè infertur distinctio principij. Quòd verò ex vno actu minuatur alius debet reduci à S. Tho. eiusque discipulis in virtutem animę, quæ dum maiorem cõcursum derivat circa vnum obiectũ, quod etiam potest fieri etiãsi sit vna potentia, siue reducatur in concursum animæ, quasi partium, siue in concursum diuisum eiusdem potentiæ, siue in potentiam & animam.

Sed

Sed posset primò aliquis dubitare de obiecto appetitus sensitiui. In nostra sententia facilè constat, vt dixi in principio quęstionis: verum qui distinguũt irascibilẽ à concupiscibili afirmant obiectũ concupiscibilis esse bonum delectabile, obiectum verò irascibilis bonum cognitum per species insensatas: sed hic modus dicendi primò supponit doctrinam illam de speciebus insensatis. Secundò etiam nó videtur absolutè verus, quia ouis per speciem insensatam cognóscit filium, vt amicum: ergo poterit sub hac ratione illi amare bonum delectabile, & tamen potest timere lupum per speciem insensatam actu irascibilis.

Alij dicunt, quædam esse bona delectabilia, & hæc sunt obiectum concupiscibilis: alij, bona, quia conducunt ad consequendum obiectum cõcupitum: Alij dicunt, arduũ esse bonum irascibilis; qui omnes impugnantur à nonnullis Iunioribus, & fortè res est de nomine, & in nostra sententia loquendum est iuxta dicta, licèt etiam dicendum sit concupiscibilem versari sub hac ratione circa delectabile: irascibilem verò circa res, quibus defenditur, impeditur ve consecutio huius boni.

Secundò posset quærere aliquis, quodnam sit organum huius potentiæ. Quidam distinguentes, irascibilem & concupiscibilem dicunt esse in diuersis partibus, concupiscibilem ponũt in hepate, irascibilem in corde. Alij putant vtramq; esse ponendã in corde etiã secũdũ Arist. qui 3. de anima text. 46. id docuit de irascibili, de cõcupiscibili verò. 3. de partibus animaliũ c. 4. sicque videtur sentire S. Th. 1. p. q. 20. art. 1. ad primum & 2. & de veritate q. 27. artic. 1. communiter eius discipuli. Et Aphrodis. 1. de anima capit. vltimò Cardinalis Tolet. 3. de anim. quæstion. 27. licèt distinguat has potentias tamen solùm assignat cor subiectum illarum, & licèt Aristotel. tex. 46. insinuet priorem sententiam, tamen S. Thom. & alij eò loci dicunt illum loqui ex mente Platonis: & Iuniores frequenter affirmant appetitum sensitiuum esse in corde.

Et probatur ex experientia, quia sicut ex nimia attentione defatigatur caput, in quo residet potentia cognoscitiua: ita ex nimia ira, vel lætitia alteratur cor: & est certè

certè in Philosophia satis probabile argumentum, & ideò admittenda est hæc sententia cum verò tantùm ponamus vnũ appetitum sensitiuũ, nõ est cur ponamus aliud organum.

Quæst. III. De actu appetitus sensitiui, & eius causa efficienti.

PRo cognitione actus huius potentiæ legatur D. Tho. 1.2. q. 22. & ibidem Thomistæ; nos verò nonnulla breuiter dicemus hoc loco.

Primò aduertendum est ex D. Th. ar. 1. quòd passio multipliciter dicitur aliquãdo enim sumitur pro passione corruptiua, aliquando verò pro passione perfectiua: in hac verò materia significat actũ appetitus sensitiui, qui habet cõiunctam aliquam materialem passionem, quam Damas. 2. de fide c. 22. sic definit: *Passio est sensualis motio appetitiuæ virtutis*, à Latinis solet dici affect⁹, Cicero verò Tuscul. 4. has passiones vocat *Perturbationes, turbidosq; animi motus, & morbos.* Legatur Chrysost. in cap. 7. ad Roma. August. 7. de ciuitate. c. 4. Hiero. Matth. 5. & 26. Ioelis. 1. & Zachariæ. 1.

Posset aliquis quærere, quænam sit causa ob quam actus appetitus sensitiui causent materiales passiones in corpore? res est, quam confusè tractãt medici; videri potest Galen. 3. de locis affectis capit. 8. Auerr. 3. collect. cap. 4. S. Tho. 1.2. q. 17. art. 7. ad. 2. & quæst. 33. Ratio verò huius assignatur communiter consensio facultatum naturalium, scilicet sympatia, & connexio.

His positis, Actus pertinentes ad appetitum numerãtur à D. Th. 12. q. 23. ar. 4. & recipitur eius doctrina cõmuniter ab autorib⁹, act⁹ sunt, Amor, odium, desiderium, fuga, delectatio, & tristitia. Amor versatur circa bonum absolutè, desiderium circa bonum futurum, delectatio circa bonum præsens. Sunt alij tres actus, odium circa malum secundũ se, fuga circa malum futurũ, tristitia circa malum præsens, & hi actus pertinent ad concupiscibilẽ: amplior explicatio horum actuum non est præsentis loci.

Solùm aduertendũ est hos actus semper fieri ex natura rei efficiẽter ab appetitu, quia sunt actus vitales: vnde meritò cõmuniter refutatur Scot⁹ in 1. d. 1. q. 3. & in 4. d. 49. q. 2. vbi docuit delectationẽ nõ fieri efficienter ab appetitu, sed

sed esse meram passionem cō secutam ex actu amoris rei præsentis, sed non habet sufficiens fundamentum, vt omittam id, quod dicemus infrà, esse longè probabilius actum vitalē nullo modo posse fieri sine concursu potentiæ vitalis.

Actus verò irascibilis quinque numerantur species, Desperatio, audacia, timor, & ira, quę diuisio sic declaratur. Irascibilis versatur circa defensionem boni concupiti, & quia bonum illud sæpe est difficile, ne appetitus omninò desistat, dicitur Desperatio: si tamen etiā cognita magna difficultate, & resistentia, appetitus tēdat, & quasi magna difficultate erigatur in consecutionem boni, tunc dicitur Audacia: si verò nō totaliter desistit aliquo tamen modo vnitur, dicitur Timor, quod verò infertur aliquid malum appetēti, resultat in appetitu desiderium vindicandi iniuriam, & dicitur ira. Plura de his actibus legantur apud D. Tho. & eius discipulos locis citatis, & specialiter de ordine illorum inter se legantur. q. 25.

Circa alteram partem quæstionis de causa efficienti horum actuum supponendū est ex dictis, potentiam concurrere, & habitus, si aliquis sit; nullum verò aliud principiū inhærens concurrere ex parte obiecti. Dubium tamen est de termino cognitionis sensus interni, an efficienter cōcurrat ad actum appetitus. Sēntiæ circa præsentem difficultatem adducentur infrà de simili difficultate de actu appetitus rationalis.

Est tamen specialis difficultas in actu appetitus sensitiui, quia in opinione D. Thom. & Thomistarū sensus internus ponitur in capite, vt constat ex dictis disput. de sensibus internis, & tamen appetitus ponitur in corde, vt cōstat ex quæstione præcedenti, distāt ergo secundùm locum actus sensus interni, & actus appetitus sensitiui, & tamen in opinione D. Th. nullum agens agit in distās. Præsens ergo difficultas non habet locum in opinione Arist. qui & sensum communem & appetitum posuit in corde; neq; in opinione aliorum, qui appetitum, & sensum ponūt in capite, quos sequitur Augustin. in principio suorum moralium: neque habet locum in opinione existimantium posse agens naturale ex natura rei agere indistans.

Secundùm doctrinam ergo S. Tho.

S. Thom. multi existimant, vt dicemus infrà, cognitionem non concurrere ad actum appetitus: alij vero affirmant cõ currere, quos sequuntur aliqui huius ætatis, & conantur soluere præsentem difficultatem dicentes ad hoc vt cognitio possit concurrere ad appetitionem sufficere ipsam esse præsentem animæ, quæ etiam est præsens potentiæ appetitiuæ, vt in agentibus naturalibus, quando duo aliqua agentia concurrunt ad eundem effectum, non requiritur, vt vtrumque secundùm omnes suas partes sit approximatum passo; sufficit tamen si vtrumque sit iuxta sphæram suam, vt habeat contiguam præsentiam.

Sed hæc solutio magnam habet difficultatem. Primò quia ex natura rei in causis subordinatis nunquam reperitur vna causa, quæ ex natura sua semper sit distans à passo, & à præsentia, quam causa principalis habere potest respectu passi.

Secundò, quia ex hoc sequitur posse calorem intra suam sphæram calefacere stupam, si sit inter medium aliquod vacuum, calor ipse est præsens Deo, Deus autem ipse est præsens stupę, cui subordinatur calor in agendo: neque potest assignari ratio Philosophica propter quam sufficiat adhoc vt agat cognitio, esse præsentem animæ, quæ est præsens appetitui, & non sufficiat ad hoc, vt calor agat, esse præsentem Deo, qui intra sphæram caloris est præsens stupæ.

Tertiò, quia, vel præsentia cũ anima dicitur sufficere ex eo, quia requiritur ex parte cognitionis ipsius, & hoc est falsum, vt constabit infrà, & hoc modo etiam habet locũ secunda præcedẽs difficultas: vel quia anima requiritur ex parte potentiæ appetitiuæ, & hoc nihil refert ad cognitionem ipsarum, sicut nec refert Deum esse præsentẽ in appetitu, & eius concursum esse necessarium ex parte appetitus. Et fortè ratio à priori est, quia animæ, prout existenti in capite non debetur concursus ad eliciendum actum appetitus, sed ipsi animæ prout existenti in materia cordis: huiusmodi enim operationes immanentes ex natura rei supponunt formã informantẽ: vnde & secundũ exigentiã naturæ, si anima non informaret materiã cordis, etiãsi posset informare materiam capitis, nõ cõ curreret ad appetitionẽ: imò

etiamsi

etiamsi esset præsens cordi non informans materiam illius, non concurreret ad appetitionem, quia actiones istæ supponunt informationē formæ secundùm ordinem naturæ.

Et declaratur amplius informis diuisibilibus, quia anima equi, verbi gratia, secundum diuersas partes est in capite, & in corde: vnde sine fundamento diceretur partē animæ, quę est in capite, concurrere ad appetitionem cordis, cum in corde sit pars animæ sufficiens ad illam operationem, ad quam ex parte formæ ex natura rei requiritur informatio: ergo licet in homine eadem sit anima in capite, & in corde, tamen diuersus concursus debetur illi prout in corde, & prout est in capite sicuti si etiam hic esset aliquis ignis, & per longissimam distantiam, ex virtute Dei haberet repetitam præsentiam, nō diceremus calori, qui coniunctus est igni, prout in hac præsentia est, esse debitum concursum ad producendum ignem Romæ: quia licèt sitcōiunctus causæ principali, quæ potest Romæ producere ignem, tamen non est coniunctus illi causæ in præsentia, pro qua debetur illi concursus ad producendum ignem Romæ. Omitto autem rationes, quibus infrà probabo nō esse necessarium fingere cognitionem concurrere efficiēter.

Et ex his potest dici ad similitudinem illam duorum agentium naturalium. Et primò ipsi tenentur reddere rationem propter quam nō sufficiat simultas cum causa prima subordinata, vt possit agēs creatum agere per mediū impeditū, vel per vacuum in latitudine suæ sphęræ.

Secundò est diuersa ratio de actione immanenti, quæ ex natura rei requirit animam informantem, & ita illi soli prout informanti materiā cordis, verbi gratia, debetur concursus ad eliciendam operationem in corde: vnde præsentia cognitionis cum anima impertinenter se habet ad efficiendam operationem illā, quod clariùs patet in anima equi, vt dixi, secus verò res se habet in agentibus naturalibus actione transeunti, quia hæc agentia non supponunt præsentiam in eodem spatio, in quo debent producere operationem, neq; enim possunt esse penetratiuè cum passo, & ideo solum postulant, vel continuitatem, vel contiguitatem

ſpatij, hæc eſt enim maxima ſimultas, quam poteſt habere cum paſſo. Et ideo exiſtimo ſecundum principia Diui Thomæ, quæ ſupra retuli, verè non poſſe dici actum ſenſationis internæ cõcurrere ad appetitionem: & hoc loco ſufficiat hanc difficultatem, quæ ſpecialis eſt in appetitu, attigiſſe: infrà enim dicemus quòd etiã ſi cognitio habeat ſufficientem ſimultatem ad efficiendum, nõ neceſſarium eſſe affirmare illam efficere.

Reſtat vnum dubium circa actus appetitus, quos retuli, an ſenſu interno cognoſcãtur & quomodo. Hanc rem vnus, quẽ viderim, attigit ſubtilis Pater Molina. 1. p. q. 54. art. 4. qui affirmat huiuſmodi actus cognoſci à ſenſu interno intuitiuè per ſpecies proprias: nec tamẽ declarat an ſint perfectæ, vel imperfectæ. Et D. Th. 1. p. q. 87. ar. 4. affirmat omnẽ appetitũ eſſe in re, cui eſt, per modũ eius. Vnde colligitur appetitũ intellectiuũ debere eſſe intelligibiliter in anima. Ex quo infertur intellectum intelligere actum voluntatis. Et in eodem art. docet eundem appetitum ſenſitiuũ eſſe ſenſibiliter in ſentiente: ergo ſequitur in Doctrina D. Th. actus appetitus cognoſci à ſenſu interno, hoc eſt enim eſſe ſenſibiliter in anima ſenſitiua. Doctrinam verò D. Th. amplectuntur eius diſcipuli: de modo, verò quo cognoſcãtur actus appetitus, nihil inuenio apud D. Th. qui cum in 3. d. 25. q. 1. artic. 2. explicuiſſet, quomodo cognoſcantur hi actus ab intellectu, nihil addit de modo, quo cognoſcantur à ſenſu interno.

Secũdus modus poſſet eſſe aſſerentium huiuſmodi actus non cognoſci à ſenſu interno: ſicut fatentur communiter authores actus ſupremæ potentiæ ſenſitiuæ cognoſcitiuæ, non cognoſci ab aliquo ſenſu, vt conſtat ex dictis diſput. de ſenſibus internis.

Probatur primò, quia ab experientia non poteſt ſumi efficax fundamentum, quia de cognitione brutorum nullum habemus certum ſignũ: in nobis verò adeò eſt imperfecta cognitio intellectus, vt nõ improbabiliter dicat quis cognitionem illam fieri per alienas ſpecies ab intellectu, ſine hoc quòd præcedat in ſenſu cognitio talis obiecti, vt multi dicunt de cognitione actus talis potentiæ ſupremæ ſenſitiuæ cognoſcitiuæ: vſus verò alienarum ſpecierũ quoad

ad præsentem casum sine sufficienti omninò fundamento cõcedẽtur sensui interno.

Nihilominùs probabili' est sensum internum aliquo modo cognoscere actus appetitus, non quidem per species omninò claras, & distinctas, vt efficaciter conuincit experiẽtia: neq; per vsum alienarũ specierum, propter rationẽ factam, præsertim quia existentia actus appetitus vix potest sine discursu cognosci, vt in simili dixi de actu volũtatis, sed per species quasdam imperfectas, quod nullam videtur habere repugnantiam, & videtur magis congruum animæ sensitiuæ & animalium.

Quod si aliquis obijciat, actum appetitus rationalis nõ cognosci per speciem causatam ab illis: ergo idem erit de actu appetitus sensitiui. Respondeo esse diuersam naturã horum actuum, vnde non esse mirum, si diuerso modo cognoscantur à potentijs cognoscitiuis, quibus proportionantur: vnde & actus voluntatis, vt dixi, quoad quidditatẽ, & existentiam potest cognosci ex discursu intellectus, qui modus esse nõ potest in sensu interno respectu actus appetitus, & ideò dicendum est, vel hos actus omninò non cognosci à sensu interno; vel admittendus est hic modus cognoscendi, vt probabilior. Ex his verò & ex dictis de actu voluntatis facilè est colligere quomodo hic act' cognoscatur ab intellectu. Et hęc in dubio valde difficili & incerto sufficiat attigisse.

Quæst. IIII. Quid sit appetitus rationalis, & eius obiectum.

APpetitus rationalis secundum dicta describi potest hoc modo. *Est inclinatio tẽdẽs in obiectum bonũ cognitũ ab intellectu.* Quę descriptio, sicut & similis de appetitu sensitiuo, intelligẽda est de depẽdẽtia per modũ prosecutionis: nam appetitus per modum fugæ respicit malum; quodcũq; autem bonum cognitum ab intellectu est obiectum huius appetit', de quo fusius scholastici locis infrà citandis. Id solùm est disputandum, an huiusmodi appetitus per modũ prosecutionis possit tendere in malum, vt malum. Legantur discipuli S. Tho. 1.2.q.8. qui fusiùs rem hanc tractant, quam ego breuiùs attingam.

Prima sententia est asserentium voluntatem posse ferri in malũ sub ratione mali per

modum prosecutionis. Ita Ocha. in 3.q.13. dub.3. Maior. in 1.d.38.q.1.& in.4. d. 49.q. 6. Gabri. in 2. dist. 6.q. 1. art. 3. dub.2. Scot. in 1. distin. 1.q. 4. §. *Ad argumenta*, dicit oppositum non esse probatum à Theologis, de quo dubius manet in.2. dist.43.q.2. & præcipuum fundamentum est petitum à libertate volũtatis; quia cũ sit libera potest, inquiũt, refutare bonũ, & eligere malũ.

Secunda opinio est Angesti c. 1. suorũ moraliũ asserentis voluntatẽ non solũ posse ferri in malum per modũ prosecutionis, sed posse etiam tẽdere in aliquod obiectũ abstrahendo à bono vel malo.

Sed dico primò obiectum prosecutionis non posse esse malũ, vt malum. Colligitur ex Arist. 3. eth. c. 4.& 2. ethi. ad Eudemũ in fine, & Dionysius 4.c. de diuinis nominibus absolutè docet neminẽ respicière tem ad malũ operari: est doctrina D. Tho. 1.2. loco cit. 3. contra Gent. c.3. & multis alijs locis: & discipul. eius locis citat. sequitur Henricus quodlib. 1.q.16. quodli. 16.q. 9. Marsi. in 2.q. 16. ar. 5. Alẽsis 1. p. q. 17. Ricard. in 2.d. 25. ar. 3.q.2. & est communis hoc tempore, & videtur expressa Augusti. 2. confir. à cap. 4. docet enim quòd *Omnis peccans, etiam quando peccat, quarit aliquod bonũ, & sapius repetit miseriam vt sic non posse appeti.*

Et probari potest experiẽtia, qua experimur nunquam amari aliquod malum, vt malũ formaliter, nisi sub ratione boni, vel propter aliquod aliud bonum.

Secundò potest probari à simili, quia appetitus naturalis non potest tendere in malum, vt malum: ergo nec appetitus rationalis.

Tertiò etiã à simili, quia intellectus non potest assentiri falso sub ratione falsi, vt notũ est: ergo nec volũtas prosequi malũ sub ratione mali: eadem enim videtur proportio vtriusque potentiæ ad vtrũq; obiectũ. Et ratio à priori est, quia omnis appetitus, vel est ipsa natura rei, vel datur propter bonũ naturæ. Quod verò volũtas sit libera nó infert q̃ possit velle malũ, vt malũ, ad hoc enim non habet libertatẽ, vel potẽtiam, libertas verò volũtatis cõsistit in electione v. g. boni honesti præ delectabili aut vtili, vel è contrario etiam est libera quoad exercitium, vt aiunt, quatenus repræsentato bono obiecto, potest nõ elicere actum: an verò possit ferri in minus bonum negle-

cto

cto maiori nõ est huius loci.

Et iuxta hæc dico. 2. obiectum appetitus per modũ fugæ est malum, vt malum. Est communis authorũ, quos retuli pro præcedenti cõclusione: & declaranda est cõtrarijs fundamentis; ex quibus concludo contra Angestum non posse voluntatem ferri in obiectum abstrahens à bono, & malo, quod facile probatur ex prima conclusione. Addendum tamen est, posse aliquando amari malum propter bonitatem annexam, & tũc ratio formalis est bonitas: de qua actione legatur Medin. 1, 2. loco citat. Probari potest & declarari, quia potest aliquis aliquando velle malum pœnæ, vt fugiat malum culpæ, vt docet experiẽtia, & ratio in hoc, & similibus casibus est, quia potest apprehẽdi aliquod malũ, vt mediũ vtile ad aliquod bonũ. Ex hac doctrina intelligitur quomodo posset aliquis appetere mortẽ, imò & ipsum non esse sui. De quo Thomistæ fussè. 1.2. q. 10. ar. 1 etiam intelligitur qua ratione possim velle malũ alteri, si habet cõiunctum bonũ meum.

Quæst. V. De actu appetitus rationalis, & eius principio efficienti.

SVpponẽda sunt, quæ de actu appetit⁹ in cõmuni dixi mus. Addẽdũ est omnes act⁹, qui sunt in appetitu sensitiuo esse in voluntate, licèt perfectiori modo, quia potest velle mediũ propter finẽ formaliter, & circa finẽ potest habere actũ quẽdam, scilicet amorem habendi illum, & hic dicitur intentio finis: potest etiam habere gaudium de illo vt habito, & hic actus solet dici fruitio. Circa medium verò, vt medium formaliter, etiam habet duplicem actum: alius dicitur electio, quo voluntas ex præuia consultatione eligit medium: alius actus est, qui dicitur vsus, & ponitur actus voluntatis, quo applicantur potentiæ ad executionem mediorũ pro consecutione finis; de quibus omnibus fussa suscipitur disputatio à Diui Thoma, & Thomistis. 12. in materia de actibus: actus etiã, qui immediate fit à voluntate dici solet actus elicitus illius, actus tamen alterius potentiæ, qui fit ex imperio voluntatis solet dici actus imperatus voluntatis.

Circa principium efficiens horum actuũ conueniunt omnes ferè authores voluntatẽ esse causam efficiẽtem propter supra dicta. Vnde periculose er-

errauit Gofcdrus quodlib. 7. q.6. dicitur enim ſenſiſſe actũ voluntatis eſſe tanquàm à totali cauſa à phantaſmate: & Henricus quodlib. 9.q. 5. refert quoſdam alios docuiſſe eandem ſententiam: conueniunt etiam ex dictis præter habitum,& volũtatem ipſam, non concurrere ad hunc actũ aliud principium inhærẽs voluntati.

Difficultas tamẽ eſt an verbum mentis efficienter concurrat ad actum iſtum. Prima ſententia eſt aſſerentium verbum mentis efficienter concurrere. Sic Marſi. in 2.q. 16. art.3.Grego.d.25.q. vnica cõcluſ.12.Gabri.ibidem.q. vnica.Ocham. quodlibet.1.q.16. Carthuſia.in 2.d.25.q. 3.ar.2. & ex Thomiſtis Caietan. 1.p. q.80.ar.2. qui citat Heruęum & Adamnum,&. 1.2.q.22.ar. 2.& 3.Soncin. 12. Meta. q.13. Conra.1.2.q.9.ar.1.citatur Auerr.12.Met.tex.76. ſequuntur nonnulli huius ætatis, & ſubtilis Molina infrà putat probabilem ſententiam, & hi vocant.D. Th. in ſuam ſentẽtiam,de cuius mente dicã infrà.

Probant hanc ſententiam ex Auguſtino, qui vt explicet ſpiritum Sanctum procedere à filio vtitur exẽplo verbi mentis reſpectu actus volũtatis & ided.15.de Trinit.cap. 23. ait amorem procedere à ſcientia & c. 26. amorem eſſe de gignente notitiam, & de notitia genita, ſæpeq; vocat amorem prolem cognitionis, quo modo loquẽdi vtitur Bernardus de interiori domo c. 68. & Ricardus de ſancto victore de contemplatione. 1.p. quid ſimile indicat.

Ex hoc poteſt ſumi prima ratio,quia in diuinis amor procedit à verbo:ergo & in creatis, eadem videtur vtriuſque proportio.

Secundò phantaſma concurrit cum intellectu agenti ad productionem ſpeciei intelligibilis: ergo & verbũ ad actum voluntatis cum voluntate, & idem argumentum fieri poteſt de ſpecie impreſſa potentiæ cognoſcitiuę: vnde vel in vtroq; caſu explicãdus eſt effectus per ſolum cõcurſum potentiæ reſpectu actus circa obiectum, vel vtrobique admittendus eſt cõcurſus ex parte obiecti.

Et declaratur ampliùs, quia ſicut in ſpecie intelligibili reperitur ratio ſpiritualitatis, & ſpecialis ratio huius obiecti, & in intellectu agenti reperitus modus agendi per principium aſsiſtens non inherens;

&

& modus agendi sine cognitione, ita in voluntate reperitur ratio actus spiritualis, & ratio specialis ad obiectum, & voluntas ipsa non est cognoscitiua, & sicut intellectus agẽs determinatur ab hoc phantasmate, ita voluntas determinatur à tali obiecto cognito: ergo de his omnibus videtur eadem ratio, & sicut actus cognitionis non solùm est actus vitalis, sed talis obiecti: ita amor voluntatis non solùm est actus vitalis, sed actus talis obiecti, & secundũ hanc doctrinam soluuntur nonnulla, quę possunt obijci contra hãc sententiam.

Primò enim obijci solet q voluntas de se sit sufficienter determinata suppositа cognitione obiecti, quia est quædã inclinatio, quę potest refugere malũ & eligere bonũ. Respondetur tamen secundũ doctrinam huius sententiæ volũtatem esse sufficienter determinatam suppositа cognitione, quod attinet ad determinationem concursus ex parte potentię, non tamen habet ratione sui concursum requisitum ex parte obiecti, sicut dicendum est de intellectu possibili vel agenti.

Secundò obijci solet: vel voluntas recipit aliquam similitudinem ab obiecto, aut inhærens principiũ ex parte illius: vel verbum concurrit ex parte obiecti. Primum illud nullus concedit: hoc secundum videtur contra rationẽ actus vitalis, quia in potentijs cognoscitiuis semper actus elicitur ex natura rei ab aliquo principio inhærenti ex parte obiecti.

Respondetur quòd etiamsi requiratur concursus ex parte obiecti, tamen sufficienter reducitur in verbum mentis, quia est sufficienter approximatum ad agendum cum voluntate, & perfectius quã esset principium aliud ab illo producendum in voluntate: nec refert potentiam cognoscitiuam cõmuniter agere per principium inhęrens, quia est diuersa natura vtriusque potẽtiæ, sicut de intellectu agenti concurrente cum phantasmate dicendum est, & aliquando potentia cognoscitiua potest operari per principiũ sibi præsens, vt de habitibus volũtatis, quando cognoscũtur ab intellectu Angeli, vel animæ separatę, cuius sunt proprij, affirmant multi, & de substantia Angeli respectu sui intellectus est cõmunis sententia. Quod si aliquis quærat causam, propter quã possit verbũ mentis:

mentis concurrere immediate cum voluntate, & phantasma non posit concurrere immediatè cum intellectu possibili. Respondetur ex dictis, quia verbum mentis est perfectius effectu, quē posset producere in voluntate ad eliciēdum actum, & ideò potest immediatè per se concurrere ad actum voluntatis, cum sit sufficienter pręsens; at phantasma ipsum est imperfectius effectu ab illo producendo, scilicet intelligibili specie, & ita est magis improportionatū. Et secundò, quia cum intellectus natura sua possit separari à sensu interno non fuit conueniens illum actualiter pendere semper à termino sensationis in genere causę efficiētis, etiam pro hoc statu aliàs in statu separationis ex natura rei nullam haberet speciem, aut principium, quo posset operari, nisi à prima causa illud acciperet per infusionē, vel immediatè à rebus acquireret; at voluntas, & intellectus semper sunt sibi præsentes proquolibet statu, & operatio voluntatis semper supponit actum intellectus.

Tertiò potest obijci: vel verbum mentis, & voluntas concurrunt vt duę causæ partiales: & hoc non videtur verum vniuersaliter, quia potest contingere aliquādo verbum mentis supernaturale cōcurrere ad actum volūtatis supernaturalem, cuius voluntas nō potest esse causa principalis, vt constat ex dictis de concursu speciei impressę cum potē tia: & è cōtrario, si aliquando potest cognitio naturalis entitatiue concurrere ad supernaturalem actum volūtatis, cognitio etiam nō erit causa principalis. Hoc argumentum pono ad explicandum quomodo philosophādum sit in hac sententia: absolutè enim mihi nō placet, quod docuit Caiet. 1. p. q. 80. ar. 2. quoad secūdum, voluntatem esse causam principalem, verbum autē causam secundariam, sed quod dicitur de voluntate est falsum, vt probat ratio facta, & Caietanus indicat sententiam plurium theologorum, & Thomistarum existimantium actum voluntatis entitatiuè, & quoad substātiam, vt illi loquuntur, vniuersaliter esse naturalem: quod tamen meritò refutatur à Theologis huius ætatis in materia de gratia. In proposita ergo quæstione philosophandum est, vt quando voluntas, & verbum concurrunt ad actum naturalem, semper voluntas sit causa principalis par-

partialis: in verbo autem considerandũ est, an sit nobilius actu voluntatis, nam quòd aliquis actus intellectus sit nobilior aliquo actu voluntatis constitutum est apud plures theologos. Quod si vera est doctrina quorũdam Thomistarum asserentium, vniuersaliter omnem actum naturalem intellectus esse nobiliorem quocumque actu naturali voluntatis, dicendum est verbum mentis cõcurrere vt causam partialem: quòd si aliquãdo verbum sit imperfectius actione volũtatis philosophãdum est sicut in simili de specie impressa: quòd si actus voluntatis sit supernaturalis entitatiue, semper voluntas cõcurrit vt instrumẽtum, & idẽ est de verbo mentis, si sit naturale, si verò verbum mentis sit supernaturale, attendendũ est, an sit, vel non sit perfectius actu voluntatis, & philosophandum est secundum dicta.

Quartò solet obijci: nã intelligitur connexio inter intellectum, & phantasma sine actuali efficientia phantasiæ: ergo poterit intelligi connexio inter intellectum, & voluntatem sine efficientia verbi mentis. Propter hoc argumentum quidam huius ætatis concedunt actum intellectus dependere efficienter à phantasmate, quod tamẽ suo loco refutatum est: nec videtur simpliciter necessarium, etiam si aliquis affirmet actũ intellectus concurrere efficiẽter ad actum voluntatis, quia cum voluntas ipsa non recipiat aliquid ex parte obiecti, necessariò reducẽdus est, hic concursus in actum intellectus: at verò cum intellectus possibilis aliquid recipiat à phantasia, nõ est necessarium quòd ipsa phantasia ad actum intellectus cõcurrat. Solet etiã obijci authoritas D. Thomæ contra prædictam sententiam, sed de eius mẽte dicam infrà.

Secundus modus dicendi esse potest asserentium verbum mentis concurrere efficienter ad actum voluntatis, etiam si terminus sensationis internæ non concurrat efficienter ad actum appetitus. Fundamẽta primæ partis possunt esse ea, quæ attulimus pro præcedenti sententia: fundamenta verò secundæ partis ea, quibus supra probauimus terminum sensationis internæ non posse concurrere ad actum appetitus.

Tertia sententia est asserentium verbum mentis solùm

concurrere ad actum voluntatis applicando obiectum. Sic sentit Henricus quodlib. 9.q. 5.& quodlib.12.q.26.Scot.in 1.distinct.25.q.vnic. quam etiam nonnulli ex eius discipulis amplectuntur: ex discipulis verò Diui Thomę sic sentit Ferrara. 1. contra Gentes cap.44.Capreol.in 2.dist. 25. q.1.ar.3.ad primum cõtra primam conclusionem. Medi.1. 2.q.9.art.1.& Iuniores Thomistæ.1.p. q. 80. quam etiam multi huius ætatis amplectuntur,& mihi videtur vera, & licèt prima sit probabilis, quæ modo explicato mihi placuit aliquando, hæc tamen videtur reuera probabilior.

Pro cuius explicatione aduertendum est sine causa nõnullos distinguere de actu voluntatis naturali vel libero, quia de omnibus re vera eodem modo loquendum est;nã si semel dicamus concursum ex parte obiecti esse necessarium ad actum voluntatis, cũ omnis actus illius habeat obiectum siue liberum, siue necessarium semper concurret aliquid ex parte obiecti: si verò concursus hic necessarius non est, in nullo actu erit necessarius, quod enim actus sit necessarius,vel liber,non pendet ex eo quòd obiectum cõcurrat,vel non concurrat, sed ex applicatione voluntatis.

Et declaratur in actibus intellectus, quia si semel daremus aliquem actum fieri ex natura rei sine concursu obiecti nullo modo esset principium ad probandum aliquem actũ intellectus includere cõcursum obiecti; ex quo etiam fit malè nonnullos Iuniores probare verbum mentis non concurrere efficienter, quia posito verbo,potest voluntas non operari: hæc,in quam,ratio nullius est momenti, solũ enim probat verbum mentis non egere voluntate ad operãdum,non tamen probat nõ esse necessarium cõcursum verbi ad actum voluntatis, quia ipsa actualiter determinatur ad operandum: sicuti licèt species intelligibilis non semper cogat intellectum, ad eliciendam operationem, tamen quãdo applicatur intellectus ex libertate voluntatis ad operãdum,applicatur etiam concursus speciei.

His positis dico in hac quęstione verbum mentis nõ cõcurrere efficienter ad actũ voluntatis. Probatur primò quia àppetitus naturalis per se ipsum est sufficiẽter inclinatus in bonum,sibi conueniens:ergo voluntas est sufficienter in-

inclinata, vt semel repræsentato obiecto possit tẽdere in illud secundum exigentiã suę naturæ.

Et declaratur ampliùs in appetitu, quem habet lapis ad centrũ: nõ enim solũ lapis per suã essentiã inclinatus est in centrũ quasi radicaliter, sed etiã per potẽtiã superadditã, scilicet grauitatem, vt cõstat, sed grauitas ad eliciendum actum pro consecutione essen tialiter est sufficienter inclina ta in genere causę efficientis, ita vt ex parte rei quæ appetitur nihil requiratur, quod cõ currat in genere causæ efficiẽ tis: ergo semel applicato obie cto per cognitionem appetitus rationalis, sufficienter inclinatus est in genere causæ efficientis, vt possit elicere actum circa suum obiectũ, sine hoc quod ex parte illius aliquid concurrat in genere cau sæ efficientis.

Secũdò probatur ex diuerso modo, quo respicit appetitus suum obiectum, & quo respiciunt potentiæ cognosci tiuæ, nam potentia cognoscitiua vt dictitat sæpe D. Tho. trahit res ad se, imò fit ipsa res, vt dixit Aristoteles, quia tendit in obiectũ per expressam imaginem illius, & quasi per generationem alicuius similis obiecti: vnde requirit aliquid, quod cõcurrat ex parte obiecti: at appetitus nõ trahit res ad se, sed tendit ad illas, ideſt non producit imaginem illorum, sed dæco quodã impetu appetitus tẽdit in res desideratas. Sicut lapis media grauitate tendit in centrũ desideratum desiderio naturæ: & idem est ferè suo modo de intellectu agẽtis respectu speciei intelligibilis, sicut de potentia cognoscitiua respectu speciei expressę: & hoc modo lõgè melius intelligitur, quare appetitiuæ potentiæ non requirant principium inhęrẽs tenens se ex parte obiecti; nã si huiusmodi concursum requirerent, vix posset assignari ratio propter quam actus sen sus interni, verbi gratia, non produceret aliquod principiũ huiusmodi in appetitu sensitiuo, imò & verbum mentis in appetitu rationali, hoc ipso quòd ipsum verbum mentis est sufficiens causa respectũ illius principij, quia potest esse aliquod imperfectius principium, illud maximè, cũ hoc modo faciliùs intelligatur concursus ex parte obiecti in appetitu sensitiuo, & ex hac doctrina constat ad secun dam rationem primæ sententiæ. Prima verò petita a similẽ

non videtur ad propoſitum, quia vt Theologi docent in materia de Trinitate ſecundũ Catholicam doctrinã Pater, & Verbũ ſpirant Spiritũ Sanctum, quatenus habent eandẽ voluntatem Pater & Verbũ: vnde Verbum per voluntatem ſpirat Spiritum Sanctũ, ita vt vna voluntas Patris, & Filij ſit principium ſpirationis Spiritus Sãcti; planum autem eſt non poſſe hoc modo concurrere verbum mẽtis ad actum voluntatis.

Tertiò probatur, quia obiectum appetitus ſenſitiui non poteſt concurrere in genere cauſę efficientis ad actum appetitus: ergo appetitus de ſe eſt ſufficienter inclinatus, vt præſentato obiecto, poſſit tendere in illud in genere cauſæ efficientis: ergo multò magis appetitus rationalis erit de ſe inclinatus in ſuum obiectum. Conſequentia hæc ſecunda videtur euidens in Philoſophia, quia nõ poteſt aſignari rationabilis diſparitas inter duos appetitus reſpectu ſuorum obiectorũ, vt res latiùs contẽplanti conſtabit. Prima verò conſequentia, ſuppoſito antecedenti, etiam videtur certa, antecedẽs autem probatũ eſt ſuprà, quia anima non concurrit ad actum appetitionis prout habet præſentiam in capite, ſed prout habet præſentiam in corde. Quod poteſt ampliùs declarari ex concurſu formæ ad informandum, quia forma ipſa non informat materiam cordis prout formaliter præſens in capite, ita eſt etiam de concurſu efficientis, quod clarius elucet in diuerſis partibus formæ diuiſibilis viuentis, quæ vt diximus ſuo loco ad diuerſam operationẽ requirit diuerſam diſpoſitionem.

Sed dices, ad operationem eliciendam in corde requiritur exiſtentia ipſius formæ, animæ equi verbi gratia, quæ tamen non poteſt exiſtere niſi in tota materia de organizata: ergo exiſtentia, & præſentia formæ in vna parte, neceſſaria eſt ad exiſtentiam in altera, atque adeò, & ad operationem.

Reſpondetur verum eſſe ex natura rei non poſſe formã equi eſſe in vnã aliqua parte ſolùm, ſed requirere exiſtentiam in pluribus: ex hoc tamen non ſequetur animæ verbi gratia, prout in capite, deberi concurſum efficientem ad appetitionem eliciendam in corde, vt patet manifeſtè in concurſu informatio-

tionis; ſicut enim ad informandam materiam cordis requiritur ſimultanea informatio materiæ capitis: tamen ſi comparemus informationem cordis ad ipſam animam non procedit ab illa prout in capite: quod manifeſtum eſt in anima diuiſibili equi & cõſtat etiã in diſpoſitione materiali requiſita ab hac anima, licèt enim nõ poſsit introduci niſi præſuppoſitis quibuſdam diſpoſitionibus in diuerſis partibus materiæ; tamen formaliter loquendo formæ cordis, aut parti formæ in corde, & prout ibi, non debetur diſpoſitio capitis: ergo eodem modo, licèt ad efficiendum requiratur exiſtẽtia formæ in pluribus partibus materiæ, poterit tamen in vna parte deberi formæ quidam concurſus, nõ debitus prout in alia. Et declaratur ampliùs, quia etiamſi de facto ſecundùm communiorem opinionem calor ſit inſtrumentum animę ad nutritionem ſubſtantialem, & anima ſit præſens calori capitis, & plantę pedis verbi gratia, nullus tamen dixit animam prout in capite, & calorem capitis cõcurrere ad nutritionem pedis, q̃ tamen fieret, ſi animæ prout in capite, & calori, prout præſenti illi tali præſentia, deberetur concurſus ad agendum in diſtans, modò anima ſit præſens effectui, hoc autẽ eſſet cõtra omnes, & cõtra cõmunem experientiam, etiãſi calor ponatur vt inſtrumentũ reſpectu ſubſtãtialis nutritionis eleuãdum ab anima. Ex quibus omnibus videtur colligi terminũ ſenſationis interną non concurrere ad actum appetitus, quia quantum ad hoc imperti nens eſt ſimultas, quã habet cum anima, prout in capite.

Sed quęret aliquis quæ nã ſit regula generalis ad cognoſcendum quæ ſimultas cum alio iuuet ad agendum, vel in maiorem ſphęram, vel in diſtans reſpectu vnius agentis: nam quidquid ſit de hoc caſu omnes tenemur fateri iuxta Diu. Thom. non ſufficere ſimultatem ignis verbi gratia cum Deo prout in hoc loco, vt poſsit ignis agere, vel indiſtanctiſsimum paſſum, vel etiam propinquum, interiecto vacuo, etiam ſi Deus vbique ſit, vt reuera eſt, & hoc ſiue Deus agat in altero loco, vt cauſa vniuerſalis, ſiue vt cauſa particularis, ſi materia aliqua id poſtularet.

Reſpondeo regulã deducendã eſſe ex modo cõcurrẽdi vtriuſq; agentis, & ex ipſo eſſe-

effectu: attendẽdum est enim an præsentia agentis vnius ex natura rei possit iuuare ad modum agendi alterius, aut ex illa possit deberi concursus naturalis alteri. Hinc enim est, quòd etiamsi Deus sit coniunctus huic igni, & passo existenti Romę, aut existenti in loco propinquiori, si sit interiectum vacuum, nihil faciat ex natura rei, vt ignis, qui in hac præsentia præsens est Deo, non possit calefacere passum Romæ, quia ex natura rei hic ignis non habet tantam sphęram, vel passum existens in propinquiori loco, quando est medium vacuum, quia hoc agens ex natura sua non agit in distans medio vacuo. Attendẽdum etiã est an aliquod agens coniungatur alteri pro prędentia, pro qua illi secundo agenti debetur, vel non debetur concursus ad talem effectum, secundum exigentiam, & modum operandi vtriusq; agentis.

Ex quo fit, vt etiãsi calor cõiũctus sit igni prout Romę, tamen eidẽ calori ex vi talis præsentiæ, & simultatis non debetur concursus ad calefaciẽdum Compluti, etiamsi idem ignis, qui est Romę, sit Compluti, quia quòd sit coniunctus igni prout Romę, nihil refert in ordine ad effectum faciendum Compluti. Et ratio est, quia eidem igni nõ debetur idem concursus, prout existit Romę, & Compluti.

Ex quo intelligitur, quod diximus de præsentia cognitionis internæ cum anima in ordine ad appetitionem: intelligitur etiam qua ratione, quę diximus de hac re, nihil habeant contra nos, & pugnent contra asserẽtes terminũ sensationis internæ cõcurrere ad actum appetitus, vt omittam, nullum effectum speciei alterius expressę fieri in distans, vt constat in productione speciei impressę sensus interni ab expressa sensus externi.

Ex his verò facilè possunt explicari locutiones Patrum, qui aliquando indicant amores procedere à cognitione: solùm enim contendunt aliquo modo concurrere cognitionem ad amorem; quatenus cognitio applicat obiectũ, & etiam respectu voluntatis in genere causę finalis, vt ex hac similitudine aliquo modo vt possunt, quasi balbutiẽdo explicent ineffabilem spirationem Spiritus Sãcti: & ex hoc, quod dixi de genere causę finalis, potest assignari disparitas inter actum voluntatis, & actum intellectus, quia actus in-

intellectus potest determinare voluntatem in genere causæ finalis, at intellectus ab specie respectu actus non potest determinari in hoc genere, quia voluntas est, quæ tendit in finem, vt finem. Et ex his constat mediam illam sententiam, quę diuerso modo loquitur de appetitu, & voluntate, falsam esse.

Sed quęret aliquis, quę nam sit mens sancti Thomę circa prędentem difficultatem. Sententiam Caietani videtur indicare S. Thomas. 1. par. q. 80. ar. 2. in corpore: videtur enim vocare intellectũ motiuũ, & actiuũ respectu volũtatis: & q. 27. ar. 2. ad 3. & in 1. dist. 18. q. 1. art. 4. eodem modo videtur loqui de amore creato, & increato, & 1. 2. q. 1. art. 3. & sępe alibi ait actionem humanam specificari à fine, quia omnis actio specificatur (inquit) à principio agendi: vnde Caietanus non vult cõcedere suã esse sententiam cõtra Sanctũ Thomã; & qui illum sequuntur conantur explicare mentẽ sancti Thomę, ita, vt si aliquãdo dicat intellectum mouere finaliter voluntatem, non velit negare efficientiam, sed assignare specialem, & manifestissimam causalitatem intellectus. Addunt intellectũ nõ mouere efficienter voluntatem quoad exercitium, sicut è contrario mouet voluntas intellectum. Verùmtamẽ negari non potest, quin sanctus Thomas nostrã clarissimè indicet sententiã quæst. 22. de veritate artic. 12. vbi expressè negat efficiẽtiam intellectus respectu voluntatis. 1. p. q. 12. art. 4. in corpore & ad. 2. & in 1. d. 38. q. 1. art. 1. &. 1. 2. q. 23. art. 2. neque ex alijs locis potest sumi efficax argumentum contra nostram sententiam; nam in prioribus solùm vult sanctus Thomas amorẽ procedere à cognitione; ꝙ si intelligatur de de amore creato, explicanda est hęc solutio, sicut suprà locutiones Patruum: si verò sermo sit de amore increato procedente à Verbo, non est huius loci.

Vltimus locus, quo Diuus Thomas ait actionem humanã specificari à fine, quia omnis actio specificatur à principio agendi, exponitur ab Autoribus 1. 2. loco citato: sufficiat dicere hoc loco non esse mentem D. Thomę, actionẽ humanam, in quantum talem specificari à fine vt à principio efficiente, sed à fine ipso, vt obiecto actus moralis; sicut solet dici, actionem physicam specificari à principio,

&

& quidquid ſit de hoc, ſufficiat nobis diſcipulos ſancti Thomæ inter ſe diſſentire circa mentem illius.

Diſp. III. De dolore.

PRomiſi li. 2. de anima c. 12. diſputationẽ hãc, placet in hoc loco, cuius propria eſt, eã tractare, tum vt perfecta appetitus diſputatio, cauſarum, & eſſentiæ doloris cognitio, quæ multis non parùm difficultatis intulit, maneat, & Philoſophis omnibus fructũ maximum pariat.

Quæſt. 1. Quid ſit dolor.

CVm de dolore difficilis ſit diſputatio, de ipſius eſſentia, natura, & cauſis diſſeremus. Circa quod variæ opiniones extant.

Prima eſt aliquorũ aſſerentium dolorem eſſe obiectum ſenſus, ſicut qualitas quædã, calor ſcilicet eſt obiectũ ſenſus, ita dicunt: quòd dolor eſt obiectum ſenſus. Cuius prima ratio hæc eſt ſumpta ex Gall. lib. de differentijs morborum cap. 1. vbi dicit ꝙ communiter dolor ſentitur nõ minùs, quàm color à viſu, & calor à tactu: ergo ſicut calor eſt obiectum tactus, & color viſus; ita & dolor debet eſſe obiectum ſenſus.

Secũdò probant ex Hiſp. 2. apho tex. 6. dicente, *Quicunque aliqua corporis parte dolentes dolorem non ſentiũt, his mẽs ægrotat*: ergo ex Hipocra. colligitur dolorẽ ſentiri, & obiectum ſenſus eſſe.

Similiter ex ipſo. 6. Epidemię ſect. 1. tex. 8. dicẽte in Canone, *Dolorem calidum, & frigidum eſſe*: ergo ſicut calidũ, & frigidum obiectum eſt ſenſus; ita & dolor.

Tertiò probant experientia, nam ſi alicui dẽs dolet, interroganti, quid ſentit. Reſpondet nihil aliud ſentire prę ter dolorem: ergo dolor erit obiectum ſenſus, vt experientia patet.

Quartò, nam ſenſus ſolùm eſt in ordine ad cognitionem obiecti prout nociuum, vel prout vtile, ita vt ſi nociuũ ſit fugiat, ſi commodũ ſit proſequatur: ſed dolor maximè nociuus eſt, debet ergo cognoſci à ſenſu, vt fugiatur: ergo eſt obiectum illius.

Hæc tamen ſententia non placet. Probatur primò nam ſi dolor eſſet obiectũ ſenſus, vel proprium, vel commune: ſed nullo modo, nam in nullo iſtorũ connumeratur ab Ariſ. 2. de anima. c. 6. ergo.

Sed

Secundò probatur, nam vt patet ex Arist. eodem 2. lib. de anima, cap. 11. *Sensibile positum supra sensum non causat sensationem*: sed dolor nō solū est supra sensum, sed intra sensum, in quo maximā alterationē ipsius organi, & corporis facit: ergo nō est obiectū sēsus.

Tertiò probatur, nā obiectū vniuscuiusq; sensus præcedit & potentiā, & actionē illius; sed dolor non præcedit, sed sequitur sensationē, nā prius est percipi obiectū corrumpens, quā dolere: ergo dolor non est obiectum sensus.

Ex his respondetur ad primū, ꝙ ibi Gal. cōmuni quadā locutione locutus fuit: nā ibi dolorem sumit pro dolēti causa: vnde cū dicit dolorē sentiri, est ac si diceret causam dolendi sentiri. Et hoc modo loquēdi vsus est Hipocr. 2. aph. aph. 26. cùm dicit: *Quicunque aliqua, &c. dolorem non sentiūt*, id est, dolendi causam. Et eodē modo intelligēdus est ipse, dū dicit: *Calidum, &c.* id est, causam doloris calidam esse.

Ad tertiū respondetur, ꝙ cui dens dolet, calorē, aut frigus nō sentit, sed dolorē, ex eo, ꝙ causa illa, quæ dolorem excitat, nō habet calorem, aut frigus in excessu, atq; ita dolēs pars nō est in potētia ad qualitates illius, indeq; fit, vt non sentiatur calor, aut frigus, doleat tamen pars, ex eo ꝙ illius vnitas dissoluit, aut multitudinē discindēte, aut errodente qualitate, vt posteà dicemus.

Ad quartum respōdetur, ꝙ si per exteriores sensus obiectū cognosceretur, prout conueniēs, vel discōueniens, frustrà ponerentur sensus interiores: nā sensus interni in tantū sunt, vt post apprehēsionē obiecti ab exteriorib⁹ sensib⁹ sensus interni iudicēt de obiecto, vt conuenienti, vèl disconueniēti, vt amico, vel inimico.

Sed potest aliquis dicere ꝓ prima opinione, ꝙ scilicet dolor sit obiectū sensus, quia dicūt sensum tactus duplicē esse, vt patet ex Ar. 2. de anim. c. 11. nā alius est tactus externus, quo exteriora tāgūtur, vt quo tāgitur lapis, lignū, &c. alius est tactus internus, quo interiora tanguntur, vt sitis, fames, voluptas: dicūt dolorem esse obiectū tactus interioris, & ita esse obiectū sensus. Indeq; respōdetur ad tres rationes ꝓ probatione secūdæ sentētiæ. Ad primā, ꝙ dolor est sensibile proprium ipsius tactus, nā est quædā dolorifica qualitas (vt posteà dicemus) tertię speciei qualitatis, scilicet passibilis quædā qualitas.

Ad ſecũdũ reſpõdeť notã-do, ꝙ ſenſibile eſt duplex, externũ, & internũ: ſenſibile externũ, cũ ſit materiale, debet ſentiri per mediũ, vt proportionetur potẽtię immateriali; & ita ad hoc, ꝙ à qualibet potẽtia aliquod ſenſibile externũ ſentiatur, debet medio aliquo ſentiri: at verò ſenſibile internũ, cũ ſe habeat ad modũ naturę, optimè poteſt ſentiri abſq; medio; & ita cũ dolor ſit ſenſibile internũ, abſq; medio ſentiri poteſt.

Ad vltimũ reſpõdetur, ꝙ dolor eſt obiectũ tactus interni, nõ externi, & ita tactus externus prȩcedit dolori, at dolor antecedit tactui interno, & ita ab illo percipitur.

Sed hęc ſentẽtia videtur mihi profectò improbabilis, quia ridiculũ eſt ponere duos ſenſus tactus, internũ, & externum; nam calor, qui ſentitur ab externo, & ab interno, ab eodẽ ſẽſu tactus percipiť.

Tertia ſentẽtia circa hãc rẽ eſt aliorũ aſſerẽtiũ dolorẽ eſſe actionẽ ipſã ſenſus, puta triſtẽ ſẽſationẽ, itavt quãdo ſenſus tact⁹ percipit, ſeu tãgit obiectũ moleſtãs, ſeu dolorificũ, actio, qua illũ ſẽtit, eſt dolor.

Hęc ſentẽtia conf. ex Gale. 2. de loc. affec. c. 20. dicẽte, ꝙ ſicut dolor eſt ſenſus triſtis, ita voluptas eſt ſenſus blãdus, & li. de diff. ſymp. c. 3. dicit, egregiũ, ſeu actionẽ tact⁹ triſtẽ dolorẽ ſymptoma eſſe: tũ etiã 1. de cauſ. ſymp. in omnib⁹ ſẽſi b⁹ à ꝓpriis ſenſib⁹ dolorẽ percipi docet: ſi ergo in omnibus ſenſib⁹ externis dolor eſt, nihil aliud eſſe poteſt, quã ipſamet ſenſatio, perceptioq; dolorifici obiecti, nã in illis nihil aliud eſt reperiri præter alterationem in obiecto præcedẽtem, & cognitionem alterationis illius, quę ſenſatio eſt: at dolor non eſt illa prior alteratio: ergo cognitio, ſenſatioque triſtis eſſe debet.

Hoc ſimiliter videtur dicere Ariſt. 1. Reth. ad Theodec. c. 1. vbi dicit, in omnib⁹ ſenſibus dolorẽ, & voluptatẽ reperiri, & 10. Ethi. c. 2. dicit, dolorẽ, & voluptatẽ eſſe contraria, ſicut bonũ, & malum; ſed voluptas ineſt omnibus ſenſibus: ergo & dolor, cùm contrariorum eadem ſit ratio.

Sed hæc ſentẽtia profectò falſa eſt, vt probauimus: nam omnis actio vniuſcuiuſq; potẽtiæ perficit ſuã potentiã, nam quælibet forma perficit ſuum ſubiectũ; ſed actio potẽtię eſt veluti forma illius, quia ſpecificat potẽtiã ipſam: ergo actio vniuſcuiuſq; potentiæ debet perficere potentiã ipſam; ſed

dolor

dolor non solùm perficit potentiam, imò destruit, corrumpit, & imbecillat ipsam: ergo sequitur quòd dolor non est actio sensus.

Secundò probo euidenter: nã dolor est post actionẽ potẽtię: ergo nõ est actio potentiæ. Maior patet, nã nũquã est dolor, nisi postquã tactus recipit suum obiectum, ita quòd si vt bonum recipiatur, est voluptas, si vt nociuũ, est dolor.

His positis accedẽdũ est circa veram opinionẽ huius rei cũ D. Th. 1.2.q.35. ar.2. similiter cũ acutissimo Veig. 2. de locis affect. sect. 1. c. 1. & eandẽ sequuntur ferè omnes Medici Recentiores. Dicunt enim, vt dici debet, ꝙ dolor non est actio alicuius potentiæ sensitiuæ, seu cognoscitiuę, neq; obiectũ alicuius, sed est actio, seu passio appetitus sensitiui.

Et probatur: nã vt patet ex Arist. 2. de anima. c. 4. potẽtię specificantur per actus, & actus per obiecta, & ita potẽtię distinguuntur per actus, & actus per obiecta, atq; adeò de primo ad vltimũ potentię distinguũtur per obiecta: sed voluptas est actio circa bonũ, ergo bonũ est obiectũ, circa ꝙ versetur: ergo voluptas pertinet ad potentiã, ad quã pertinet bonũ: nã illius potẽtię est videre, cuius est obiectũ visibile: sed bonũ est obiectũ appetitus: ergo voluptas, quę est circa bonũ, erit act' appetit': sed voluptas & dolor sũt cõtraria, & cotraria ad eandẽ potẽtiã pertinent: ergo & dolor erit actus appetitus sensitiui.

Secundò probatur, nã in potentia cognoscitiua nulla accidit transmutatio corporalis: sed solũ alteratio per species intẽtionales: sed in dolore cõtingit corporalis transmutatio, nam mouentur spiritus, & sanguis ad dolorificam partem: ergo dolor non pertinet ad cognoscitiuam partem: sed ad partem appetitiuam, in qua transmutatio corporalis euenit, ratione imaginationis, quę appetitum mouet.

Tertiò probatur nã potentia apprehẽsiua trahitur in naturam obiecti secundùm esse intentionale; appetitiua verò fertur in obiectum secundùm esse reale, & naturale ipsius obiecti: nam voluptas est tractio potentiæ in obiectum secundum esse reale, & naturale ipsius obiecti, & ita pertinęt ad appetitum: ergo & dolor, cũ contrariorũ eadẽ sit ratio, vt est dictum.

Sed pro intelligentia istius dubitationis est notandũ, ꝙ hic actus appetitus est quædam

dam passio: pati autem stat dupliciter: vno modo sine eo ꝙ aliquid amittat id, quod patitur, vt cum aer illuminatur: quę passio perfectiua dicitur. Secundo modo quando aliquid amittit id, quod patitur: & hoc stat dupliciter: vno modo amittendo id, quod habet pręter naturam, vt cum corpus morbum amittit, patitur enim eo quòd sanitatem recipit: alio modo amittendo id, quod habebat secundum naturam, & iste modus propriſsimè dicitur passio: nã id propriſsimè patitur, quod plus trahitur in agentis naturam, & à propria natura magis declinat. Vnde cum appetitus patitur ab obiecto dolorifico propriſsimè dicit passio per ipsum; nam per ipsum obiectum dolorificum trahitur appetitus in id, quod pręter naturam est, & à sua natura recedit. In voluptate autem, cum appetitus similiter recipiat, etiam dicitur pati, sed non ita propriè cum non trahat illum in alienam naturã, sed in propriam, recipiẽdo id, quod cõueniens est ipsi naturę. Quare dolor dicitur magis passio appetitus, voluptas verò dicitur motus, seu actio illius.

His positis est maximè notã dum, quomodo fiat dolor & voluptas: de quo sunt duę opiniones, quarum, quęlibet potest defendi: vna est acutiſsimi Veig. & altera Diui Tho. Primò enim Veig. asserit ꝙ dolor, & voluptas fiunt ita: nã exterior sensus percipit excellentiam obiecti, postea verò seu illico, seu mox sequit iudicium imaginationis circa obiectum prout conueniens, vel disconueniens, postea verò sequitur operatio appetitus, ita quòd si imaginatio percipit obiectũ prout disconueniẽs, sequitur fuga ipsius appetitus circa illum, & talis est dolor, si autem percipitur ab imaginatione obiectum prout conueniẽs, sequitur voluptas, seu inclinatio appetitus, seu actus illius circa obiectum bonum, qui est fruitio, delectatio, gaudium, &c.

Sed vt hoc intelligatur inquit Veig. quod actus imaginationis duplex est, alius est perfectus, alius imperfectus: actus perfectus imaginationis est, quòd operatur in ordine ad futurum & pręteritum, & pręsens, vt in gaudio, & triſtitia: nam gaudium, & triſtitia est de pręsenti, de pręterito, & futuro, & ita ad hunc effectum debet esse actus perfectus imaginationis, & tunc imaginatio operatur in cere-

bro,

bro, quia in illo est imaginatio tamquam in proprio, & optimè disposito organo, & talis dicitur perfectus actus imaginationis: alius est actus imperfectus imaginationis, & hic solum operatur in obiecto præsenti, & ad hunc effectū imaginatio sparsa est per totum ambitum corporis existens in sensitiuis partibus, in neruo scilicet, quia habet tēperiem proportionatam ad existentiam imaginationis, saltem imperfectæ.

Ratio est, quia cum præcipuè imaginatio sit in cerebro, & nerui habeant originē à cerebro, hinc est quòd est in illis dispositio, vt in illis saltem imaginatio adsit imperfectè in partibus omnibus sensitiuis, in quibus adest neruus tamquam instrumentum, organum ve sensus.

Et vt hoc magis pateat sciēdum est, quòd sunt aliqui organi, seu potentię, quę sunt talia officio, & figura, vt organum visus est organum potētię: figura, quia in tali figura est: officio, quia elicit actum potentię. Sunt & aliqua organa, quę sunt talia officio, non figura, vt latitudo illa organi visus, quę in vltimo continuatur cum sensu communi: ista enim sunt talia officio, non tamen figura, quia quanuis habeant operationem potentię non tamen habent figuram, ac habet organum prȩcipuū, in quo prȩcipue residet talis facultas: eodem modo nerui illi, seu partes sensitiuę, in quī b' residet imaginatio per ambitū corporis, sunt talia instrumenta imaginationis, non figura, sed officio, & non officio perfectè, sed imperfectè, & ita in dolore est necessariū iudicium, seu actio, seu apprehensio obiecti ab imaginatione, non perfectè, sed imperfectè, ita vt solùm in prȩsentia obiecti operetur, ad cuius actionem sequitur vel fuga illius, vt dolor: vel prosequutio, vt voluptas.

Sed est aduertendum quòd non ponit Veig. duas imaginationes, sed vnam solam residereq; in cerebro, & in reliquis partibus, sed diuersimodè, vt dictum est, operari in vno, ac in altero loco, & hęc est sentētia acutissimi Veig. quę defendi potest.

Est alia sententia S. Tho. q. cit. art. 2. dicentis ad generationem doloris, & voluptatis non esse necessarium iudiciū imaginationis, sed solùm sufficere solam apprehensionem sensus exterioris. Inquit enim hanc esse differentiam inter do-

dolorē & voluptatem ex vna parte,& inter gaudiū,& triſtitiam ex alia,quòd dolor,& voluptas ſolū cauſatur ex apprehenſione obiecti à ſenſu exteriori, gaudium verò, & triſtitia, ex apprehenſione ſenſus interioris, quę imaginatio eſt, ſeu intellectus: & ita inquit, quòd ad generationem doloris ſolùm ſufficit ſola apprehenſio ſenſus exterioris, ad quem ſequitur actio in appetitu, qui dolor, vel voluptas eſt.Hoc,in quam,colligit, quia dolor ſolùm eſt actio appetitus circa præſentiam obiecti, ſeu in præſentia illius, quia ſolū ſenſus exterior ſentit circa præſens obiectum:at verò triſtitia, vel gaudium eſt circa obiectum præſens præteritum, &,futurum, quia ad triſtitiā, ſeu gaudiū ſequitur debita operatio ſenſus interioris, imaginationis ſcilicet,ſeu intellectus:&quia imaginatio,ſeu intellectus nō ſolum operantur circa obiectū præſens,ſed circa præteritum & futurum, ita circa id eſt triſtitia,vel gaudiū, vt dictū eſt.

Sed poteſt quis dicere,quod is actus appetitus eſt velle, vel nole, ſed dolor non eſt velle, vel nole; ergo non eſt actus appetitus.

Pro huius argumenti ſolutione, & intelligētia rei ſcire licet, quod in animali eſt duplex motus:alter eſt ſecundū intentionē ad finē, qui pertinet ad appetitū, alter verò ſecundū executionem,qui pertinet ad operationem exterio rē, ſcilicet ad opus potētiæ executiuæ, ſeu loco motiuæ. Rurſus in appetitu ſecūdum intentionē,eſt duplex motus: alter eſt inclinatio in obiectū non habitū,quæ dicitur deſiderium;alter verò eſt in obiectum habitum, aut circa illū, qui quidē dicitur fruitio, ſeu voluptas : licèt autem in eo, qui ſequutus eſt bonum præſēs,quod ſatisfacit appetitui, ceſſet motus potentię executiuæ, non tamen ceſſat motus appetitus. patitur enim appetitus ipſe ab obiecto,& immutatur ab illo,ideo voluptas dicitur etiā quidā motus.In dolore autem è contra res ſe habet; nā alter eſt motus appetitus contrarius inclinationi, & deſiderio, alter verò fruitioni & voluptati; cum enim obiectum prę ſens,eſt contrarium, ſeu corrumpens, & ineuitabile, appetitus mouetur motu cōtrario illius, qui dicitur voluptas,ſeu fruitio & hic eſt propriſsimè dolor.

Vnde ad argumentū reſpōdetur, q̄ velle, aut nole forma-

maliter sunt in appetitu intellectiuo, insensitiuo autem est prosequutio, aut fuga, acceptatio, aut displicentia obiecti quæ proportionaliter respondent motibus illis appetitus intellectiui, vnde in illa acceptione, aut fuga cõsistit forma liter voluptatis, aut doloris ratio, vt explicatũ est: quare dolor & voluptas non ad apprehensiuam, sed ad appetitiuam partem spectant.

Sed potest fieri aliud argumentũ nã ex Arist. 2. de anim. c. dicitur, quod vbi est sensus est perceptio iucũdi, & molesti: sed vbi est iucundũ, est bonũ, & cõueniẽs, & vbi est molestũ est inconueniens & malũ, sed in potentia, in qua est inconueniẽs & malũ, est ratio formalis doloris, & vbi est bonum, & conueniens, est ratio formalis voluptatis: ergo dolor, & voluptas ad potentias cognoscitiuas pertinent.

Sed pro solutione istius argumẽti aduertẽdũ est, ꝙ appetitus est duplex: alius est naturalis, alius animalis: appetitus animalis sequitur formã apprehẽsam à sensu, aut intellectu media forma, in qua talis appetitus resident; appetit' naturalis nõ sequitur formã apprehẽsam ab eo ꝙ appetit, sed apprehẽsam ab alio, vt docet nos S. Th. 1. 2. q. 31. ar. 1. & ita appetitus naturalis reperitur in nõ viuentibus respectu suorũ obiectorũ, nã sicut elementa appetũt naturaliter sua loca, in quibus requiescũt, ac delectantur; sic & potentiæ appetunt sua obiecta tanquam suã perfectionẽ, non appetitu animali, sed naturali, ita vt nõ sit potentia distincta ab ipsa natura rei, quę appetit, sed est ipsamet forma, aut natura propẽsa, & inclinata ad suam perfectionem & bonum.

Ex quo optimè diluitur argumentũ, ꝙ sicut in omnibus sensibus est naturalis appetit' ad sua obiecta, ita etiã est naturalis quędã voluptas sub illis: nã sicut inanimata suis locis gaudere dicũtur, & natura liter delectari, pariter & sensus delectãtur obiectis suis, naturaliq; voluptate afficiũtur. Vnde cũ Ar. inquit, ꝙ vbi est sensus, est perceptio iucundi, & molesti, de hac naturali voluptate loquitur, quę sequitur perceptionẽ proprij obiecti, minimè verò de propria, aut naturali voluptate, quę formã sequitur apprehensam.

Sed est maximè notandum quòd dolor & voluptas sunt actus appetitus naturalis, non prout appetitus operatur spõtaneè, ita vt dolor & voluptas

tas per actum ſpontaneũ pro ducantur : nam actio ſpontanea eſt actus liber , ita vt quando aliqua potentia ſponte operatur, poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poteſt velle,& non velle,& talis actus ſolùm eſt volũtatis, neq; alterius potentię:nam in naturalibus,vt in calore,poſitis omnibus requiſitis, neceſſariò producitur effectus , vt patet de frigiditate, & calore. Similiter potentia loco motiua , poſitis requiſitis neceſſariò operatur. Similiter in vitalibus actionibus : nam potentia viſiua,& guſtatiua, olfactiua,& tactiua,poſitis requiſitis ad operandum , neceſſariò operantur. Similiter ſenſus cõmunis, imaginatio , æſtimatiua,memoria , poſitis omnib⁹, quæ requiruntur , neceſſariò operantur. Solùm autem voluntas eſt potentia,quę ſponte operatur: nã poſitis omnibus requiſitis ad operandũ neceſſariò non operatur , ſed poteſt velle,aut non velle.

Modo reſpondetur ad authoritates adductas pro tertia opinione,probantes dolorem ſolùm eſſe actionem triſtem ſenſus tactus. Dico ad primum locum in 2. de locis, Gal. non loqui formaliter de dolore, ſed ſolùm cauſaliter: ita vt ſic intelligatur quan dixit, *Dolorẽ eſſe ſenſum triſt & voluptatẽ blandũ*, cauſalit definit dolorem & volupt tem : dolor enim ſenſus nc eſt,ſed ex ſenſatione fit, & ſultat , prærequiritur enim generationem doloris ſenſ tio, ſeu perceptio obiecti m leſti, ad quam ſequitur appe tus fuga,quæ dolor eſt. Qu admodum enim febrem de niuit per cauſam , cum dixi *Febris eſt conuerſio caliditat propria in propriam naturan* non enim febris eſt conuer ſio,ſed conuerſione fit.

Ad ſecundum locũ , quo egregium ſimptoma poſſi det tactus dolorem præ cæte ris ſenſibus, id eſt quòd ſen tio , & perceptio à tactu , v intellectu facta,doloris cau eſt magis, quàm perceptio liorum ſenſuum.Cuius ratio nẽ aſſignat S.Tho.q.31.nã ſe ſibilia,inquit,tactus doloro ſunt , eo quòd non ſolũ ſun improportionata ſenſui , ſe contraria etiam naturæ:ſenſ bilia verò aliorum ſenſuũ ſc lũ quia improportionata ſun ſuæ potentiæ,ſunt doloroſ naturæ autem contraria no ſunt niſi quatenus ad ſenſibi lia tactus referũtur. Vnde c aliorum ſenſuum obiecta n ſint contraria naturæ , hoc e

corruptiua illius, nisi quatenus tactum afficiunt: meritò dixit Gal. quod dolor potissimùm reperitur præ cæteris sensibus, obiecta enim tactus vehementer alterátia sunt, & naturam corrumpentia: secus autem aliorum sensuum obiecta.

Ad tertiũ locum eadẽ arte, quòd scilicet in omnibus sensibus dolor, & voluptas causaliter est, ideſt quòd causatur dolor, aut voluptas ex perceptione omnium sensuũ, aut si formaliter Gal. loqui velimus, dicimus, quòd in omnibus sensibus dolor, & voluptas naturalis est, quæ sequitur perceptionẽ obiecti proportionati, aut disproportionati, quæ quidem voluptas naturalis est, non animalis, cum naturalem appetitum sequatur, nõ animalem, qui operatur, & sequitur formam apprehensam.

Ad testimonium Arist. respondetur quòd cum in omnibus sensibus voluptatem, & dolorem esse affirmat, de naturali hac voluptate loquitur, quæ apprehensionem sequitur proprij obiecti, non de animali, quæ sequitur formam approhẽsam. Atq; hanc solutionem elicere licet ex eodẽ Arist. loco citato. 5. Rethо. ad Theodect. c. 11. vbi voluptatem aliam esse rationalem, irrationalẽ verò aliã affirmat: at irrationalem in externis sensibus reperiri, rationalem verò in internis sensib⁹ reperiri docet, in quibus iudiciũ stat inueniri boni & mali, quod rationalis voluptas sequitur in appetitu, qui potẽtia interior sensitiua est. Similiter & rectè nos docet irrationalem voluptatem in externis sensibus esse, eo quòd naturalis voluptas, quę inhisce reperitur sensibus irrationalis est, cum nõ sequatur cognitam, & apprehensam formam, sed solũ naturalem appetitum, qualis in non viuentibus etiam reperitur: vnde rationalis voluptas, aut dolor de quibus proposita est quæstio, non in cognoscitiua potentia, sensuve aliquo externo, sed in appetitiua, internaq; potentia reperitur, cuius proprium est ferri in obiectum secundũ esse reale, & naturale ipsius, fruique de illo. Vnde passiones dictæ ad dictam partem appetitiuã spectant.

Ex dictis patet intelligentia cuiusdam loci Auice. lib. 1. fen. 2. tract. 2. c. 19. vbi inquit quòd *Dolor est sensibilitas rei contrariæ*: causaliter definit dolorem, vt Galen. hoc loco, id est, quod dolor fit & causatur

ex ſenſibilitate rei contrariæ.

Ex dictis etiam venit intel ligendum dubium quoddam, vtrum dolor ſymptoma ſit, & quod ſymptoma. Pro quo notandum eſt, quòd ſymptoma nihil aliud eſt, quàm effectus morbi, quẽ ſequitur ſicut vmbra corpus, ita vt ſicut vmbra à nullo alio poteſt fieri niſi à corpore, ſic nec ſymptoma à nullo alio fit niſi à morbo, cũ ſit effectus illius.

Sed ſymptoma multipliciter dicitur. Primò in actione læſa: in qualitate mutata, & in excretis, ſiue in exeuntibus. ſymptoma in actione læſa, diuiditur in ablatam, diminutã, & deprauatã. Ablata actio eſt illa, quando talis actio illius facultatis totaliter non fit, vt quãdo aliquis nihil videt, vel ſentit. Diminuta verò eſt, quãdo talis actio à natura fit, ſed diminutè, & debiliori modo, quã expedit naturę, vt quãdo pars pauciſsimè nutritur, vel debiliter attrahit, vel coquit. Actio deprauata eſt quãdo talis facultas terminatur in qualitates alienas, ſeu diſtinctas ſuæ naturæ, vt quando cõtrario modo ſuæ naturæ operatur.

Secundum membrum diuiſionis erat qualitas mutata, quæ talis dicitur, per quam aliqua qualitas corporis aſſi ſe habet, quàm expedit ſuę turæ, vt paliditas in facie.

Vltimũ mẽbrũ erat in exc tibus. Sub hoc mẽbro cõtu tur omnia excrementa, qu eijciuntur, per quæ nobis certũ de temperamento, d bita, vel mala natura, ſeu di poſitione partis, vt per vrin per fęces ab inteſtinis, per v mitum, &c. Per omnes eni has diuiſiones ſymptomatu verè explicantur omnia mo borũ ſympromata de quibu pluraad medicos ſpectat. V de, quantum attinet ad nc ſtrum propoſitum, dico d lorem actionem læſam eſſe, deprauatam, non appræhen uæ, ſed appetitiuæ potenti: Cum enim naturale ſit noſtr naturæ oblectari delectariq ob iucundũ obiectũ: ſic etia præter naturã eſt illi contr hi, contriſtari, & cõprimi o moleſtũ obiectum: hæc au compreſionis fuga, actio læ eſt, & non ablata, neq; dimin ta: reliquum ergo eſt quòd c prauata dicatur, cũ aliter fi quam expedit noſtræ natur Vnde euidẽs relinquitur do rẽ ſymptoma eſſe inter actio nes deprauatas connumer tum.

Contra hoc tamen videt eſſe quod Ariſt. 10. Eth. c.

d

dicit voluptatem in nullo motu, aut actione consistere, sed inquiete: si ergo voluptas, neque motus actio est, pariter neque dolor ex cõtrariorum lege.

Respondetur ad hoc argumentum: cũ enim actio sit duplex, vna transiens, quæ transit in externam materiam, altera verò immanens, quæ manet in eodem agenti, voluptas quidem, & dolor actiones sunt immanentes, quæ manẽt in potentia operatiua: cum autem Arist. voluptatem in nulla actione, aut motu consistere, affirmat, in nulla transeũti consistere intelligendus est; minimè vero loquitur de immanẽti; nam & beatitudo quę summa, & cõsumata voluptas est, in actione immanenti consistit, puta in intellectione diuinæ essentiæ, aut secundũ alios in volitione fruitioneq;: quæ vtraque actio immanens est, quarum prima ad intellectum, secunda ad voluntatẽ spectat. Vnde & voluntas corporis in actione similiter immanenti consistit, quæ pertinet ad appetitum sensitiuum, pariter & dolor. Hęc de doloris & voluptatis natura.

Quæst. II. Vtrùm natura doloris, & voluptatis in subita mutatione consistat.

DE hac enim re variæ sunt sententiæ, affirmatiuã partem tenuisse videtur Gall. 1. de causis sympto. c. 6. vbi ex sententia Platonis in Thimęo docet naturam doloris in mutatione subito facta ad statum præter naturam cõsistere: voluptatis verò contraria mutatione, subitò etiam facta ad naturalem statum. Eandem sententiam tenet lib. de tremore, rigore, & palpitatione c. 14. & 2. acutorũ, statim inter initia: & 3. de Placitis c. 14. Cuius ratio iuuare videtur: nam mutatio illa, quæ sensim fit, sensationem quidem efficere potest, minimè verò doloré, aut voluptatem.

Contrarium tamen tradidisse videtur Hipo. 2. Apho. tex. 52, dicens. *Plurimum, & repentè euacuare, aut replere, aut calefacere, aut frigefacere, vel vtcumq; aliter corpus mouere, periculosum, & omne nimium naturæ inimicum.* Quo loco Hipo. repẽtinas, subitoq; factas mutationes condemnat, naturęq; inimicas, & molestas esse docet; quod verò inimicum, & molestum est, iucundum esse non potest: subita ergo muta-

tio etiam ad naturalẽ ſtatum cum voluptate eſſe nõ poteſt.

Idem ſecũdò commonſtrat quotidianum experimentum de vnguibus refrigeratis, qui ſi igni admoti, ſubitò ad naturalem ſtatum reducantur, non ſolùm voluptate non afficiũtur, ſed ingenti cruciatu infeſtantur: ſin autem in aquã tepidam immerſi, reducuntur paulatim ad naturalem temperiẽ, voluptateq; afficiuntur: ergo natura nõ in ſubita, ſed paulatim, ſenſimque facta mutatione ad naturalem ſtatum, conſiſtit: nam ſubita mutatio ad naturalem etiam ſtatum cũ dolore fit.

Quod quidem egregiè nos docet Galen. 12. Meth. cap. 7. dicens: *Illud etiam memorare repetamus, neq; rem aliquã ſenſim, repentè dolore animal afficere poſſe: ſed quam dolore animal afficiat, eam mutationem cùm ſubitò factam, tùm violentam eſſe deberet. Videntur enim corpora non ſolùm cum in non naturalem ſtatum aguntur, ſed in ipſo etiam ad naturalem ſtatum ſuo reditu triſtem ſenſationem ſentire.* Hæc Galen. quibus manifeſtè id, quod nitebatur probatum eſt, voluptatis ſcilicet naturam in ſubita mutatione non conſiſtere, cum reditus ad naturalem ſtatum ſubitò fiat, cum dolore cont gere videatur.

His conuicti nonnulli a mant voluptatis naturam n nimè conſiſtere in mutatio ſubitò ad naturalẽ ſtatum ; &a, reditus enim ad natur nonnumquam cum volup te fit, vt conſtat in vnguib refrigeratis in aquam tep immerſis: nonnumquam cu dolore, vt de eiſdem conſt ſi igni admoueantur, nonn quam verò ſine vtroq;, ide voluptate, & dolore redit fit, vt conſtat, cum natura r ducitur ad debitam temper ſanguinis miſsione, aut purgatione, qui reditus ſi voluptate contingit.

Verùm his neglectis, n Platonis, Galenique doctr nam amplecti decreuimus: v luptatis naturam in mutatio ne ſubitò ad naturam, fa ſtatuentes; naturam verò d loris in contraria mutation

Pro cuius rei intelligent aduertendum eſt, quòd licè natura doloris, & voluptatis i ſubita mutatione cõſiſtat, v diximus, non tamé omnis ſu bita mutatio, ſiue ad naturã, ue à natura fiat, cum volupt te, aut dolore cõtingit. Id cõ ſtat in larga ſanguinis miſsio ne, quæ ſiue naturã calefact refrigerãdo perficiat, ſiue e

der

dem benè se habentẽ corrumpat, neq; voluptatẽ, neq; dolorẽ inducit; quod idẽ de expurgatione cõstat. Quare nõ omnis subita mutatio ad naturam cum voluptate fit, neq; cum dolore omnis ad statum præter naturalem consistit, vt videre est in syncope, quæ licèt subitanea cordis corruptio sit, fit tamen sine dolore.

Secundò aduertendũ est, aliud esse mutationẽ esse subitò factã: aliud verò violentã: nam ad rationẽ, tã voluptatis, quàm doloris mutatio cõfestim fieri debet; nã si sensim fiat, non voluptatem, sed sensationem dumtaxat faciet: vnde subita mutatio, naturalis esse potest; violenta verò præter naturam semper existit, eo quòd passum nõ cõfert vim: mutatio ergo ad naturalẽ statũ si nõ solũ subita sit, verùm etiam violenta, præternaturã, & dolorifica erit, ex eo q̃ celeriùs, & violẽtiùs fiat, quã naturæ expediat: sicut motus lapidis deorsum proiecti, violentus, & præter naturalis esse dicitur ex parte modi, quia scilicet celerior est, quã ipsi graui expediat: vnde licèt voluptatis natura in subita mutatione ad naturalẽ statũ consistat, non tamen in eadem violenter facta: quod docuit nos Galen. lib. de Tremo. rigo. & palpit. cap. 6. dicens: *Affectus præter naturam, & violentus dolorificus est in nobis, quod autẽ ad naturã subitò redit, suaue est: quare subitò, vtrique & suaui, & dolorifico commune est necessariò, ne affectus lateat.* Quibus verbis Galen. adductam doctrinã manifestè nos docet, vtramq; scilicet mutationẽ subitaneã esse debere ad hoc, quòd dolorem efficiat, aut voluptatẽ: dolorosam verò non solùm subitaneam, verùm etiam violentam. Atque hoc quidem clarius nos docuit primo de causis sympto. cap. 6. dicens: *Violenta passio, cum simul multa, & celeriter fit, dolora est, è diuerso quod ad naturã suam celeriter redit, iucundũ est, quod autẽ sensim & paulatim fit, sensum latet. Quare in vtraq; mutatione celeritatẽ exoptat, sed in præter naturali violẽtiã.* Vnde clariùs etiã liquet voluptuosam mutationem celeriter fieri debere, dolorosam autem violẽtam esse, nõ solùm celerem.

Ex quo ad oppositа in contrariũ solutio patet. Hipo. enim loco citato, magnas, & repẽtinas mutationes dãnat, si non solũ subitaneæ, sed violẽtę simul sint; calefactio autem vnguium refrigeratorũ ab igne facta dolorosa est, etiamsi

ad

ad naturalem temperiem tendat, eo quòd non solùm subitanea, & magna, sed violẽta simul est, quia maiori celeritate, & vehementia fit, quã naturæ expediat, atq; ita motus ille licèt naturalis sit ex termino ad quem, est tamen violentus ex modo: sicut lapis motus deorsum proiecti celerior, quàm par est.

Sed potest quis optimè quærere, quis sit iste modus præternaturalis factus à calefactione in vnguibus, quo dolor causatur: & si sit quomodo sufficiens sit causare dolorem. Ad primum dico, quòd modꝰ prꝛternaturalis est multitudo caloris, quæ in radicibus vnguium producitur, & cum ita simul, & magnopere producatur, eleuat plurimos flatus ob magnam raritatem productam à calore in radicibus vnguium: postea verò flatus illi, cum leues sint, tendunt sursum, & cum sint minimi pori, per quos exire nõ possunt, distendunt partes radicum vnguium, in qua distensione separantur aliquæ partes ab alijs per solutionem cõtinuitatis, ad quã sequitur dolor: vnde cum Gal. loco citato reditum ad naturam cũ dolore fieri docet, non de subitaneo dumtaxat, sed de violento loquitur, vt ipse se exp cuit duobꝰ locis mox citat in quibus violentum esse vt dolorificum motum, & sub taneum, voluptuosum aute dumtaxat repentè, & subi factum, minimè verò viole rum.

Ex quibus iam tandem l quet doloris, & voluptatis n turam in mutationibus sub tò, & affatim factis consisten doloris quidem, ad statũ prꝛ ter naturam, voluptatis verò ad naturalem statum: mutati ni ad statum præter naturã violentia accidere potest a generationem doloris: muta tio verò ad naturalem statun facta, vt voluptuosa sit, subitanea esse debet, minimè verò violenta; nam si violenta sit, etiamsi ad naturalem tendat statum, cum dolore potiùs, quàm voluptate contingit.

De causis omnibus doloris.

POstquã vniuersalis dolori explicuimus causam, eam que subitam mutationem al statu naturali ad præter natu ralem statum esse diximus re liquum est modò, vt de dolo ris causis in particulari aliqua dicamus.

Quæſt

Quæst.III. An dolor generetur, ab intemperie, aut cõtinuitatis solutione solũ, aut ab vtrisque.

CIrca hanc rem plures existunt sententiæ, nam Auicen.lib.1.Fen.2.tract.2.c.19. tam alterationem, quàm continuitatis solutionem doloris causam esse docet. Eius rationes potissimùm sunt duæ. Prima, nam dolor sentitur in parte, in qua non est continuitatis solutio: ergo dolor excitatur non à sola diuisione continui, sed ab intemperie similiter, quæ consequitur illã. Antecedens patet, nam ſtãte vulnere, seu solutione continuitatis indigito, totus digitus inflamatur, & non solùm adest dolor in parte, in qua adest solutio continuitatis, sed in omni digito, in quo adest inflamatio, seu distemperies: ergo non solùm excitatur dolor à solutione continuitatis, sed à distemperie.

Secundò id, quod subitò & afaim naturam corrũpit, doloris est causa: sed non minùs corrumpit subitò naturam intemperies aliqua magna quã continuitatis solutio: ergo nõ minùs intemperies quàm continuitatis solutio est causa doloris, sed vtraque simul.

Hanc sententiã recipit Valle, & probat 1.contro.c.5. duplicem esse immediatam doloris causam, putà intemperiẽ, & continui solutionem. Id tamen hac ratione intelligendũ existimat, quod intemperiem semper continui solutio comitetur, si ea magna sit, non enim potest intemperies tanta esse vt dolorẽ faciat, quin tanta sit vt continuum soluat ad excitandum dolorem. Vnde, aliud est dicere dolorem semper esse cum solutione, aliud verò semper fieri à solutione continui: nam primum illud est verum, semper enim intemperies magna continuitatẽ soluit iuxta illud Hipo. lib.de flatibus dicentis, *Omnẽ morbum vlcus esse.* Quare omnis maxima intemperies, quæ dolorem efficere potest, continuum similiter soluit, & sic dolor semper solutioni coniungitur. At secũdum falsum est, non enim semper dolor à soluiione continuitatis excitatur, sed ab intemperie.

Similiter potest immediatè generari, quod probatur primò ex Gal.lib.de inæquali intemperie dicente. Quapropter mirũ dixit, *Hipo. His quibus alteratcit, & corrumpitur natura, dolores fiunt alterantur.*

tur autem & corrumpitur vnius cuiusq; natura, cũ vel caleſcit, vel frigeſcit, vel humeſcit, vel ſicceſcit, vel eius cõtinuitas ſoluitur. Conſtat ergo ex Gal. ſententia, & alterationem, & cõtinuitatis diuiſionem immediatã dolendi causam eſſe.

Idem etiam docuit lib. artis Med. c. 88. & 12. Meth. c. 7. dicens, *Naturalis doctrina nos docet vitium id, ex quo corpus doliturum eſt, eſſe cõtinui ſolutionem, & diſtemperiem. Ex quibus verbis ſimiliter intentũ conſtat.*

Secundò idé ratione probatur. Omne id, quod ſubitò, & affatim naturã corrumpit, dolorem facit: ſed tam intemperies, quàm ſolutio continui ſubitò, & affatim corrũpit naturam, vt de ſe conſtat: ergo tam intemperies, quàm ſolutio eſt immediata cauſa doloris.

Tertiò, ſi aliqua res ſubitò, & multùm refrigeret, & tamẽ non ſolueret continuum, dolorem efficeret: ergo quando refrigerat, & continuũ ſoluit, non facit dolorem ſolutione, vt efficienti cauſa, ſed vt neceſſariò coniuncta, nihil enim refert non poſſe eſſe magnam intemperiem ſine ſolutione, dum modo probemus, quòd dolorem faceret, ſi extiterit ſine illa. Quod ita probat ſubitò, & affatim corrũpe naturam, etiamſi ſine ſoluti ne exiſteret: ergo ſe ſola, immediatè cauſaret dolore. aut aſsigna mihi cauſam pr ter quam, quæ naturam cor punt ſoluendo continuũ, d lorem faciunt, minimè ver quæ corrumpunt, illam alt rando.

Quartò: dolor eſt neceſſ rius ſenſui coniunctus, res i tur, quæ dolorem facit, deb neceſſariò eſſe ſenſui obiect ergo id, quod ſentitur, dolo facit, minimè verò, quod no ſentitur, ſed dum maximus lor dolorem efficit, calor ip ſentitur, minimè verò ſoluti continui, quæ à calore excita tur: nam ſi ſentiretur, non e ſet à ſapiẽtiſsimis viris dubi tatum, an magnam intempe riem neceſſariò committetu ſolutio continui: ergo intem peries, quæ ſequitur eſt cauſ doloris, minimè verò ſolutio continui, quæ ſenſum latet conſtat ergo duplicé eſſe im mediatam cauſam doloris.

Diſtinctam tamẽ ab hac di uerſamq; ſatis conſtituit ſententiam Auer. 3. collect. c. 31. vbi vnicam dũtaxat propriã immediatãq; doloris cauſam eſſe voluit, ſcilicet intemperiem. Illius autem potiſsima-

ra-

ratio est: Illud est causa doloris, quod à sensu percipitur, & est proprium illius obiectum: sed diuisio continui nō est inter qualitates à sensu perceptibiles: ergo intemperies, nō solutio continui, doloris est causa: quòd si cōtinuitatis diuisio dolorem efficiat, non ipsa solutione, sed intemperie solutionis motus, productum dolorem fieri existimat ipse Auicena.

Hanc sentētiam ferè omnes recentiores recipiunt, solam, inquam, intemperiē esse propriam, immediatāq; doloris causam: quam hac potissimū ratione probant. Solutio continui est sensibile commune: sed sensibile commune non sentitur immediatè, & per propriam speciem, sed mediatè, & per modum propriæ speciei, vt Arist. nos docuit 2. animæ. c. 6. ergo solutio continui non potest esse immediata doloris causa. Probatur consequentia. Id, quòd immediatè non sentitur, non potest immediatè facere dolorem: sed solutio nō sentitur immediatè. Ergo: nam aut solutio continui est motus ille partium, quæ separantur, & diuidūtur, aut motus instrumenti diuidentis partes: nullus horum per se sentitur & immediatè: ergo null' est immediata causa doloris: minor probatur, nā si continui solutio sit partium motus, sentiri nō potest, quia per illum nihil aliud fit, quā partium numerus: at numerus partium nō sentitur, quia nullus sentit, an neruus, an caro diuisa sint. Tum etiā, quia numerus sensibile cōmune est, vt docet Arist. 2. de anima. c. 6. at sensibile commune per speciē sensibilis proprij percipitur; ergo numerus ille mediatè sentitur, & per qualitatē sensibilis proprij: ergo mediatè dolorem facit.

Eadem est ratio si per solutionem cōtinui intelligamus motum illū, ac recessum partium à partibus: nam & motus similiter sensibile commune est. Si verò per solutionē continui motum instrumenti soluentis intelligamus, eodē modo colligit argumentum: nā aut per motum intelligimus fluxum mobilis, & sic nō sentitur, vt Philosophis placet: aut intelligimus positionem mobilis, & instrumēti in alio, & alio loco: hæc tamen positio approximatio est, approximatio verò conditio est sine qua non, & non efficientia, vt constat de ignis approximatione ad combustibile: ergo cum illa approximatio instru-

menti cõditio sit sine qua nõ, & non efficientia, non potest esse sufficiens, & immediata causa doloris.

His suppositis, dicendũ est immediatam causam doloris non esse solutionem cõtinuitatis, neq; qualitatem aliquã ex primis, scilicet calorem, frigiditatem, humiditatẽ, & siccitatem, neq; crassitiem, tenuitatem, & alia, sed esse quandã secundam qualitatem, quæ ex solutione continuitatis producitur, quę est, vel asperitas, vel acuties, aut qualitas alia innominata, quæ dolorifica qualitas, seu dolorosa appellatur, quæ proprium obiectum tactus est.

Sed obijcies primò. In parte vulnerata diutiùs durat dolor, in ea tamen non durat illa secũda qualitas, permanet autem vlcus vllum: ergo solutio continui est causa doloris, nõ qualitas illa. Respondetur negãdo, quòd dicta qualitas nõ permaneat, permanet enim, atq; continuò fouetur ab spiritibus, & humoribus per vulneratas, insuetasq; partes, motus verò quandiù durat, dolor durat, etiam & qualitas illa.

Quòd si secundò obijcias, quòd dum pars aliqua distenditur, dolore quidem afficitur, nulla tamen secunda qualitas producitur, quia nulla acuties, seu asperitas conspicitur in illa: ergo dolor non excitatur à qualitate, sed à solutione vnitatis, quæ distractione partium à partibus fit per distensionem. Respondetur quòd in distensione partium qualitas illa dolorifica producitur per solutionem cõtinuitatis, & ex separatione partiũ à partibus, tamquam obiectũ tactus, & immediata causa doloris.

Quòd si tertiò obijcias: dolor symptoma est: sed in dolẽte parte, vulneris ratione, nullus alius est morbus præter solutionem: ergo illa est causa doloris. Respondetur quòd solutio continui morbus est, ad quem sequitur dolor, non tamẽ immediatè, sed media qualitate secũda, cum illa, media solutione sẽtiatur. Vnde quocunq; loco dixerit Gal. aut alius quispiã, quòd dolor à solutione cõtinui excitatur, mediatè, nõ verò immediatè intelligendus est: cum enim solutio per propriam speciem, & immediatè sentiri non possit, sic neq; immediatè dolorem poterit excitare, sed media qualitate, illaq; proprium est obiectum tactus, atq; hac ratione dicta sententia intelligi debet, & defendi potest.

Ve

Verùm præter dictas sententias tertia, quæ probabilitate non caret, est, quæ asserit dolorem à sola continuitatis solutione immediatè excitari, intemperiem verò non per se, & immediatè, sed media solutione continui dolorem efficere: atq; hæc sententia antiquorum philosophorum placitis maximè cõstat: nam Plato in Cratilo dicit: *Dolere, & dissolui idem esse, doloremq; à dissolutione dici*: Ex illius ergo sententia solutio tantùm doloris causa est. Arist. autem. 6. Topi. c. 3. inquit, dolorem esse violentam animi passionẽ à partium distantia profectã: distantia verò partium nihil aliud est, quàm continuitatis diuisio, cuius ratione distãt à se partes: illa ergo est doloris causa, vt ex definitione ab Arist. tradita constat. Gal. autẽ licèt varia varijs in locis dixisse videatur lib. 4. simpl. med. c. 2. & 1. de causis sympt. c. 6. vbi ex professò disputat de doloris causis: omnes doloris causas ad vnum caput, ad cõtinui solutionem reducit: nã dicto cap. longè, latèq; docet. *Quacunque refrigerando, aut calefaciendo, aut vtcunque aliter dolorem efficiunt illum, vehemẽter compressione partes à partibus separant: quando verò calefaciunt, diuisione diuidunt. Quare, vt aqua & omnia alia alterãtia alterant, soluendo continuũ, dolorem excitant, tum etiam & obiecta aliorum sensuum, vnitatem soluendo, dolorem faciunt*, vt eodem cap. Gale. docet. *Nã splendores, & colores extremi in visu faciunt dolorem, aut disgregando, aut congregando, nimiumque vtraque continuũ soluendo, dolorem efficiunt, pariter & sapores acuti incidendo, & accidi: austeri verò atque acerbi comprimendo, similem dolorẽ efficiunt. soluendo continuum: pariter & soni graues, & acuti auditus instrumentum diuellendo, efficiunt dolorẽ.* Atque ita omnia sensuũ obiecta media solutione continuitatis dolorem efficere possunt; & nulla alia ratione, vt dictis locis latè docet Gal.

Ex quo vnica tantùm relinquitur doloris causa, solutio, inquam, continuitatis. Vnde sequitur falsam esse opinionẽ affirmantem duplicẽ esse solutionis causam immediatam, intemperiem scilicet, & solutionem continuitatis: nam in maxima distemperie, ideò dolor excitatur, quia valet solutionem continuitatis efficere, & ita dolor non immediatè ab intemperie, sed vel à solutione continuitatis, vel ab

illa dicta qualitate: nam in distemperie, quæ non valet efficere solutionem continuitatis, non adest dolor. Hoc, inquam, patet: nam in febri ardenti dolor est in renibus, & capite, nõ verò in thoracis partibus, eo quòd in partibus illis, calor solutionem continui facit, fusis, & liquatis humoribus, & flatibus eleuatis; quę omnia partes dictas distẽdendo, continuum soluunt, in thoracis verò partibus nõ adest dolor, quia humorib' in maiori capacitate cõtentis, vapores facilè per expirationem emittuntur, atque ita distensioni, & solutioni continuitatis non datur locus; cum ergo dolor sit in partibus, in quibus distẽperies est minor, distẽsio verò maior, nõ verò in quibus distẽperies maior existit. Euidenter colligi videtur non à distemperie, sed à solutione tantùm dolorem effici.

Tum etiam idem probatur in magna sanguinis missione: similiter in syncope, subita, & magna refrigeratio contingit citra dolorem. Ex quibus constat intemperiem non posse dolorem efficere, nisi continuum soluat.

Vnde ad argumenta dictæ sententiæ respondetur: & ad primũ Auic. quòd etiãsi in tp to digito, aut membro solutio continui oculis manifesta ni sit, sunt tamen exiguæ solu tiones per totum membrum quæ ab humorum fluentiur multitudine causantur, fluen tis enim humoris copia pa tes à partibus separat, au multitudine distendens, a mala qualitate incindens, v errodens, quod nisi contir gat in toto membro, dolor n nimè fiet.

Ad argumentum eiusdé a thoris, quod est secundũ Va negamus, ꝙ omne id, quo subito naturam corrũpat, dc lorem faciat: nã facta sangu nis missio subitò extinguit turã citra doloré: & syncó subita corruptio naturæ e quin dolor eueniat: simili & magna circa cor obstruct subitò interficere solet, qui efficiat doloré: tũ etiã, & m ligna qualitas, quæ in pest lentibus Febribus cõspicitu subitò naturam corrumpit, tamen dolorem necessariò i inducat. Ex quibus colligit falsum dictum esse; quòd o ne, quòd subitò naturam cc rumpit, dolorem efficiat.

Ad primum argumentu Val. quòd ex varijs Gal. co stat locis, in quibus, & inte periem, & solutionẽ dolo causas esse docet. Refpõdet

qu

quòd intelligit Gal. duas esse causas, alteram immediatã, puta, solutionem, mediatã verò alterã, intemperiem scilicet: nã intemperiem per se, & immediatè dolorẽ efficere non posse, sed media solutione cõtinuitatis causare illã, docuit ipse Gal. 4. de diff. sym. c. 2. & 1. de causis sym. c. 6. iã citato.

Ad tertiũ respõdetur negãdo q̃ si aliqua res subitò, & multũ refrigeraret, tamẽ cõtinuũ nõ solueret, dolorẽ efficeret: plura enim sunt, quæ subitò, & multũ refrigerãt; dolorẽ tamẽ nõ efficiunt, quia cõtinuũ non soluũt, vt cõstat in allatis experiẽtijs. Quare falsum est etiã dicere, q̃ nõ possit esse aliqua magna intemperies, quin continuũ soluat, est enim in magna sanguinis profusione, & syncope, magna intẽperies frigida citra dolorẽ, & solutionẽ cõtinui, & in ardẽti febri in thoracis partib' maxima intẽperies calida sine dolore, & solutione reperitur.

Cũ autẽ quæris, Quare, quæ naturã corrũpunt, soluẽdo cõtinuũ, dolorẽ efficiãt, minimè verò quę corrũpũt, illã alterã dolorinquirã ego. Quare homo ab homine fiat, nõ tamẽ ab equo. Cui' vtriusq; rei nulla alia ratio potest reddi, quã q̃ effect', quidã nati sunt à quibusdã causis generari, ab alijs verò produci minime valent.

Aut cõgruẽter respõdetur, q̃ vnitas partiũ naturę amãtissima est, ideò de illi' amissione maximè dolet, quia illa ad sui cõseruationẽ existit necessaria, & ita amissione illius subitò, ac maximè corrũpitur. In inanimatis hoc videre est clari', elemẽta enim suã vnitatem maximè desiderãt, ita vt propter cõseruanda loca suas qualitates alterari permittãt, & contra propriam naturam moueri potius, quàm suã deserere continuitatem.

Ad quartum respondetur, quòd cum intemperies aliqua magna dolorem efficit, non sola sentitur intemperies, sed & solutio cõtinui, quæ ab intemperie excitatur. Qualiter autem solutio sentiri possit, posteà dicam.

Sed neq; secũda sentẽtia, licèt, probabilissima sit, maximèque rationi, & bonę Philosophiæ cõsona, difficultatib' caret: sunt enim circa illã rationes nonnullæ. Prima est. Aut illa qualitas, quæ solutione producitur est qualitas prima, aut secũda: nõ prima vt Auer. voluit, nam solutionis motus adeò exiguus esse potest, vt nulla qualitas prima producatur. Vt leuis acus punctio

do-

dolorem excitat citra intemperiei alicuius productionē: nam corpus ſolutionē faciens æquè temperatum poteſt eſſe cum noſtra ſubſtantia: motus autem, qui calorem, aliá vè qualitatem primam producere poteſt, non exiguus, ſed magnus, & vehemēs eſſe debet.

Neque verò dicta qualitas, quæ ſolutione producitur, poteſt eſſe aliqua ex ſecūdis, quales ſunt aſperitas, acuties, duries, & ſimiles: nam iſtæ, cum ſimilium ſibi non ſint genera trices, tranſmutationem realē efficere non poſſunt: ſolùm enim valent intentionalē trāſmutationem efficere ſui, ſpeciem, & imaginem ſenſibus imprimendo: ſed id, quod doloris eſt cauſa, realem, & corruptīuam tranſmutationē efficere debet: ergo ſecundæ qualitates dictæ, & ſimiles aliæ cauſæ doloris eſſe nō poſſunt, cum dictam tranſmutationem efficere non valeant.

Secundò, quòd ſi non aliquam ex dictis qualitatibus, ſed innominatā aliam eſſe velint doloris cauſam, quam dolorificam appellant, ſic in ſurgo: Nihil poteſt eſſe cauſa doloris, quod nō poſsit corrumpere noſtram naturam: ſed dicta qualitas noſtram naturam corrumpere nō poteſt: ergo. Probo minorem, nam ſi poſſit, aut corrumperet naturam pártium ſimiliarium, aut vtrarumq; communē; nullam ex his: ergo. Non ſimilarium, nā & dolor, & ſolutio continui citra intemperiē eſſe poſſunt; at ſimilarium partium natura in temperamento conſiſtit; ergo dicta qualitas dolorifica non corrumpit naturam partium ſimilarium: ſed neq; cōpoſitarum: nam non corrumpit, aut variat numerum, figuram, magnitudinem, ſitú ve, & earū vlcus; & dolor citra morbum in compoſitione exiſtere poteſt: dicta ergo qualitas dolorifica compoſitarum partium naturam non deſtruit: neq; verò vtriſq; partibus cō munem: hæc enim vnitas eſt, quam dicta qualitas minimè ſoluit: ſed ſolutam ſupponit, cum ex ſolutione continuitatis illam qualitatem dicant generari. Si ergo dicta qualitas nihil corrumpit eorum triū, quibus noſtra natura vniuerſim conſtat, euidenter ſequitur, quòd noſtram naturā corrumpere minimè valet, ac proinde, neq; dolorem generare.

Tertiò dicta qualitas innominata, & incognita eſt: ergo curatio doloris, aut impoſsibilis,

bilis, aut saltem difficilè mobilis erit, cum dictę qualitatis contrarium ignoremus: at nouimus euidenter curari dolorem, curata solutione continuit dolor ergo ab ipsa qualitate, & non ab alio excitatur.

Quartò dicta qualitas dolorifica non potest esse causa, qua mediante sentiatur solutio: ergo neq; immediata doloris causa. Antecedens probatur nam solutio est causa effectiua illius qualitatis: ergo est prior illa: ergo dum solutio fit, dicta qualitas non est: sed solutio interim dum fit, non facta, dolorem excitat: ergo solutio per se, & immediatè, non mediãte qualitate efficit illum.

Sed dices cõtra hoc, quòd solutio doloris causa esse non potest, cum facta solutione, dolor perseueret, solutio autem non facta, sed fiens dolorem efficit. Respondetur verum esse solutionem cõtinui solùm interim, dum fit, dolorem causare posse, non factã: quod docuit nos Galen. 1. de causis sympto c. 6. dicẽs. *Neq; enim postquã aliquod diuisum, ruptum ve est, dolorẽ efficit, sed in ipso, vt dicam fieri, talia omnia doloris causa euadunt.* Hæc Gal. Ex quibus constat, solutionem interim dum fit, non factam, dolorem efficere. Idẽ colligitur ex Hipo. lib. de locis in homine, dicente, *Dum alteratscit, & corrũpitur natura, dolores fiunt*: non enim dixit, dum alterata corrupta ve est, sed dum alteratscit, atq; corrũpitur.

Idem & ratio suadet, nam dolor necessariò coniunctum sensum habet; at sensatio fit interim, dum alteratio ab obiecto procedit in sensum, qua alteratione cessante, cessat sensus: ergo cessat similiter dolor: ergo dolor fit, dum alteratio fit: similiter cessat cessante alteratione.

Ex quo ad argumentum respondetur, quòd facto iam vlcere, non fieret dolor, nisi nouum vlcus ab influxu humorum in vlceratam partem excitaretur: dicta enim pars ab humoris fluentis copia, aut erosa illius acrimonia, & mordacitate nouas patitur continuitatis solutiones, ac perinde dolores nouos: tandiu igitur durat dolor in vlcerata parte, quamdiù fluxus humorum ad eã perdurauerit. Accedit ad hoc, quòd medicamenta, quæ pro vlceris curatione adhibentur, acria, mordaciaq; sunt, & inde nouum excitant dolorẽ. Tum etiam, & ambictis frigiditas vlceribus occursans do-

lo-

lorem excitare valet, iuxta illud Hipo. *Vlceribus frigidum, mordax*, tot igitur sunt causæ adhoc, vt dolor in vlcerata parte perseueret, & non cessat vlcere iã facto, quia scilicet tot sunt causæ, vt fiant in ipsa vlcerata parte solutiones.

His prælibatis, argumentis illis, quæ pro secunda opinione adducta fuere, satisfaciamus oportet. Et ad argumẽtũ Auer. quod etiã primũ est, eorum, qui eius sectantur sententiam, respondetur concedendo, quod solutio cõtinui, sensibile est cõmunè, & quòd non sentitur per se, sed per aliud: fieri autem optimè potest, vt sensibilè cõmune dolorem efficiat, non tamen per modum sensibilis proprij. Huius rei ratio est: nam illũd sensibile dolorem efficit, quod naturam corrumpit: at fieri optimè potest, vt ex duobus sensibilibus, quæ simul percipiuntur, commune naturã corrũpat; minimè verò, id, quod proprium sensibile est. Verbi gratia, lapis contundens partẽ aliquam, sentitur quidem medio calore, aut frigiditate, minimè verò contusionem efficit frigiditate, aut calore, sed poti' magnitudine, mole, aut motu, quę sensibilia communia sunt. Sicut ergo fieri potest, vt sensibile cõmune sentiatur medio sẽsibili proprio, corrumpat tamen naturam se ipso, non medio proprio sensibili illo, quia lapis contusionem, & vlcerationem non efficit medio calore, aut frigiditate, qua sentitur: ita etiã fieri potest, vt sensibile commune percipiatur per aliud, per se tamen dolorẽ efficiat, quia per se, non per aliud corrumpit, vnde sensibile proprium medium est, & causa sensationis sensibilis proprij, non tamen mediũ, & causa corruptionis naturæ: sensibile ergo propriũ, & sensatio illius causa est, seu conditio, sine qua non fieret dolor, non tamen effectiua illius causa, omnis autem conditio sine qua non, non concurrit actiuè, quia approximatio ignis ad lignum, effectiuè non se habet, sed tãquam aliquid necessarium requisitum ad actionem.

Ad secundum respondetur, quòd per solutionem, neque intelligimus numerũ partiũ, qui solutione fit, neq; motũ illum, qui soluentis scindentisq; vnitatẽ corporis est proprius, sed illum motum per solutionẽ intelligi volumus, qui proprius est partibus, quę secantur, ac diuiduntur. Nihil enim aliud est solutio conti-

nui,

tinuĩ, quã ſeparatio partium à partibus, ſiue illarum diſtantia, vt ex Ariſt. adduximus 6. Top. ille verò motus partiũ licèt commune ſenſibile ſit, & ſentiatur per ſpeciem ſenſibilis proprii, non per illã ſpeciem, ſed per ſe dolorem facit, quia per ſe, nõ per illam naturã corrũpit, vt explicatũ eſt.

Secũdò dicere poſſumus ad eadem argumẽta, q̃ licèt ſolutio cõtinui ſenſibile ſit cõmune, non tamẽ ſentitur mediatè, ſed immediatè, ſentitur enim per modum propriæ ſpeciei. talis autẽ modus aliquid reale eſt, cũ effectus realis cauſa perſiſtat, perceptionis ſcilicet ſenſibilis communis, quod ſine tali modo percipi nõ poſſet. Sicut autem ſpecies proprij ſenſibilis eſt immediata ipſi ſenſibili proprio, ita & modus proprię ſpeciei eſt immediatus communi ſenſibili, atque ita commune ſenſibile ratione proprij modi immediate ſentitur: nõ enim priùs ſentitur ſenſibile proprium, deinde commune, ſed ſimul ſentitur vtrumque: ſimul enim videtur corporis color, & magnitudo, figuraque illius. Vnde cũ ſenſibile commune immediatè ſentiatur ratione proprij modi, ita etiam immediatè dolorem efficere poteſt.

Tertia dicta ſententia defendi poteſt, ſi dicamus ſolutionẽ continui ſenſibile propriũ eſſe, nõ commune: quod hac ratione eſt intelligendũ: nam continuitas partium qualitas quædam ex ſecundis eſt, quæ ex primis reſultat elementis, ſicut duricies, mollicies, aſperitas, lentor: quod ex eo conſtat, quia contiuuitas ſubſtantia non eſt, atque inde accidẽs ſit, oportet: ex accidentibus non eſt quantitatiuus, ſed qnã titati accidens, neque relatio, neque ex ſex vltimis prædicamentis aliquod, vt diſcurſu per illa facto conſtat: ſequitur ergo, quòd aliqua ex qualitatibus eſſe dicatur. Nulla ex prĩmis eſt: ergo aliqua qualitas ſecunda; ſed nulla ex ſecũdis qualitatibus, ſenſibile cõmune eſt, ſed propriũ cõtinuitas: ergo eſt qualitas quędã ſecũda, quæ alicuius ſenſus propriũ eſt obiectum, nullius eſſe poſſe videtur, niſi tactus cõtinuitas: ergo eſt proprium tactus obiectum, ſicut mollicies, duricies, &c. & alię ſimiles qualitates ſecundę: tunc ſic, contrariorum eadem debet eſſe ratio, ad eandemque ſcientiam, & potentiam ſpectant; ſed continuitas ſecunda qualitas eſt pertinens ad tactum: ergo diſcontinuitas illi con-

trariis pertinens ad tactũ, qualitas esse debet.

Secundò idem probatur: nam discontinuitas naturalis, quæ in pluribus partib⁹ nostri corporis reperitur, qualitas est, non motus, neq; sensibile cõmune: ergo discõtinuitas, quę prętęr naturã cõsistit, qualitas, & non motus esse debet. Antecedens patet: nam digiti discontinuitatem naturalem habent, quam si amitterent, paterentur morbum continuitatis, in qualitate scilicet: discõtinuitas ergo naturalis, quæ in digitis, & alijs partib⁹ reperitur, qualitas est: ergo & illa, quæ morbi ratione cõtingit: est ergo illa sensibile proprium, non commune.

Tertiò. Solutio continui non percipitur ab omnibus sensibus, sed à solo tactu, vt docet nos Galen. 1. de causis symp. cap. 3. ergo non est sensibile commune, sed propriũ. Consequentia patet; nam ex Arist. 2 de anima, cap. 6. sensibile cõmune illud est, quod ab omnibus, aut pluribus sensibus percipitur: cùm ergo solutio continuitatis neque ab omnibus, neq; à pluribus sensibus percipiatur, liquet euidenter, quòd sensibile commune non sit, sed proprium, atque inde non per alienam, sed per propriam speciem percipiatur.

Quartò, si aliqua solutio cõtinuitatis esset cõmune sensibile, maximè, quia illa solutio per localium partium motum fieret; sed ad continuitatis solutionem non est necessarius localis partiũ motus: ergo cõtinuitatis solutio non est sensibile commune. Maior necessaria est ab omnibus, nã ex eo dicũt solutionẽ cõtinui sensibile esse cõmune, quia illa fit, vel ipsamet separatio partiũ à partib⁹ secundũ locũ, vel saltẽ cũ illa separatione, & motu locali necessariò fiat. Minor verò probat, quia solutio cõtinui fit per discõtinuationẽ, aut est ipsamet discontinuatio, sed discontinuatio partiũ accidere potest citra localem motũ illarũ: ergo. Rursus probatur hęc minor; nã Angelus, aut Deus partes discõtinuare possũt, sine eo q⁹ illæ localiter semoueãt, sed potiùs in eodẽ loco cõtiguę, discõtinuę remaneãt, quin potiùs, & prętęr naturã illam contingere rationos docet: nã virga, cuius medietas est arida, aliqua medietate viridi remanẽte, sine dubio discontinuatur, cùm arida medietas speciẽ mutet: ea verò, quæ diuersæ sunt speciei, continua esse nõ possunt:

dictæ

dictæ verò duæ virgæ mediatates discontinuantur sine eo quòd moueantur localiter, non enim distant plus quàm anteà secundum locum: discontinuitas ergo citra localem motum accidere potest.

Tum etiam, idem in nostra sententia contingit, cum sæpe videamus aliquas partes per in gentem refrigerationem demortuas esse, atque inde vita, & anima priuatas: cum ergo illæ partes forma totius non informentur, aliam formam induere substantialem necesse est: sed quæ diuersam habent substantialem formam, continua esse non possunt: partes ergo de mortuæ citra localem motũ discontinuantur.

Sed ex dictis colligitur euidenter solutionem continuitatis, seu discontinuitatem sensibile commune non esse, sed proprium: motus enim localis, qui solutioni continuitatis necessariò coniunctus esse videbatur, non necessariò, sed contingenter adiungitur illi, cum solutio continuitatis citra localẽ motum partium, quæ discontinuantur existere possit.

Et hæc de hac quæstione.

Quæst. IIII. Vtrùm dolor solùm conueniat tactui, vel alijs sensibus contingere possit.

ET quòd dolor possit omnibus sensibus accidere, videtur primò colligi euidenter ex Gal. li. de differ. morb. cap. 3. dicente. *Porrò tactus egregiũ, præter cæteros sensus in actione sua symptoma possidet dolorem, qui etiam, & reliquis sensibus ab externis tamen proprijs sensibilibus incidit.* Hæc Gale. quibus manifestè docet æque omnibus sensibus externis à proprijs eorum obiectis dolorem accidere.

Idẽ clariùs nos docuit primò de symptom. differen. capit. 6. dicens: *Delectatio autem, & dolor omnibus sensibus contingunt, non tamen pari euidentia, sed in visu minùs quàm in cæteris euidenter, in tactu autem, & gustu maximè luculenter ab his: de inceps in odore: post hunc etiam in auditu.* Quibus verbis intentum sole clarius Galen. nos docet.

Secundò idem probatur ex Arist. 2. de anima. c. 12. &. 3. eodẽ c. 2. vbi docet, quod excellens sensibile corrũpit sensum: sed cuiusq; sensus externi sensibile excellens esse po-

teſt,& inproportionatum:ergo quilibet ſenſus exterior corrũpi poteſt,à proprio ſenſibili,& obiecto,dolor autem conſiſtit in corruptione ſenſus: ergo in quolibet ſenſu exteriori poteſt dolor excitari à proprio, & cognito obiecto, dũmodo excellens,& improportionatum ad ſenſum accedat.

Tertiò ſolutio continuitatis eſt perpetua, & neceſſaria doloris cauſa, ſiue ea mediata, ſiue immediata ſit:ſed ſolutio continuitatis eſt ſenſibile commune:ergo percipitur ab omnibus ſenſibus: illud enim ſenſibile commune eſt, quod omnibus ſenſibus innoteſcit: cum ergo ſolutio cõtinui ab omnibus ſenſibus percipiatur,conſequens inde videtur, vt dolor omnibus ſenſibus pariter contingat.

Quartò, ſi dolor ſoli tactui accideret, pari vehementia in omnibus partibus percipieretur, quod ex eo colligere licet, quod in omnibus partibus eadem eſſet potentia, idẽ obiectum, & idem actus, ac proinde effectus idem. Contrarium tamen experiẽtia nos docet, quia non ęqualiter omnes partes dolent,& cruciantur; ſequitur ergo euidenter, quòd dolor non ſoli tactui cõtingat, ſed omnibus ſenſibus externis,pro quorum diuerſitate, diuerſo modo in partibus diuerſis ſentiatur.

Pro intelligentia tamẽ huius quæſt: oportet primò, vt titulum eius explicemus. Cũ enim quæritur, an dolor tactui ſoli,an omnibus ſenſibus pariter cõtingat. Quod quęritur eſt;an dolor propriè ſumptus percipiatur à tactu, & ſenſibus externis, vel ſermo eſt de dolore impropriè ſumpto:vel tandem id, quod quęritur eſt, an corruptio illa naturæ,quæ doloris eſt cauſa, à ſolo tactu,vel omnibus externis ſenſibus ſimul, & æquè percipiatur. Vnde ſi primo modo quæſtionis titulus intelligatur, reſpondetur quòd neque tactui,neque alicui ſenſui externo contingit dolor dictæ rei. Ratio euidens deſumitur ex præcedentibus, cũ enim probatum fuerit, cum de doloris natura ageremus: dolorem, & voluptatem formaliter,& in rigore ſumptum ad ſolum appetitum ſenſitiuũ pertinere; doloré verò ſumptum hoc modo, neq; ad tactum, neq; ad alium ſenſum exteriorem pertinere: nã huiuſcemodi dolor, atq; voluptas ſequitur formam apprehẽſam, cognitio autem exterio-

ris

ris sensus, actioque illius minimè sequitur formam apprehensam, atq; inde dolor in rigore sumptus ad nullum exteriorem sensum spectat.

Si tamen titulus quæstionis secundo modo intelligatur, ideſt de dolore impropriè sumpto: respõdetur quòd dolor, & voluptas, & tactui, & omnibus alijs sensibus externis contingit. Huius ratio colligitur ex Aristot. 1. Reth. ad Theodect. c. 11. & 1. Ethi. c. 1. quibus locis, voluptatem & dolorẽ omnibus sensibus contingere ait: loquitur autẽ de voluptate, & dolore irrationali, vt loquitur ipse: nos autem voluptatem illam, atq; dolorem, naturalem esse diximus, eo quòd naturalẽ inclinationẽ sequatur, sensus enim quiuis suo obiecto proportionato naturaliter delectatur, tristatur verò improportione eiusdem; vnde, & dolor hic naturalis, tristitia ve omnis externo sensui contingat.

Sin autẽ tertiò modo quæstionis titulus intelligatur, nó de dolore propriè, aut impropriè sumpto, sed potiùs de causa doloris, & de alteratione, & corruptione illa naturę, quæ doloris est causa. Respõdetur quod dolor soli tactui contingit, hoc est, quòd ad tactum solùm spectat, percipere, sentireq, alterationem, corruptionem ve naturæ, quę doloris est causa.

Hæc assertio probatur ex S. Th. 1. 2. q. 35. art. 1. ad 3. vbi inquit, quòd sensibilia tactus doloroſa sunt, non solùm in quantùm sunt improportionata virtuti apprehẽsiuæ, sed etiam in quantùm sunt cõtraria naturæ; sensibilia autem aliorum sensuũ doloroſa sunt, in quantum ad sensibilia tactus reducuntur: si ergo sensibilia aliorum sensuum doloroſa sunt tantùm, in quantum reducuntur ad sensibilia tactus, sequitur euidẽter, quòd dolor ad solum tactum, minimè ad alios sensus pertineat.

Secundò idem probatur: nã solutio continuitatis vnica doloris est causa, siue immediata, siue mediata ea sit: sed sensibilia, siue obiecta aliorum sensuum à tactu dolorẽ efficiũt, quatenus continuitatem soluunt, & non alia ratione: at continuitatis solutio ad solũ tactum spectat: ergo dolor, aut perceptio causæ dolorem inferentis ad solum pertinet tactum. Quòd solutio continuitatis vnica sit mediata, vel immediata causa doloris ex præcedenti quęstione liquet. Quòd obiecta aliorum sen-

suum

ſuum dolorem non inducãt, niſi cõtinuum ſoluẽdo, findendoq; tactum coniunctum organo proprio, docuit nos Gal. 1. de cauſis ſymp. c. 6. dicẽs, *Debilitatur autẽ guſtus inſtrumentũ, & auditus*, &c. *quatenus vtrisq; cõmunis eſt tact⁹*. Quod nihil aliud eſt, ac ſi diceret: q̃ in tantũ corrũpitur inſtrumentũ auditus, & aliorũ ſenſuũ, quia illis cõmunis eſt ſenſus tactus, & quia in ipſis percipitur à ſenſu tactus aliquid naturam corrũpens, ſiuè immediata cauſa ſit ſolutio cõtinuitatis, ſiue nõ, ad quod ſequitur actus appetitus, qui dolor eſt, vel voluptas.

Tertiò: nam ſi ſingulis ſenſibus accideret dolor ſenſus ille acriùs, vehemẽtiùſq; doleret, qui perfectior eſſet, eo q̃ perfectiùs ſentiret, exactiùſq; perciperet corrũpentem alterationem; atq; inde viſus omniũ maximos dolores pateretur; tactus verò omniũ debiliſsimos, cum ille perfectior, hic verò imperfectior omnibus exiſtat: contrarium tamẽ huius experiẽtia nos docet, & Gal. c. modo citato de cauſis ſympto tactũ. *Vehemẽtiſsimos omnium pati dolores, viſum verò omnium debiliſsimos*: Sequitur ergo euidenter ſenſus alios à tactu minimè pati dolorem, quatenus tales ſunt, ſed quatẽnus tactũ habent cõiunctum. Dices tamen contra hoc, fieri minimè poſſe, aliorũ ſenſuum obiecta quidquam tactui imprimere, cum aliorum ſenſuũ obiecta, à propꝛijs obiectis percipiantur, à tactu verò minime, aliàs non propria, ſed ſenſibilia cõmunia forẽt: ſi ergo tactus aliorũ ſẽſuũ obiecta ſentire nõ poteſt, pariter neque illorum ratione dolorẽ.

Reſpõdetur quòd licèt verum ſit, quòd aliorum ſenſuũ obiecta percipi non poſsint à tactu, ea formali ratione, qua proprios ſenſus immutant, verũtamen talia ſenſuũ obiecta in propriũ organũ quandam realem alterationem inferre poſſunt, quæ quidẽ nõ ad propriam potentiã, ſed ad tactũ illi adiunctam ſpectat: vnde licèt tactus v.g. ſplendorẽ percipere non poſsit, percipit tamen ſolutionẽ continui, quæ ab ſplendore in organo viſus cauſatur, eo quòd tactus per omnes ſenſus ſparſus eſt, & ita reales immutationes, corruptioneſq;, quæ à propꝛijs eorum ſenſuum obiectis cauſantur, percipit.

Hinc colligitur intellectus illius ſentẽtiæ, quã paulo antea adduximus ex S. Th. dicẽte, q̃ ſenſibilia aliorum ſenſuum

fuũ à tactu dolorosa nõ sunt, nisi quatenus ad sensibilia tactus reducuntur. Difficile enim intellectu videtur, qualiter aliorum sensuum sensibilia cum specie differãt, & inter se, & à sensibilibus tactus, reduci possint ad sensibilia tactus, quod quidẽ dicta ratione intelligẽdũ est: licèt enim sensibilia aliorũ sensuum, qua ratione proprias potentias immutant, non possint tactum immutare, & ab illo percipi; tamen quatenus omnia dicta sensibilia possunt alterationẽ quandam realem in tactũ proprijs potentijs adiunctum imprimere, puta, solutionem continuitatis, ideò dicuntur sensibilia aliorum sensuũ ad sensibilia tactus reduci posse. Nam licèt splendor, verbi gratia, sub propria ratione visibilis tactũ immutare nõ possit; bene tamen potest immutare tactum videndi organo admixtum, eo quòd illius cõtinuitatem dissoluere potest, quæ cõtinuitatis diuisio, licèt ab splendore procedat, non à visu, sed à tactu illi naturaliter coniuncto sentitur: tactus enim per omnes alios sensus internos sparsus est, ac veluti fundamentũ eorũ existit, & inde est, vt à proprijs sensibilibus eorũ possit aliquã immutationẽ pati, quã ob causam S. Th. dixit sensibilia aliorũ sensuum ad sensibilia tactus reduci posse, & hac ratione sola dolorem per se causare.

Quartò, idem probatur. Nihil potest causare dolorẽ, nisi corrũpat naturã, qua ergo ratione naturam corrumpit, ea doloris esse causam existimãdum est: sed sensibilia aliorum sensuum à tactu solùm corrumpunt naturã, quatenus continuitatem illius soluunt: ergo quatenus continuitatẽ soluunt, dolorẽ solũ efficiũt. Maior euidẽs est, & probatur minor: nã color, odor, sapor, aut sonus, non corrũpunt naturã partium similarium, cum temperiem illarũ minimè corrumpant; neque compositarum partium naturam euertunt, non enim magnitudinem, non numerum, non figuram, neq; situm; reliquum ergo est, vt vnico tantùm modo naturam corrumpere valeant, puta, continuitatẽ illius dissoluendo: sed solutio cõtinuitatis ad solũ tactũ spectat, reliquũ est igit, vt dolor, aut corruptio illa, quę doloris est causa ad solum pertineat tactum,

Quibus prælibatis, oppositis in contrarium satisfaciamus, oportet: & ad primum q ex duobus Gal. locis pendet,

Resp.

Reſpõdetur quòd ad omnes ſenſus pertinet dolor, nõ qua tales ſunt,& diſtincta ratione formali propria obiecta percipiunt,ſed qua ratione tactum admixtum habent, non enim patiuntur dolorem à proprijs obiectis formaliter inter ſe diſtinctis, ſed quatenus ad ſenſibilia tactus reducũtur, vt explicatum eſt.

Ad ſecũdum, quod ex alijs duobus locis extat, reſpondetur eodem modo,nam licèt proprium vniuscuiuſque potentiæ obiectum improportionatum eſſe poſsit, vt tale eſt reſpectu propriæ potẽtiæ apprehenſiuæ, non tamen poteſt propriæ potentię organũ corrumpere, niſi quatenus cõtinuitatem illius organi deſtruit, atq; ita corrũpit illud, quatenus cõiunctum infeſtat tactum.

Ad tertium reſpondetur negando,quòd ſolutio cõtinuitatis ſenſibile commune ſit, & à pluribus ſenſibus percipiatur, eſt enim, vt probauimus, ſenſibile propriũ: quòd à ſolo tactu percipitur,motus enim, qui ſolutione continuitatis ſenſibile cõmune efficere videbatur,nõ eſt neceſſariò illi cõiunctus,cũ ſolutio continui citra motũ inueniri poſsit,vt probauimus.

Ad quartum reſpõdetur q̃ dolor ad ſolutionem cõtinui debeat in omnibus partibus æquali percipi vehemẽtia, poteſt enim vehementia doloris ex pluribus variari. Primò ex aduertẽtia imaginationis, dolores enim eo grauiùs infeſtant, quibus magis intendit imaginatio,minus verò illis,à quibus auerſa eſt. Secundò, nam tactus ipſe in omnibus partibus non ęquali perfectione reperitur, illæ enim perfectiorem tactum̃ habent, quæ perfectiùs tẽperamentũ ſunt ſortitæ, & quæ plures neruos ſentientes accipiunt, atq; ita illæ, cum acriùs ſentiant, vehementiùs dolent ab æqualibus cauſis infeſtatæ. Tertiò doloris vehementia variatur ex obiecto; aliaenim vehemẽtiora ſunt alijs, quia magis,ac vehementiùs naturam corrũpunt; huiuſmodi ſunt primæ qualitates, quæ ſenſibilia tactus ſunt,& omnium maximè qualitatum naturam alterant, atq; corrumpunt.Hinc eſt, q̃ Gal.lib.de diffe.ſympt.c.3.& 1.de cauſis ſympt.c.6.iam citatis dicat,quòd tactus prẽter cæteros ſenſus vehementiſsimos patitur dolores, ea ſcilicet ratione,quòd ſenſibilia tactus omnium maximè vehementiora ſunt, multoq; plùs

alijs

alijs ſenſibilibus naturam alterant, atq; corrũpunt. Ex quibus tãdem liquet doloris cauſam ad ſolùm tactum, minimè verò ad alios ſẽſus pertinere.

Quæſt. V. Vtrùm omnis intẽperies dolorem efficere poſſit.

ID ſolùm iam tãdem in hac re ſupereſt eſſe diſcutiendum, an omnis intẽperies dolorem efficere poſsit. Circa quod contraria, atq; repugnãtia Gal. loca eſſe vidẽtur: nam licèt de inæquali intemperie c. 3. & lib. artis Medi. cap. 88. omnem intemperiem doloré efficere affirmet, nempe calida, frigida, &c. dummodo ea magna, & ſubita, ingenſq; ſit, at lib. 1. de cauſis ſympt. q. 6. ait duplicem dumtaxat intemperié, doloris cauſam eſſe poſſe; eam verò calidam, & frigidam eſſe. Ea ſcilicet ratione, quòd hæc tantùm duplex intemperies ſubitò, & maximè alterare, & corrumpere naturam poteſt. Eandem expreſſè ſententiam adducit. 12. Meth. 17. quo humidam, ſiccamq; intemperiem à ratione doloris ſecludit, & quòd duplex intemperies dicta nõ ſubitò, ſed ſenſim irruit. Vnde licèt duobus primis locis, omnes quatuor qualitates primas doloris cauſas eſſe doceat; his tamen duobus ſecundis calorẽ tantum, & frigiditatem teſtatur dolorem inferre poſſe.

Præter hæc autem lib. 2. de compoſit. Pharma. ſecundum locos. c. 1. tres qualitates primas dolorem inducere poſſe ait, nempè calorem, frigus, & ſiccitatem, ſolaq; humiditate ſecluſa vehementiſsimos dolores excitari à calida, & frigida intemperie, mitiores verò à ſicca: ab humida tamen nullos procreari poſſe. Quã ſententiam excipit Paulus lib. 3. c. 4. neq; minùs ratio eidé adſtipulari videtur, nam frigida calidaq; intemperies ſubitò, affatimque naturam ingruere poſſunt, ac ſubitò corrumpere naturam illius, ſoluendo cõtinuitatem: ſicca ſimiliter, licèt per ſe nõ ſubitò ingruat, benè tamen per accidens ſubitò induci poteſt, & partium ſoluere continuitatem: vnde tres iſtas doloris cauſas eſſe poſſe manifeſtè liquet, humida tamen intemperies, neque per ſe ſubitò ingruere poteſt, neq; ſi cum alio ſubitò inducatur dolorem efficere valet, eo quòd ſolutioni continuitatis potiùs contrariatur, quàm illam efficiat, vel adiuuet: vnde in his varijs Galen. lo-

eis conſtituta cótrouerſia eſſe videtur.

Pro cuius diciſione ex probatis in præcedentibus ſuppo nendum eſt, nihil per ſe dolo rem efficere poſſe, quod non poſsit etiã per ſe ſoluere con tinuitatem, ſolutio enim continuitatis vnica doloris eſt cauſa, ſiue illa immediata, ſiue mediata perſiſtat.

Secundò ſupponẽdum eſt, quòd omnis intemperies poteſt eſſe nuda, aut cum affluxu humoris: nuda quidem dicitur illa, quæ ſine aliquo humore in ſubſtantia viuẽtis eſt collocata; cum affluxu verò humoris ea eſt, quæ alicuius humoris ſequitur redundantiam.

Vnde dicendum eſt ad titulum quęſtionis, quòd tres tantùm intemperies, ſi nudæ & per ſe cõſiderentur, dolorem efficere poſſunt: illę verò ſũt, calida, frigida, ſicca: humida verò nuda & per ſe dolorem inferre minimè valet. Dictũ autem, conſtat dicendum de calida, & frigida intemperie, quæ quidem nudæ, & per ſe ſubitò ingruere poſſunt, partiumq; continuitatem ſoluere, frigida comprimendo, calida verò diſtendendo, vt docuit nos Gal. 1. de cauſis ſym. c. 6. & 4. ſecundùm locos. c. 2. De ſicca verò intẽperie ſimiliter conſtat in conuulſionibus ex ſiccitate, & inanitione excitatis, quæ quidem cũ dolore ſunt, & ſubitò poſſunt generari ex maximis euacuationibus, maximisq; intempe riebus calidis: humida tamen intemperies nulla ratione poteſt partium ſoluere cõtinuitatem, ſi ea nuda ſit, & cũ nullo humoris affluxu, at verò cum redundantia humoris nõ minus humida intemperies, quàm aliæ, dolorem efficere poteſt, eo quòd ab humoris redundantia poteſt diſtenſio, diuiſioq; continuitatis ſuboriri, ſiue ille humor calidus ſit, ſiue frigidus, ſiue ſiccus, ſiue humidus, illa tamen ſolutio continuitatis, generatioq; doloris per accidens qualitati, per ſe verò humoris ſubſtãtiæ, & multitudini tribuitur.

Vnde cum Gal. lib. de inæquali in tẽpe. & lib. artis Med. omnem intemperiem dolorem efficere affirmat, illiuſq; cauſam eſſe docet, non de cauſalitate per ſe, ſed de cauſalitate per accidens loquitur, hoc eſt, nõ loquitur de intemperie nuda, & per ſe exiſtente, ſed de intemperie cum humoris affluxu, qua ratione verum eſt, quòd omnis intemperies efficere dolorem poteſt, omnis

nis enim humori multo coniuncta potest partium soluere continuitatem, cum autem alijs duobus locis secundis, duas tantùm qualitates dolorem efficere posse affirmat, nempe calidam, & frigidã, ille sermo est de vehemẽtissimo dolore, qui quidem ab his dumtaxat qualitatibus duabus potest excitari, eo quòd hæ solùm (vt diximus) si nudæ, ac per se existant, possunt subitò nostram substantiam alterare, atque corrumpere, ac proinde illæ solùm vehementissimos dolores valent excitare. Cum autem Gal. 2. secundũ locos, siccam intemperiem inter doloris causas similiter recensuit, absolutè loquitur de dolore citra maximam vehementiam, sicca enim temperies, licèt nõ adeò magnos, saltem per se, & nuda dolores efficere potest.

Neq; obstat, quòd magna siccitas, per se, subitò non possit induci, satis enim est, si quocumq; modo possit magna siccitas subitò, & affatim generari, siue illud per se, siue per accidens contingat, semel enim inducta subitò siccitas magna, & solutionem continuitatis, & dolorem, per se sinedubio excitabit: potest autem simul induci siccitas nuda, & à maximis euacuationibus sanguinis, & aliorum humorum confertim factis, & à maximis etiam, atq; ardẽtibus febribus: nulla tamen intemperies, si æqualis sit, dolorem inducere potest, sed ea maxima, & inæqualis esse debet. Hęc de natura doloris, & eius causis dixisse sit satis.

Disp.IIII. De potẽtia motiua, & de comparatione potentiarum animæ interse.

Quæst.I. Quid sit potentia motiua.

POtentiam motiuam esse in viuentibus constat experiẽtia, an verò sit distinctum aliquid ab apetitu, & sensu dicẽtur infrà: de actu, illius vt est productiuus præsentiæ, dictũ est in physicis: qua ratione sit actus vitalis, dicetur in sequentibus: ostẽdemus etiam an sit aliqua potẽtia actiua, vel passiua, distincta â motu, & sensu: an vero in anima separata sit potentia motiua distincta â potentia motiua materiali, quæ est in corpore, dicitur in Met.

Dubium tamẽ esse potest,

bro: Legatur Valeſ. 2. controuerſ. Medic. c. 20. & lib. 6. c. 10. & Galeni ſentẽtia videtur probari manifeſta experiẽtia, quia præciſsis neruis deriuatis à cerebro, amittitur motᵒ, & hæc eſt communior philoſophorum ſententia.

Sed quęret aliquis, nũ quid hæc virtus motiua ſit in omni animali, quanuis imperfecto. Ferè de omnibus animalibus certum eſt experientia, q̃ habeant virtutem motiuam, & etiam de imperfectis id docuit Ariſt. 3. de anim. tex. 57. ſecundũ quanda diuiſionẽ, & ibi Toletus, & alij, & in omnibus animalibus eſt aliqua, & aliqualis virtus, quia in omnibus agnoſcũt philoſophi virtutem motiuã, ſaltẽ reſpectu dilatationis, & cõſtrictionis, & hoc totũ ex experiẽtia pẽdet.

Quæſtio. II. Vtrùm potentiæ ſpirituales animæ rationalis ſint inter ſe realiter diſtinctæ.

HÆc quęſtio per aliqua dubia reſoluẽda eſt. Primũ ſit an intellectus agẽs diſtinguatur realiter à poſsibili. Sẽtẽtia eſt D. Th. 1. p. q. 79. art. 7. intellectum agentem realiter diſtingui à poſsibili, & ſequũtur Thomiſtæ eo loco: & probari poteſt ex actu, quia intellectᵘ agẽs eſt productiuus ſpecierum intelligibiliũ, & vt dixi diſputatione de intellectu agẽti, non eſt cognoſcitiuus: intellectᵘ autẽ poſsibilis eſt potentia cognoſcitiua. Vlteriùs, intellectus agens nõ agit per principiũ inhærẽs, intellectus verò poſsibilis vtitur principio inhærenti.

Tertiò, inſenſibilibus non eſt idẽ producens ſpeciẽ ſenſibilem, & cognoſcens ſenſibilia: ergo neque in intelligibilibus. Antecedens conſtat in ſenſu externo, quia obiectum facit ſpecies, & potẽtia elicit actũ cognitionis in ſenſibᵘ internis, vt dixi, ſpecies expreſſa ſenſus externi producit ſpeciem impreſſam ſenſus interni: ergo à ſimili, cauſa productiua ſpecierum intelligibilium eſt diſtincta realiter à cauſa elicitiua actus cognitionis.

Secũda ſentẽtia eſt aſſerentium intellectũ agentẽ non diſtingui realiter à poſsibili: ſic Niphus libro de intellectu, capite. 4. & Toletus. 3. de anĩma quæſt. 13. hanc exiſtimat veram, licèt oppoſitam exiſtimet communem ſententiam, eamque amplectatur tantùm, quia non videt contra illam ra-

rationem insolubilem: & hãc sententiam dicit esse probabilem Pater Suarez 3. par. q.12. disp.30.sect.2. in fine, & mihi videtur probabilior, quia reuera opposita sententia nõ potest sufficienter probari, quia argumentum illud petitum ab actu non omnino cõuincit: possunt enim productio specierũ, & actus cognitionis reduci in eandem realitatem principij, quia sint actus subordinati: vnde vnum & idem principiũ poterit vti principio non inhærenti respectu cuiusdam effectus, & principio inhærenti respectu alterius. Nec refert si in materialibus causa efficiẽs speciei sensibilis distinguatur à potẽtia elicitiua actus cognitionis, hoc enim dicitur in sensibilibus propter speciale fundamentum, quod non reperitur in inteligibilibus, in quibus ex sententia omniũ multa habent vnum principium, quæ in materialibus oriuntur à pluribus.

Secundò etiam me mouet, quia hoc modo faciliùs declaratur, quæ nam sit potentia vitalis, vt dicetur suo loco. Tertiò etiam hoc modo meliùs intelligitur nullam esse potentiam spiritualem animæ, quæ etiã pro statu separationis nõ habeat aliquem actũ, & Thomistæ, qui distinguunt intellectum agentẽ à possibili, contendunt assignare intellectui agenti aliquam operationem pro statu separationis, quod ego non probo, licèt mihi improbabilis omninò non videatur prima sententia, vt dixi in hoc lib. disp.4.q.1.

Sed quæret aliquis, an saltim hac ratione possit poni sensus internus agens distinctus à cognoscitiuo. Respondeo, neq; hac ratione esse ponendum, quia sufficit post productionem speciei referri in alteram causam, vt constat ex dictis de causa specierum sensuum internorum.

Quæret secundò aliquis, an possit dici intellectum agentem, & possibilem distingui formaliter. Respõdeo iuxta traditam sæpe doctrinam in materia potentiarum nõn esse admittendam distinctionem formalem essentiæ, vbi probari non potest distinctio realis; potest tamẽ dici distingui distinctione accidentali petita ab actu, iuxta quod potest declarari Aristoteles, dũ explicat diuersa munera intellectus agentis, & possibilis.

Secundum dubium est, an intellectus distinguatur realiter à memoria intellectiua. De hac

hac re facit speciale argumẽtum sanctus Thom. 1. p.q.79. & Augustquidem.6.de Trinit.cap.6. non minùs videtur distinguere memoriam ab intellectu, quam distinguat intellectum à voluntate, de quo iã diximus, in hoc 3. lib. disp. 2.q.4. memoratiuam, in quã, non distingui realiter ab intel lectu: & sanct. Thom. loco citato, & discipuli eius, imò etiã illi, qui distinguũt memoriam ab imaginatione, idem dicũt. Placuit tamen mentẽ Damasceni, & Augustini explicare. Quia potest obijci: Damascenus secundo de fide capit. 20. in quo de intellectiua memoria agens docet, *Quod intelligibilium, si quid didicimus, memoramur rerum, substantiæ earum, nequaquam acquiri memoriam.* Videtur enim velle Damascenus, vel in intellectu nõ esse memoriam, vel saltẽ per intellectũ non recordari. Scotus in 4.d.45.q.3. §. *Dico ergo* docet Damascenum velle, ꝙ non recordemur rerum intelligibilium prout obiectorum præteritorum: docuerat enim Scotus in ea quæstione intellectũ in actu memorãdi semper cognoscere aliquem actũ suũ, vel alterius potentiæ, nõ tamen est necessariũ obiectũ illius actus esse re ipsa præteritum, neque cognosci vt sic.

Sed licèt doctrina Scoti sit vera, vt constat ex dictis disputatione de memoria, tamẽ non videtur secundũ mẽtem Damasceni, vt constat ex antecedentibus, & subsequentibus, & constabit ex dicendis. Scholiast. Damasceni Clitoueus vult Damascenum ibi assignare differentiam inter sensitiuam memoriam, & intellectiuã, quòd sensitiua sine disciplinæ exercitio recordatur; intellectiua verò non recordatur, nisi eorum, quæ didicit diligenti admodum inquisitione, sed mens Damasceni est, quòd sensibilia secundùm se ipsa mouent sensum, ac perinde secundùm se memoriæ mãdantur: at multorum intelligibilium non habemus cognitionem, nisi ex disciplina, vel discursu, & harum rerum si quid didicimus, recordamur: sed *Earum substantiæ memoriam non habemus*, inquit Damascenus. Quę verba si ad intellectum referantur, intelligenda sunt, vt substantiæ rerum non habeamus memoriã per proprias imagines: si verò referantur ad memoriã sensitiuã, planus est sensus: vult enim accidentia sensibilia posse relinquere imaginem sui in memoria sensitiua, substantiã verò

verò non ita. Quod verò eo loco addit Damaſcenus ſecũdum trãslationem Iacobi Vilij, quòd intellectus tranſmittit ſpecies memoriæ, de qua memoria ſubdit ſtatim, quòd ſit in poſteriori cerebri ventriculo; explicatione eget. Nã ſi de memoria intellectiua ſit ſermo, nõ habet organũ corporale: ſi de ſenſitiua, intellectus non mittit illi ſpecies: nomine ergo intellectus intelligi debet cogitatiua, vt habet verſio Fabri, quã ſequitur Clitoneus: nomine verò cogitatiuæ intelligit Damaſcenus ſecundum ſenſum internum: diſtinguit Damaſcenus tres ſenſus internos cum Galeno, & ſecũdum vocat cogitatiuam, dicitq; iſtam mittere ſpecies memoriæ, in quo loquitur cõſequenter: ſupponit tamẽ doctrinam falſam de diſtinctione ſenſuum internorum.

Mẽtem verò Auguſtini ſic interpretatur diuus Thomas ſuprà ar. 7. Ad 1. locum citatũ ex. 10. de Trinitate cap. 11. dicitur, vt loquatur Auguſtinus de actu memoriæ, & quadrat in illum locum hæc expoſitio; & per illum poſſunt explicari ſimilia, vehemẽter tamen ſuſpicor Auguſtinum, & alios nonnullos Patres dũ de miſterio Trinitatis loquũtur, indicare tãtam diſtinctionem inter memoriam, & intellectũ ſicuti inter intellectũ, & voluntatem.

Queſt. III. De potentijs materialibus animæ inter ſe, & cum ſpiritualibus.

EX dictis facilè coſtat omnes potentias materiales animæ ab omnibus ſpiritualibus realiter diſtingui: & de potentijs animæ ſenſitiuæ inter ſe, quomodo diſtinguantur, conſtat ex dictis de ſenſibus externis, & internis: conſtat etiam quomodo potentiæ vegetatiuæ diſtinguantur ex his, quæ de tris potẽtijs dixi mus.

Sunt tamen dubiola quædam. Primum eſt de ſenſu interno, & appetitu. In quo breuiter dicendum eſt diſtingui realiter, tum propter dicta de intellectu, & voluntate; tum etiam, quia, vt ſuprà vidimus probabiliùs eſt has duas potentias habere diuerſa organa. Circa appetitum verò ſenſitiuum aduertendum eſt, diſtingui realiter ab appetitu rationali. Primò propter generalem doctrinã de diſtinctione; potentiæ materialis ab ſpirituali. Secundò, quia huiuſmodi appetitus ſequuntur diuerſas

cog

cognitiones. Tertiò quia hęc doctrina est maximè conformis fidei agnoscenti repugnantiam appetituum ad Romanos. 7. & passim apud patres.

Secundum dubium, an potentia motiua materialis distinguatur realiter ab appetitu, & sensu interno. Nonnulli existimant præter appetitum, & imaginationem tantũ esse in membris virtutẽ quãdam, quę veluti in genere causæ materialis disponat membra ad motum. Sic sentit Caietanus tertio de anim. c.6.& Ferrar.q.18.& 2.contra Gentes c.82. Et quòd secundum Aristotelem solus appetitus sit causa effectiens motus, putat Philopon.3. de anim. tex. 54. & inclinat in hoc Tolet. q.25. licèt non discedat à cõmuni sententia: & sententiam Caietani indicat D. Tho. 1.p. q.73.ar.3.ad. 3. dicens, quòd vis appetitiua est, quę motum efficit; vis verò motiua, quæ in membris est, reddit aptiora membra ad obediẽdum appetitui: & huius potentiæ actus non est, inquit, mouere, sed moueri.

Alij verò ponunt potẽtiam motiuam distinctam ab appetitu, & sensu interno; & hanc putat communem Toletus suprà: eam docuit Henricus quodlib. 10.quęst.9. Godfredus quodlib. 1.q.4. Thienẽs. 3.de anim.text. 54.indicat Nisen. lib. 4. de viribus animæ c. 18.& Aristoteles ipse 2. de anima dum numerat quinque genera potentiarum animæ: & S.Th.ibi,& opusc. 43. (si est illius) cap.5. & mihi videtur probabilior sententia. Primò quia sæpè nobis non appetentibus, nec cognoscentibus, fiunt nonnulli motus, vt constat experientia. Et secundò probari potest, quia vt cõstat ex dictis, potẽtia motiua viuentium residet in musculis, appetitus verò in corde. Secũdò, quia hoc modo melius intelligitur, quomodo membra ipsa exequantur motũ; suppositа cognitione, & appetitu. Quæ ratio etiã suadet potentiam hanc esse actiuam, nam ad solam receptionem motus, non est cur requiratur specialis aliqua qualitas in genere causæ materialis: Aristoteles verò textu citato licèt affirmet appetitum esse causam motus, non tamẽ excludit potentiam motiuã exequentem immediatè motum an vero appetitus concurrat etiam efficienter ad motũ localem, vel sola potentia motiua ex sympathia appetit', sus

ſe diſputatur, ſicut de voluntate etiam ſimile quid diſputatur à diſcipulis S. Tho. 1. 2. q. 9. S. Thomas verò, 1. p. loco citato explicari poteſt, vt nó omninò neget potentiam illã motiuam eſſe actiuam; nã ibidem illam vocat virtutem exequentem motum: cum verò dicit actum huius potẽtiæ non eſſe mouere, ſed moueri, non negat, vtcumque actum huius potentiæ eſſe mouere, ſed vult, quòd non moueat, ſicut appetitus mouet, & quòd non moueat aliam potẽtiam, cum tamen ipſa moueatur ab appetitu.

Tertium dubium eſſe poteſt, an potentiæ vegetatiuæ diſtinguantur à ſenſitiuis, & vt conſtat ex dictis, communis authorum ſenſus eſt, has potẽtias diſtingui, ſunt enim diuerſorum ordinum, & ſequũtur diuerſa predicata animæ. Et declaratur ampliùs, quia potentiæ propriæ animæ rationalis, vt ſic, diſtinguũtur à potentijs aliarum animarũ, vt conſtat: ergo à ſimili potẽtiæ animæ ſenſitiuę diſtinguũtur à potentijs animæ vegetatiuæ. Similes cõiecturæ ſumi poſſunt ex dictis de organis harum potentiarum, & de modo operandi earum.

Queſt. IIII. De diſtinctione potẽtiarum animæ quoad perfectionem.

PRimum dubium eſt circa ſpirituales potẽtias animę: an intellectus agens ſit perfectior poſsibili. D. Th. in. 2. d. 20. q. 2. ar. 2. ad ſecundum, de veritate. q. 10. art. 2. q. de anima. ar. 5. ad. 10. affirmat intellectum agentem eſſe perfectiorem; quod abſolutè ſequitur. Bañez. 1. p. art. 3. col. 365. eam verò rationem videntur indicare, quòd intellect⁹ agẽs, in quantùm agens, ſit nobilior poſsibili, in quantum poſsibili: quia poſsibilis patitur ab agenti, & eandẽ recidunt verba illa, quòd intellectus agẽs eſt in actu reſpectu intelligibilium, quia eſt virtus actiua, quæ facit intelligibilia in actu per productionem ſpecierum intelligibilium.

Verum ſi intellectus agẽs, & poſsibilis non diſtinguantur realiter, vix poteſt eſſe dubium de re, & etiamſi diſtinguantur realiter, intellectus poſsibilis eſt perfectior agenti, quia vt conſtat ex dictis de vtroq; intellectu, intellectus poſsibilis eſt cognoſcitiuus, in quantum talis, intellectus verò agens ſolùm habet producere ſpeciem intelligibilẽ: vn-

vnde & operatio, & modus operandi intellectus posſibilis perfectior eſt; vnde ſine fundamento ponitur intellectus agens perfectior illo. Quod verò intellectus agens agat in posſibilem, ſolùm arguit intellectum agentem eſſe perfectiorem effectu producto in posſibili: & hac ſola ratione vera eſt illa doctrina, quòd agens ſit nobilius paſſo: vnde tantùm ſecúdùm quid poteſt intellectus agens dici nobilior posſibili, quatenus habet virtutem ad quẽdam effectũ, quem posſibilis, vt talis, nequit efficere, & ſecundũ hæc poſſet non incongruè Diuus Thomas explicari. Si verò, vt dixi, intellectus agens, & posſibilis non diſtinguũtur realiter, dicendum eſt, de nominationem intellectus agentis vt ſic, eſſe imperfectiorem. Ex dictis de intellectu, & memoria nihil eſt, quod dicamus, cõprehenduntur enim nomine potentiæ cognoſcitiuæ ſpiritualis.

Secundum dubium eſt, an intellectus ſit perfectior voluntate Scot. in 4. d. 49. q. 4. affirmat voluntatem eſſe ſimpliciter perfectiorem. Tenet Henricus quodlib. 1. q. 54. Richardus in 4. diſt. 44. q. 7. Maior. q. 5. Corduba lib. 1. quæſtionarij. q. 24. qui fuſſe impugnant rationes Diui Thomę, & Thomiſtarum: fundamentum huius ſententiæ infrà attingetur.

Secunda opinio eſt aſſerentium intellectum eſſe perfectiorem voluntate. Sic S. Th. 1. p. q. 82. ar. 3. & 3. contra Gẽtes c. 26. de veritate. q. 22. art. 11. & Thomiſtæ his locis. Durand. in 4. diſt. 49. q. 4. Palud. q. 3. Capreol. q. 2. & eſt communis hoc tempore: & mihi videtur probabilior, quã breuiter declaro. Quia intellectus eſt potentia quædã cognoſcitiua, & artificioſiùs operatur circa inquiſitionẽ quiditatum. Quod etiam declaratur in modo operandi ſenſus interni, qui poteſt fingere mõtem aureum, verbij gratia, & ſimilia quædam ex multis obiecta fabricare: at appetitus etiamſi feratur in formam cognitam, fertur ad modum naturalis appetitus cæco quodam impetu.

Et declarari poteſt ampliùs, quia infimus appetitus naturalis ſuperadditus, eſt imperfectior infima potentia cognoſcitiua, quia hęc eſt in perfectiori ordine rerum, & vitaliter operatur: ergo ſupræma potẽtia cognoſcitiua eſt perfectior in creatis ſuprema ap-

petitiua. Addo eã videri perfectiorem potentiam in gradu ſubſtãtiæ rationalis, in qua maximè viget rationis vis: hęc autem viget in intellectu, vt per ſe conſtat.

Vlterius, quia intellectus eſt quaſi immediatior potentia animæ, ita vt voluntas ſupponat illum, quia ſicut appetitus ſuperaddit naturalis ſupponit formam naturalem, quã ſequitur, ita appetitus rationalis ſupponit potentiam cognoſcitiuam, quam ſequitur. Demum, ex obiecto, quia voluntas per modum proſecutionis tendit in ſolam rationem entis, vt conuenientis; & hoc eſt, quod dicitur, tendere in bonum; at intellectus poteſt intelligere etiam rationẽ entis, licèt enim per ſolum aſſenſum ſolùm tẽdat in verum, & per modum diſſenſus in falſum; tamen ſine hoc habet operationem, qua poſsit intelligere rationẽ entis, vt ſic: & forſan hoc latitat ſub ratione Diui Thomæ art. citato 1. partis, dũ dicit, *obiectũ intellectus eſſe abſtractiuũ*: Et ex hoc colligit nobilitatem intellectus, quæ omnia non leuiter indicant, intellectum eſſe perfectionem voluntate.

Sed obijcitur primò, quia obiectum volũtatis eſt bonum: ergo eſt perfectius obiecto intellectus: ergo volũtas eſt potentia perfectior. Reſpondeo ex hac parte non poſſe probari perfectionẽ volũtatis, quia obiectum illius, quantumuis perfectũ, obiectũ intellectus perfectius eſt, ſi de perfectione reali ſit ſermo: ex modo autẽ tendẽdi, vt ſuprà vidimus, colligitur maior perfectio intellectus, & ex maiori quadã vniuerſalitate obiecti, cũ verò ex nobiliori obiecto colligitur potentia, attendenda eſt ratio obiecti adæquati, & modus tendendi.

Secundò obijcitur: nã volũtas eſt in ſe libera, intellectus nõ: ergo exceditur in hac perfectione à voluntate. Reſpondet Diuus Thomas. quęſt. vigeſima ſecũda de veritate articul. vndecimo ad ſecundũ 2. partis, argumentum probare ſecundum quid voluntatẽ excedere intellectum, nõ ſimpliciter: & mihi placet ſolutio Diui Thomæ propter rationes factas.

Tertiò obijcitur. Actus perfectiſsimus volũtatis, quo poteſt Deus amari, videtur perfectior actu perfectiſsimo, quo poteſt cognoſci, actus enim charitatis videtur perfectior quocũq; actu cognitionis

nis. Breuiter respondetur sub distinctione: nã si de actibus naturalibus intellectus, & volũtatis sit sermo, existimo perfectissimum actũ intellectus cæteris paribus esse nobiliorem perfectissimo actu voluntatis physicè loquendo, quia est perfectissimus actus perfectioris potentiæ: vnde non probatur, quod assumitur in argumento, si de physica perfectione sit sermo, de hac enim loquimur.

Sed quæret aliquis, an quilibet actus intellectus naturalis, sit perfectior quocumque actu naturali voluntatis. Sunt qui affirment, quia existimant vniuersaliter quamcũque speciem perfectioris generis esse perfectiorem quacumque alia generis imperfectioris. Sed hæc doctrina falsa est, & ideo existimo posse in voluntate aliquem actum esse perfectiorem, aliquo actu intellectus.

De actibus verò supernaturalibus etiam existimo perfectissimum actum supernaturalem intellectus esse perfectiorem perfectissimo actu voluntatis, licèt enim hi actus sint supernaturales, sed quodãmodo proportionãtur his potentijs respectu suorum actuum, quod necessario tenentur concedere quàm multi Theologi, qui existimarunt actum charitatis entitatiuè quoad substantiam esse naturalem. Quod de actu visionis nullo modo dici potest, vt docent Theologi in materia de beatitudine, & visione, & multis alijs locis. Ratio verò huius sumenda est ex dictis de perfectione harum potentiarum in ordine ad obiecta, ex qua doctrina difficile fit, quod docuit Diuus Thomas locis citatis. Docet enim, amorem Dei esse nobiliorem cognitione, & intellectionem rerum corporalium esse perfectiorem amore illarum.

Sed quæres, an aliquis actus supernaturalis voluntatis sit nobilior aliquo actu naturali intellectus. Nonnulli huius ætatis existimant, quemcumque imperfectissimũ naturalem actum intellectus esse simpliciter perfectiorem quocumque actu supernaturali perfectissimo voluntatis, quia licèt ab illo excedatur in supernaturalitate, absolutè tamen species perfectioris generis est perfectior quacumque specie imperfectioris generis: ergo si genus cognitionis est perfectior genere appetitus secundum

dum quamlibet ſpeciem excedit totum alterũ genus: ſed hæc doctrina falſa eſt, vt dixi.

Tertium dubiũ eſt de perfectione potentiarum materialium. Diximus de perfectione potentiarum ſpiritualium, ſolùm omiſimus potentiam motiuam, ſi fortè eſt in anima ſeparata (de qua nunc non diſputo) reſtat vt de potẽtijs materialibus aliquid dicamus. Et quidem fieri poſſunt multæ comparationes harum potentiarum cum ſpiritualibus: poſſunt enim comparari potẽtiæ cognoſcitiuæ materiales cum intellectu, & in hac comparatione certum eſt intellectum eſſe perfectiorem, vt conſtat ex dictis de his potentijs. Similiter poteſt comparari appetitus ſenſitiuus cum rationali, & in hac comparatione certum eſt etiam appetitũ rationalem eſſe perfectiorem.

Tertiò poteſt comparari potentia motiua materialis cum potentia motiua ſpirituali, ſi eſt in anima. Et in hac comparatione etiam videtur certum motiuam ſpiritualẽ eſſe perfectiorem propter perfectioré effectum.

Quartò poteſt cõparari omnis potentia cognoſcitiua materialis cum appetitu rationalis in qua comparatione, licèt potentia cognoſcitiua materialis aliquo modo ſit perfectior appetitiua rationali, tamẽ abſolutè videtur imperfectior illa, quia appetitus rationalis eſt paſsio perfectioris animæ, & potẽtia ſpiritualis eſt aliquid incorruptibile, habet vniuerſaleq; obiectum, quia poteſt amare omne bonũ cognitum à potentia cognoſcitiua ſpirituali.

Quintò poteſt cõparari intellectus cum appetitu ſenſitiuo, & ex dictis facilè conſtat, intellectum eſſe potentiam perfectiorem, & idẽ eſt ſi comparetur cum potentia motiua materiali, imò etiam ſi comparetur cum potentijs animæ vegetatiuæ, quia licèt iſtæ potentiæ ſint productiuæ ſubſtantiæ, tamen hoc nõ faciunt, vt cauſæ principales, ſed vt inſtrumenta, & ex alia parte in multis ſeparantur ab intellectu, vt conſtat: & idem eſt, ſi iſtę potentiæ comparentur ad voluntatem iuxta traditam doctrinam.

De comparatione verò potentiarum materialium inter ſe dicendum eſt. Primò ſi ſit ſermo de ſenſibus externis inter ſe, conſtat ex dictis diſputatione de comparatione horum ſenſuum, quod ſi iſti cõparentur cum ſenſu externo

ex

ex dictis de natura huius sensus, constat, sensum internum esse perfectiorem. Secúdò, si comparatur tota latitudo potentiæ materialis cum potentia motiua materiali omnes potentiæ cognoscitiuæ sunt perfectiores; quod probandú est ex effectu, & ex modo operandi. Tertiò, si comparentur potentiæ animæ vegetatiuæ cum potentijs cognoscitiuis materialibus, etiam videntur perfectiores potentię cognoscitiuæ, quia sunt in altiori ordine rerũ, & passiones perfectioris animæ. Nec refert, quòd potentię vegetatiuę sint productiuæ substantiæ, quia hoc habent vt instrumẽta: vnde propter hoc non est cur dicantur simpliciter perfectiores. Tãdem, si cõparetur potẽtia motiua materialis ad potentias animæ vegetatiuæ; potentia motiua videtur imperfectior ex imperfectione termini.

Quæst.V. De potẽtia & actu vitali.

POst disputationem de potentijs animæ in cõmuni, & in particulari, & de comparatione illarum inter se, restat explicare, quid requiratur ad hoc, vt aliqua potentia sit vitalis; & secundò quid etiam sit actus vitalis.

Circa priorem partem aduertendum est ex D. Th. 1.p. q.18.art.1.quòd viuere, ea dicuntur, quæ habent in se principiũ motus, quo se moueãt: vnde Arist. 8. Physicorũ tex. 28. *Officium vitæ*, inquit, *est à se moueri*: qua verò ratione huiusmodi motus viuentium distinguatur à motu grauium dixi 8. physicorum, & suprà etiam 2. libro de anima.

Secundò, aduertendum est ex D. Th.ar.2.quòd nomẽ vita sumptum fuerit ab operatione, tamen iam non significat solã operationẽ, sed principium operationis, siue primarium, & substantiale, quale est anima, siue superadditum, quale est potẽtia. Legatur Diuus Thom. 12.q.3.art.2.ad 1. & q.56.ar.1.ad 1.

Ex quo fit, quòd ad rationẽ potentię vitalis primò requiratur esse principium in operante: sed quia in viuenti etiã respectu operationum vitaliũ sunt aliqua principia, vt constat de specie impressa, & habitu, ideò ab his principijs oportet distinguere potentiam vitalem per aliquid aliud. Requiritur ergo secundò ad rationem potentiæ vitalis, vt oriatur ab anima, quæ est substan-

ſtantialis vita. Sed neq; hoc videtur ſufficere abſolutè ſecundum doctrinam aſſerentium intellectũ, agentẽ diſtingui realiter à poſsibili, quia vt infrà dicam, ſecũdum aliquos probabile eſt productionẽ ſpeciei intelligibilis non eſſe vitalem, & tamen, vt probaui diſputatione de intellectu agenti, ſi intellectus agẽs diſtingui tur à poſsibili, nullam habet aliam actionem, quàm productionem ſpeciei intelligibilis: ergo ſecundũ hæc principia, etiamſi intellectus agens oriatur ab anima rationali, nõ poteſt dici, quòd ſit potentia vitalis, quia nullam habet operationem vitalem.

Secundum noſtram tamen doctrinam, abſolutè verũ eſt omnem potentiam actiuam, quæ ſequitur prædicatum vitæ ſubſtantialis, vt ſic, eſſe vitalem. Quòd ſi aliquis velit defendere intellectum agentem diſtingui à poſsibili, & non eſſe vitalem potentiam, poteſt addere, ad rationẽ potentiæ vitalis requiri, eſſe potentiam animæ, quæ ad ſuam operationem egeat concurſu animæ, quia vt infrà dicemus probabilius vitam ipſam ſubſtantialem concurrere ad actiones vitales, & cõcedere, intellectum agentem etiam ſi ſequatur prædicatum animæ & hac ratione, quaſi denominatiue poſsit dici vitalis: tamen non eſt talis potentia, quæ ad productionem ſui effectus requirat concurſum animæ; abſolutè tamen, quomodo loquendum ſit ſecundùm noſtram ſententiam cõſtat: quotuplex ſit verò potentia vitalis conſtabit ex dicendis.

Circa ſecundam partem generationis de operatione vitali D. Thom. q. citata art. 2. ad 2. hac ſola ratione explicat operavitæ, vt ſint quatuor principia in operantibus, vt ſe ipſos inducãt in tales operationes. Ariſtotel. 2. de anim. tex 13: diuiſione quadam explicat opera vitalia, dicens, *Operari vitæ eſſe inteligere, moueri ſecũdum locum, alimento vti, & ſentire*. Supponit verò Ariſtoteles appetitionem, vt eo loco notant Authores, & doctrinam hanc ſine difficultate ar plectuntur.

Ex dictis verò poteſt aliquo modo deſcribi actus vitalis, *Vt ſit actio pendens à principio vitali in quantum tali*: it vt ex modo ſuo ſpecificè pendeat à potentia animæ, & a anima, quod dixerim, vt diſtinguam intellectionem, vebi gratia, ab ea actione, qua immediatè ab anima prodicit

va

vonlutas, vel aliqua potentia, quam actionem nullus hactenùs vocauit vitalem, & tamen reuera oritur à vita substantiali, & terminatur ad potentiam vitalem: vnde negari nõ potest, quin aliquo modo debeat dici vitalis, sicut actio, qua fit Angelus, creatio verbi gratia, potest dici vitalis aliquo modo, quatenùs est productio substantiæ viuentis: authores verò communiter solùm locuti sunt de actione potentiæ vitalis, & præsertim de actione illius circa suũ obiectũ: quod dixerim propter aliquos Thomistas, qui existimant, vnam potentiam animæ procedere ab anima, media alia concurrente in genere causæ efficientis: quod tamen falsum est. Addendũ est etiam huiusmodi actiones, quibus potentiæ fiunt ab anima, nõ esse tales, vt ex modo suo constituant animam in alio ordine operantis actualiter, quàm se habeat in suo genere essentia ignis respectu productionis caloris, & quãtũ ad hoc principiũ actionis, est eodẽ modo in vtroq; operante, essentia scilicet ignis, & anima rationali, & vt meritò Doctores referũt, actiones huiusmodi vitales non narrant.

Dubiũ esse potest, an omnis actus potentiæ vitalis sit vitalis. Ratio dubitandi esse potest petita à productione speciei intelligibilis: diximus enim fieri ab intellectu agẽti, imò & absolutè etiam potest esse maius dubiũ, si intellect. agens distinguatur à possibili, an hæc productio sit vitalis, de quo dubio nec vestigiũ est apud authores, nisi q; generali illa diuisione Aristotelis, qua numerat actus vitæ, nõ includatur hęc productio: & cũ Arist. loco citato nõ fecisset mentionẽ expressam appetitionis, docẽt authores subintelligi ab Arist. nihil dicentes de productione speciei intelligibilis: cuius etiam Iuniores non meminerũt: ego tamẽ sufficienter dixi de hac re.

De actu immanẽti, & circa causam materialẽ illius dubitant scholastici, an possit poni in subiecto materiali virtute Dei. Affirmant Capreolus d. 1. q. 1. ar. 1. con. 4. ar. 1. ad 3. Deza. q. 1. ad 3. Ferrara 4. contra Gentes, cap. 36. Alensis 4. par. q. 8. memb. 3. art. 5. §. 5. & 6. Contrariam tamen docuit Durandus in 4. d. 1. q. 4. Ocan quæst. 1. Scotus d. 1. q. 1. Gabriel. q. 1. ar. 2. Alensis q. 1. & ex Thomistis Caietan. 3. par. quæst. 62. art. 4. Scotus in 4.

dist. 1. q. 3. Ledesma. 1. p. q. 6. Legitur Bañes q. 45. ar. 5. & Medina 3. p. q. 13. ar. 2. & ex familia Scoti Vega libr. 2. in Tridentium cap. 14. & hæc sententia est longè verior iuxta principia tradita 2. Physic. an verò vnus possit poni in intellectu alterius, constabit ex dicendis.

Quæst. VI. Vtrùm Deus possit efficere terminum intellectionis sine concursu intellectus.

GRauis autẽ difficutas est inter scholasticos, an possit Deus causare in intellectu, v.g. sine concursu efficienti ipsius intellectus, quidquid necessarium est ad hoc, vt intellectus intelligat: & idem est respectu cuiuslibet potentię appetitiuæ, vel cognoscitiuæ: & priùs oportet explicare, an possit Deus se solo facere terminũ intellectionis.

Scotus in 3. d. 14. q. 1. ar. 2. & in 4. d. 46. q. 11. Ocan. in 4. q. 11. ar. 3. ad 2. & in 4. d. 1. q. 1. Durand. dist. 14. q. 1. numero 9. & in 4. dist. 49. q. 2. Ricard. d. 14. ar. 1. q. 3. & d. 49. ar. 3. q. 5. Gregorius in 1. d. 42. q. 1. ar. 2. Supplem. in 4. d. 1. ar. 3. dub. 2. Aliacem in 1. d. 1. q. 2. Buridanus 10. Ethic. q. 4. Maior in 1. d. 44. q. 1 Vega libr. 6. in Tridentiu cap. 8. & ex Thomistis Capre lus in 2. dist. 87. q. 1. ad 5. & Scotus in 4. dist. 49. q. 2. ar. Deza in 2. d. 37. art. 3. Pal danus in 4. d. 44. q. & cl riùs d. 49. q. 1. Medina 1. q. 3. ars. 2. Soncinas q. 12. 21. & ferè doctiores hui ætatis existimãt absolutè t minũ intellectionis posse fi ri á Deo: & Scotistæ exist mant sic fieri terminum v sionis beatificæ: vnus est V ga loco citato: existimat tiam pro hoc statu vitę fie à solo Deo in intellectu, & luntate aliquos actus, & eo s su intelligi verba Concilij rausicani, canon. 2. *Multa in mine bona fiunt, quæ non fa homo*: & similia passim rep riuntur in Augustino, dum quitur de gratia præuenien Fundamenta huius sentent infrà adducentur.

Secũdus modus dicẽdi e potest asserentium non po terminum intellectionis fi à solo Deo, non quia actio, & terminus omninò sint i essentialiter, sed propter sp cialem connexionem term huius actionis cum sua act ue. Est quorundam Iunio quã apertè docet Zumel 1 q. 27. ar. 1. in fine.

Tertius modus dicendi est asserentium terminum huius intellectionis absolutè secũdùm se extra subiectum posse fieri à Deo propter fundamentra infrà adducenda, in intellectu tamen nõ posse fieri à Deo sine concursu intellectus, & huius partis fundamenta infrà adducam.

Quartus modus dicendi esse potest nullo modo posse fieri à Deo, hunc terminũ, quia hic terminus pendet efficiẽter per suam essentiam ab intellectu. Probari potest primo, quia in his actionibus sine causa fingitur distinctio inter actionem, & terminum, cũ actio, & terminus non separẽtur, frustrà autẽ fingitur pluralitas, vbi necessaria non est.

Secundò, quia argumentũ à simili petitum ab alijs actionibus nõ habet locũ in immanẽtibus, & vitalibus, quę sunt alterius naturæ, & habent valde dissimilem effectum.

Tertiò, quia aliqui modi, qui non sunt causalitates materiales pendent à materia per suã essentiam, vt constat de præsentia, & relatione: ergo intelligi potest aliqua entitas, quæ non sit causalitas efficiẽtis respectu alteri⁹ procedere p suã essentiã à causa secũda.

Quartò, quia aliàs sequitur vnum ex duobus, vel quòd dicendum sit cum Scoto, intellectũ posse intelligere per verbũ productũ à solo Deo, vel q̃, requiratur ad intellectionem, non solum verbum, sed actio intellectus. Et primum illud non videtur verum, vt dicemus; hoc autem secundũ videtur speciale, imò inconsuetum pro alijs formis, quæ ad suam informationem non requirunt concursum agentis particularis.

Quintò hac ratione optimè intelligitur, quod de actione immanenti docuit Arist. actionẽ hanc nihil efficere, id est, distinctũ. Secũdò intelligitur optimè, q̃ D. Th. docuit. 1. p. q. 8. art. 1. etiam sæpe alijs locis actionem immanentẽ esse actum perfectum, quia perfectè actuat, cum in illa non sit distinguere imperfectũ fieri à termino illius: vnde docuit D. Th. 1. contra Gentes cap. 100. actiones immanẽtes nihil esse præter ipsas operationes. Et opusculo 48. tract. 2. cap. 1. de actione docet actionem immanentem, neque esse effectiuam alterius, nec de prædicamento actionis.

Quintus modus dicendi est: Potest asserentiũ intellectionẽ nõ posse fieri à Deo ex eo, quia intellectio nihil est aliud

quam actio quædam pendens ab intellectu, quæ nullius est factiua; ita docent nõnulli saltẽ in aliquibus intellectionibus, vt dixi disputation. 5. q. 1. & de omni sensatione externa id docet expressè Zumel 1. p. q. 27. art. 1. dubio *An beati videntes Deũ forment verbũ*, ad tertium: & in re ferè nihil differt hic modus à quarto præcedenti, vterque enim tãtùm ponit realitatem quandã essentialiter dependentem in genere causæ efficientis à potentia vitali, nisi quòd hic modus malè loquitur dum entitatem hanc vocat actionem, nullius tamen factiuam.

Sextus modus dicendi esse potest, hunc terminum posse fieri à Deo, etiam in potentia vitali; ita tamen, vt terminus per essentiam pendeat in genere causæ materialis à potentia, vt saltem hoc modo intelligatur terminus actionis immanentis maiorem quandam habere connexionem cũ suo subiecto.

Dico primo omninò esse improbabile affirmare ex natura rei aliquem terminũ potentiæ cognoscitiuæ, vel appetitiuæ fieri sine concursu eiusdem potẽtiæ in genere causæ efficientis. Probatur, quia quidquid sit de potentia absoluta negari nõ potest, qui ex natura rei hic sit modi cõnaturalis operandi poter tiæ vitalis: vnde Philosopl antiqui hac vnica ratione d stinguebant animatum ab i animato: neque refert actu esse entitatiuè supernatur lem, quia eliciendus est iuxt connaturalem modum pote tiæ, vt apertè constat in act supernaturali amoris elicit liberè pro statu viæ: vnde i hoc displicet Scotus, & eit schola, qui in specie locutu est de visione supernatura Dei, cui tamen meritò conti dicunt Thomistæ citati, & a thores omnes huius ætatis: v de falsus etiam est Vega loc citato: verba autem Concili & similes locutiones Augusti ni, quibus dicitur: *Multa fie in nobis sine nobis*, alium hab sensum, neque enim volui patres bona illa fieri in nob sine nobis physicè concurre tibus, sed fieri in nobis si vobis liberè concurrentibu dum tangitur intellectus v voluntas gratuito aliquo m tu.

Dico secundò de potent absoluta posse Deum causa terminum intellectionis. H est communis vtriusq; Sch læ. Et probatur, quia termi aliarum actionũ possunt fi

à si

à solo Deo: ergo & terminus intellectionis. Probatur consequentia, quia sicut aliæ actiones distinguũtur realiter à suis terminis, ita & intellectio distinguitur realiter à termino intellectionis. Probatur, quia quòd ex natura rei terminus intellectionis non separetur ab actione intellectus, non arguit dependentiã essentialem: ergo potest separari ab illa. Probatur antecedens, quia quòd lumen non separetur ab illuminatione ex natura rei, non infert essentialem dependentiam à causa secunda illuminante, vt concedunt omnes communiter: ergo à simili. Et probatur, quia aliàs sequitur illum pendere essentialiter ab anima in genere causæ efficientis, quia ex natura rei inseparabilis est ab illa. Quòd si dicat aliquis probari separabilitatem intellectus ab anima ex separabilitate quantitatis à substantia, cuius est passio.

Contra hoc est, quod vel admittit argumentum à simili, à forma non vitali ad formam vitalem, ideſt à quantitate ad intellectum, & tunc deberet admitti argumentũ à simili à termino actionis naturalis ad terminum actionis vitalis. Vrgeo amplius, vel oportet assignare aliã rationẽ, qua probetur separabilitas intellectus ab anima, si argumẽtum à simili non admittitur, quæ reuera nulla potest assignari. Et vrgeo amplius, quia aliqua actio vitalis distinguitur à termino: ergo à simili, ex hoc tantùm quòd actio sit vitalis, nõ infert essentialem entitatem cum termino. Consequentia in Philosophia videtur efficacissima. Antecedẽs probatur, quia augmentatio, & motus progressiuus sunt actiones vitales, vt constat ex communi sententia, & tamen secundum doctrinam traditã in Physica distinguuntur realiter ante intellectum.

Dices, terminum actionis vitalis cognoscitiuæ, vel appetitiuæ esse alterius rationis, hoc autem ego concedo, sed non infert identitatem essentialẽ cum sua actione, sicuti dixi in simili de quantitate, & potentia intellectiua.

Secundò principaliter, quia ex communi modo concipiẽdi non concipimus hos terminos quasi modos rerũ: neque enim concipimus terminum intellectionis modificantem intellectum; sicuti intelligimus relationem, veluti affixam fundamento, aut sicut concipimus actionem adhæren-

rentem termino, præsentiã al ligatam rei præsenti: demum subsistentiam terminantẽ naturam: in re autem, quæ non cõcipitur vt modus, nulla ponitur essentialis dependentia respectu subiecti, & in his rebus magni momenti est modus cõmunis concipiẽdi. Vnde omittã Scotitas omnes nobis consentientes. Ferrara expræsse docuit 1. contra Gentes cap. 53. intellectionẽ realiter distingui à suo termino, ꝙ sequitur Iauellus 3. de anima quæst. 1. Bañez, & Iuniores thomistæ. 1. part. q. 27. agentes de ęterna generatione Verbi; qui tamen in actionibus naturalibus, vt dixi. 3. Physicorum non distinguũt actionem à termino.

Tertiò, quia inconsueta est necessitas essentialis dependẽtiæ à suo principio ad hoc, vt forma informet idẽ principium in his rebus, quia non concipiuntur vt modi, vt cõstabit discurrenti. Vnde retorqueo argumentum, quia nulla est forma, quę pendeat essentialiter à subiecto in genere causę materialis, nisi quę non potest concipi vt res, sed tantũ vt modus; ita nulla forma dicit essentialem dependẽtiam à subiecto, in quo est, in genere causę efficientis, nisi forsan, quę non potest alicui concipi, quàm modus.

Quartò, quia sine fundamento sufficiẽti ponitur essentialis dependẽtia verbi ab intellectu, vel etiã specialis cõnexio vt constabit ex dicẽdis. Quartò quia in genere causæ efficientis non est ponẽda essentialis dependentia à creatura nisi vbi omninò demõstratuè probatur, & forsan nulla talis est, & sine dubio nulla in re, quæ nõ est modus, alias videtur sequi non minùs ponẽdere huiusmodi creaturam à creatura quã à creatore; quia ab vtroque pendet per essentiam, & à neutro potest fieri altero fieri; quod videtur contra doctrinam D. Th. pluribus in locis asserẽtis creaturas non agere, quia Deus egeat cõcursu illarũ, sed quia Deus cõmunicat illis virtutem agendi.

Et vrgeo ampliùs: quia omnis creatura ex eo habet pendere à Deo in genere causæ efficientis, quia per suam essentiam est ens participatum, ergo dependens, vnde vel per essentiam pẽdet à Deo, vel etiam ninò habet connexionem cum causalitate illius: sed de nulla creatura potest affirmari ita sit per essentiã participata alterius creaturę, sicuti per essentiam est participatio e

primi; ergo de nulla creatura potest affirmari, ꝙ ita per suã essentiã pendeat à creatura, sicuti pẽdet à creatore. Cõsequentia videtur cuidẽs; maior verò etiã ignobiliorib' nota Metaphysicis. Minor probatur, quia nulla creatura potest ita ex fœcũditate naturę prehabere in se effectũ, vt prę habet Deus eminenter omnẽ effectũ, & ex virtute omnipotentię, vt per se cõstat ex ratione Creatoris. Quod si ponatur creaturã pendere ab altera creatura per essentiã difficile intelligitur inęqualitas in dependentia in re, quę non est actio essẽtialiter: in actione enim potest optimè respectu termini intelligi hęc inęqualitas, vt omittã ex imperfectione actionis, quę modus quidã est, oriri specialẽ illam dependentiam, quę demonstratiuè probatur, & tamẽ semper verum est, etiãsi actio pẽdeat à creatura, ꝙ Deus potest producere omnem effectum se solo pendentẽ à creatura in genere causę efficientis, vt sępe dicitant cum D. D. Th. Theologi.

Sextò, quia intellectio Patris in diuinis terminatur ad Filium, atque adeò ad rẽ, & nõ ad modũ tantùm: ergo intellectio in creatis terminatur ad terminum, qui sit res, & non modus tantũ, licèt hoc sit inter duas intellectiones discrimen, quod terminus intellectionis Patris sit persona, terminus verò creatę intellectionis accides quoddã. Septimò, quia concepimus terminũ intellectionis, vt causam efficiẽtem habitus: ergo non concipimus, vt modũ; nullũ verò alium modum simili cõceptione intelligimus. Octaud. est bonũ indiciũ, quòd in alijs modis, vel post vnum succedit alius, vt constat in præsentijs, & modis subsistendi: vel non deficit modus ex natura rei, vbi alius non succedit, nisi defficientibus extremis, vt constat, vel in relatione, vel in modo vnionis; nihil vero tale est in intellectione: ergo intellectus non habet cum illa connexionem, qualem experimur inter rẽ, & alios modos. Tandẽ, quia difficile probaretur maior perfectio verbi mentis quam speciei impressę, si verbum mentis esset modus quidam cum species intelligibilis sit res.

Ex his verò facilè excludũtur quidam alij modi, & specialiter illi de dependentia essentiali in genere causę materialis ab intellectu, & quia hactę-

hactenus tantum probatũ eſt abſolutè terminũ intellectionis poſſe fieri à Deo extra ſubiectum, vel etiam in ipſo intellectu. Et primo exiſtimo verum hunc terminum poſſe fieri à Deo omninò extra ſubiectum ex traditis principijs diſputatione de potentijs animæ in communi. Circa alterã partem quidam, vt dixi, exiſtimant probabilius eſſe nõ poſſe huiuſmodi terminum poni in intellectu; niſi in intellectu ipſo actiuè cõcurrenti. Quod declarari poteſt ex probabili doctrina aſſerentium formam dependentem à materia non poſſe poni in materia ſine materiali concurſu ipſius materiæ. Et probari poteſt, quia hac ratione optime intelligitur hunc terminum eſſe terminum actionis immanentis, quia ex ſua ratione poſtulat, vt dum conceptus manet in aliquo, fiat ab illo. Hac etiam ratione optimè intelligitur, quòd licèt Deus abſolutè poſſit facere terminum prauę volitionis, tamen non poſsit illũ ponere in voluntate ipſa ſine actiuo concurſu ipſius voluntatis. Tertiò, hoc modo intelligitur, qua ratione non poſſit eſſe verbum mentis in intellectu niſi illo vitaliter operante, ſi ad rationẽ vitalis huius ſtatus requiritur influx efficientis, & eſt quidem n ſolùm probabilis, verũ ſub lis admodum ſententia.

Authores tãmen omn quos ſuprà retuli, dum afr mant poſſe hũc terminũ fi à Deo, clarè loquũtur de pr ductione verbi in intelle vt legenti conſtabit: & re ra mihi videtur probabili quia rationes contrariæ, n omninò videntur conuin re, quod enim dicitur de ac immanẽti, ſufficienter int ligitur, ſi terminus ex natu ſua poſtulet fieri connatura ter à potentia, in qua reci tur: reliquæ coniecturę ex cendis intelligentur: vnde videtur omninò conuinci t ta cõnexio inter materialit intellectus, & actionem ei vt quoties materializet, d beat etiam cauſare ſuum ve bum in genere cauſæ effici tis, quando Deus velit pr ducere terminum non ſecu dum exigentiam cauſæ. 2. D. Th. cum docet effectũ c ſæ ſecundę fieri poſſe à prir ſine cõcurſu ſecundæ, ſine mitatione loquitur. Legat in. 4. d. 12. q. 1. art. 1. q. 1. ad & 1. 2. quęſt. 51. artic. 4. corpore 3. p. q. 77. art. 1. de tentia. q. 6. ar. 1. 3. contra G tes cap. 99. quodlib. 1. art. 2

9

quibus locis, & sæpe in alijs vniuersaliter docet D. Tho. omnem effectum causæ secundæ, quod attinet ad concursum efficientis, fieri posse à causa primę, sine concursu secundæ, nec D. Thom. aliquo modo limitat doctrinã, & ita sine limitatione recipiunt eius discipuli locis citatis.

Ad primum quartæ sententiæ constat ex dictis. Ad secũdum etiam ostẽsum est, quomodo argumentum à simili in his etiã actionibus habeat locum, & quod attinet ad distinctionem, nihil speciale admittimus in præsenti. Ad tertium respondetur, verum esse aliquos modos pendere in genere causæ materialis per essentiam à rebus, quorum sunt modi: an verò etiam pendeãt in genere causæ efficientis, & incertum est, & vt dixi, terminum intellectionis non concipimus, vt modum.

Ad quartum constabit ex dicẽdis, modò sufficiat dicere ad informationẽ verbi mẽtis non esse requisitam actionem intellectus: an verò ad hoc vt intellectus constituatur in gradu vitaliter se habẽtis, requiratur efficientia ipsius infrà dicetur: & quarta opinio hoc etiam admittit, licèt dicat efficientiã nõ distingui à forma, quę informat. Ad quintum disp. 5. q. 1. explicui, quomodo sit intelligendus Arist. cum verò diximus, ibi actionem immanentem natura sua habere cõnexionem cum termino non est intelligendus vniuersaliter de omni actione immanenti, quia secũdùm nostram sententiam species intelligibilis producitur ab intellectu agenti, & manet in ipso, quia est idem cum possibili, à quo tamen in conseruari non pendet, vt diximus: intelligenda est ergo doctrina illa de omni actione cognoscitiua appetitiua propriè: quomodo verò Diuus Thomæ intelligitur quando loquitur circa actiones immanentes actus perfecti, vno ex duobus modis posse hoc intelligi, vel quod loquatur de termino, qua ratione opusculo illo citato (si illius est) dicit actionem immanentẽ non pertinere ad prædicamentum actionis, & vt infrà videbim', aliquando affirmat intelligere nõ importare rationem originis. Vel secundò quòd voc et, act' impetfectos, qui sunt actus rei habentis in se princi pium illius actus, quod in actionibus transeuntibus non contingit; præsertim cum huiusmodi termini habeant an-

nexá ſuá actionem. Aduertẽdum verò eſt, quòd ex quarta opinione neceſſariò ſequitur nullam actionem cognoſcitiuam, vel appetitiuam poni in prædicamento actionis, ſed tantùm in prædicamento ſui termini, quia eſt de conceptu eſſentiali illius, hoc autem eſt contra communem doctrinã: de quo ſuo loco.

Reſtat explicemus, an intellectus verbi gratia, per ſolã receptionem verbi producti à Deo, & actionis Dei conſtituatur in ſtatu vitaliter intelligentis, ita vt licèt non efficiat, intelligat nihilominus, ſicut modo intelligit. Quod eſt quærere, an de facto ſtatus intelligentis formaliter ſolũ dicat informationem, licèt ex connaturali modo operandi verbum ipſum mentis, quod informat, fiat ab intellectu.

Omnes authores citati præter Thomiſtas concedunt ſtatum intelligentis cõſiſtere in informatione: vnde conſequẽter affirmant Deum poſſe efficere quidquid neceſſarium eſt ad hunc ſtatum vitæ. Vnus eſt ex Thomiſtis, qui hoc indicat Paludanus. Et probari poteſt hęc ſententia D. Th. 1. p. q. 34. ar. 1. ad 3. vbi affirmat, intelligere nullam importare rationem originis, ſed ſolam informationem, prout intellectus noſter fit in actu per formam rei intellectæ.

Et ratione probatur hæc ſententia, quia verbum mentis eſt imago vitalis obiecti ergo ſi ſemel informat intellectũ vitaliter præſentat illi obiectum, atque adeò per illam imaginem intelligibiliter tendit intellectus in obiectum & hoc eſt intelligere: & idem eſt de pondere amoris in voluntate ſuo modo.

Secundò quia non poteſt aſſignari ratio propter quam ſi neceſſarius influxus phyſicus intellectus ipſius in genere cauſę efficientis: ergo non eſt cur dicatur requiri. Quod enim ex natura rei ſit coniunctus hic concurſus, ſolùm arguit connexionem naturalẽ

Tertiò, pro hac ſentẽtia poſſunt impugnari fundamenta propter quæ aliqui negant huiuſmodi verbum poſſe fieri à ſolo Deo, quæ etiam nos impugnauimus.

Thomiſtę tamen, & doctores huius ætatis contendunt hanc informationem non ſufficere, ſed requiri ad hunc ſtatum vitæ concurſum efficientem ipſius intellectus: & fauet D. Tho. q. 4. de veritate art. 2. ad 5. dicit enim, quòd in nobis, dicere, non ſolùm ſignifi-

ca

cat intelligere, sed cum hoc etiam significat extra exprimere aliquam conceptionem. Addit, neque aliter possumus intelligere, nisi huiusmodi cõceptionem exprimẽdo, & mihi placet hæc sententia, & ideò.

Dico tertiò principaliter in hac quæstione hunc statum vitæ necessariò includere actionem, & influxum physicum potentiæ vitalis. Multis rationibus solet probari huiusmodi conclusio: aliquæ earum relatæ sunt suprà relatis opinionibus, quæ ex dictis refutatæ sunt, alias verò omitto de industria, quia nullius sunt efficacitatis, & earum refutatio parum habet vtilitatis, & doctrinæ. Pro conclusione ergo ponderãda sunt verba Cõcilij Tridentini session.6.iamci. in quo pro eodem videtur sumere concilium inanime, & quod nihil omninò agit, & S. Th. vt dixi loco citato, hãc etiam sententiam videtur amplecti: vnde cum loco citato expressè affirmet intellectionem non importare formaliter rationem originis, sed informationem, non negat ad hunc statũ vitæ requiri actionem, quam ibidem significat nomine dictionis, de qua expresse affirmat, q̃ dicat hunc influxum physicum, & sine qua q.4.de veritate dicit, non posse esse intellectionem.

Et cum Scotus distinguat etiam hoc modo dictionẽ ab intellectione, teneiur re vera affirmare, quod licèt intellectus põssit intelligere sine cõcursu efficientis, non tamẽ, dicere: inintelligibile autẽ videtur vt possit intellectus habere assensum, vt verè dicatur assentire; & intelligere. Ratione potest probari conclusio, quia omnis actus intellectus est quędam dictio, & locutio, quod maximè elucet in actu iudicij: non videtur autem intelligibile, vt dicat intellectus sine actione. Maior videtur per se nota, minor verò probatur, quia ex sola receptione verbi nõ intelligitur, quòd aliquis dicat, imò supponere videtur dictionem. Et secundò declaratur in actu ipsius intellectus quia potentiam vitalem aduertere, non benè intelligitur sine concursu efficientis ipsius potentiæ, quia concursus materialis potiùs videtur supponere aduertẽtiam: quæ ratio magni põderis est apud bonos huius ætatis. Et declarari potest ex communi conceptione, quia omnes concedunt instatu isto vitæ aliquid debere includi ex modo suo

per quod omnino perfectè di ſtinguatur huiuſmodi ſtatus ab ſtatu actus ſecũdi non viuentis; ſed per ſolùm concurſum materialẽ vix poteſt intelligi: ergo. Maior, vt dixi, habetur ex communi conceptione. Probatur minor, qũia concurſus materialis non aliter exercetur à potentia paſsiua viuentis, quàm exerceatur à potentia paſsiua non viuentis: ergo ex hoc præciſſe diſtingui non poteſt. Declaratur antecedens. Primò, quia etiam ſi viuens eodem modo recipiat præſentiam localem cauſatam à Deo, ac recipit cauſatam præſentiam à propria potentia vitali, tamen in vno motu, & acquiſitione vnius præſentiæ vitaliter ſe habet, & non in acquiſitione alterius: antecedens conſtat, quia dum viuens mouetur ab extrinſeco, non ſecus mouetur, quã lignum. Secũdò declaratur principalis illa minor huius ſecundæ rationis, quia etiamſi per impoſsibile verbum mentis reciperetur, in voluntate verbi gratia, vel in aliquo habitu ſpirituali illius, & daret illi ſuum effectum formalem, tamen dici non poteſt quòd voluntas in eo ſtatu intelligeret: ſicut neque ſi verbum mentis reciperetur in lapide; quia non aliter ſe haberet voluntas, vel lapis reſpectu receptionis huius qualitatis quàm ſe habent res inanimatæ reſpectu receptionis ſuorum accidentium.

Sed dices aliter ſe habet potentiam paſsiuam vitalem reſpectu termini vitalis, aliter potentiam paſsiuam non vitalem reſpectu ſuæ formæ quia vna recipit formam vitalem, id eſt, terminum ex natura rei producendum per actionem vitalem, alia recipit terminum non vitalem.

Sed contra hoc eſt, quia ſicuti efficere potentiam vitalem ſolùm, non diſtinguit viuentia, à non viuentibus, vt ſupra dicebam, quia ex modo operandi non aliter ſe habet anima rationalis dum producit intellectum, quàm ignis dum producit ſuum calorem. & Scotus non diſtinguit viuens à non viuenti præciſſe quia vnum cauſet ſuum motum, alterum ſecus, ipſe enim Scotus concedit grauia, & leuia in ſe ipſis efficiẽter primaliter cauſare ſuum motum debent ergo diſtingui ex conuerſo modo operandi, & non ex ſola diuerſitate termini: ergo nõ debẽt diſtingui ex ſola receptione termini, ſicuti neque ex ſola actione, ſed ex

liq

liquo alio modo diuerso, qui tamen sine influxu Physico efficiētis intelligi nō potest, vt cōstat ex dictis: quæ ratio magnā videtur efficacitatē habere contra principia Scoti.

Tertiò principaliter probatur cōclusio ex parte volūtatis, & sui actus, quia amare, vel non amare liberè, necessariò inuoluit Physicū concursum efficiētis volūtatis: ergo amare, vel non amare necessariò: consequētia videtur efficax, quia necessarium, & liberum circa idem sunt opposita in hac materia. Antecedens autem probatur, quia potentiam operari liberè, est producere terminum, quem potest non producere, quod sine controuersia omnes admittūt, & præ se fert nomen libertatis.

Et declaratur, quia libertas dicit indifferentiam respectu termini eliciendi, vel nō eliciēdi: sed hæc indifferētia nō potest intelligi sine efficientia ipsius potentię, ergo: Maior probatur, quia in hoc differt libertas à necessitate, q̄ necessitas dicit determinationem ad vnam partem, libertas indifferentiam ad vtramque. Minor probatur, quia citra efficientiam non intelligitur indifferētia in sola receptione: nā in his potētijs passiuis, potētiæ recipiūt terminū quandiù durat influxus Physicus agētis, & ex parte ipsius solius illius receptionis nō est differētia, si secludas actionē: vnde & voluntarium dicitur à principio intrinseco.

Quartò probatur. Status vitæ, qui cōsistit in actu secundo, prout condistinguitur ab statu vitæ, vt dicit primū actū vitæ substantialem, vel potentiam vitalem, principaliter cōsistit in actione ipsa: ergo vbi hæc deficit, non est huiusmodi status. Consequentia videtur efficax: & antecedens probatur ex communi doctrina Thomistarum asserētium, actionem vitalem specificari à principio vitæ; quòd sæpè repetunt in materia de visione, de beatitudine, & de actibus, iuxta doctrinā Diui Thomæ supra allatam. 1. par. q. 18. quam sine limitatione recipiunt subtilis Pater Molina columna. 282. primæ partis Caietanus & alij prima parte quæst. 26. art. 3. & 3. par. quęst. 9. art. 1. & Pater Suarez 3. par. tomo primo disputation. 24. sect. 2.

Et probat ratione, quia vitalitas actionis non sumitur à termino præcisè. Probatur, quia motus progressiuus animalis ex communi senten-

tia.

tia eſt vitalis, quia eo modo nõ poſſet fieri à principio nõ vitali, & tamen terminus non eſt aliquid vitale, neque ex natura rei poſtulat ſemper produci actione vitali: ergo, quantum ex hac actione licet colligere, hic ſtatus in actione principij vitalis conſiſtit principaliter, ſiquidem ſola actio vitalis conſtituit hunc ſtatum, etiam quãdo inuenitur ſine vitali termino: vnde communiter hic gradus vitę dicitur cõſiſtere in actu ſecundo, & omnia, quę attigimus præcedẽtibus rationibus optimè intelliguntur ex hoc, quòd dicimus, hunc ſtatum requirere efficientiam principij, & loquendo de actionibus immanentibus, etiã requirit informationem vt omnes vtriuſq; Scholę fatẽtur: ſin per impoſſibile intellectus efficeret intellectionem, nec tamen reciperet illam, non intelligeret: hęc enim eſt ratio propter quam de facto Deus nõ intelligit mea intellectione, neq; habitus meus, neque ſpecies, & qui ponunt dependentiam eſſentialem, etiam tenentur affirmare hunc ſtatum includere efficientiam, & informationem, licèt ponant vtramq; identificatam.

Ex dictis ſolutę ſunt ſecũda & tertia ratio oppoſitę ſententię. Ad primam nõnulli dicunt, quòd ſi poneretur verbum in intellectu ſine influxu phyſico efficienti ipſius intellectus per impoſsibile, ſequeretur vtrumq;, ideſt quòd intellectus, intelligeret: & non intelligeret, intelligeret inquam, quia haberet imaginem obiecti vitalem, & non intelligeret, quia ad ſtatum intellectionis requiritur influxus phyſicus efficientis ipſius intellectus.

Mihi tamen placet ſentire cum Thomiſtis, & ideò reſpondeo, quòd ſi poneretur verbum mentis in intellectu ſine efficientia phyſica intellectus re uera intellectus nõ intelligeret, quia hic ſtatus inuoluit actionem per efficientiam intellectus.

Dices; hęc eſt imago vitalis ergo vitaliter informat intellectũ. Reſpondeo diſtinguendo antecedens; ſi nomine vitalis intelligatur forma ſufficiẽs conſtituere hunc ſtatum excludẽdo quodlibet aliud, ne quaquã eſt vitalis: ſi verò nomine vitalis intelligatur forma quędam ex natura rei poſtulans fieri à potentia vitali & actione vitali, vtrique vitalis eſt hęc imago, in quo maximè diſtinguitur à prędicta

cal

cali, quę non postulat ex natura rei semper fieri actione vitali, vt constat ex dictis.

Sed dices: ergo magis vitalis est motio localis progressiua, quàm sit verbum ipsum mentis separatum ab actione: probatur consequentia, quia motio localis progressiua cõstituit statum viuentis, & verbum mentis per se non potest constituere. Respondeo licèt hęc in rigore cõparabilia non sint, verùmtamen quantũ ad id, quod infert ratio, verũ est, neque hoc est aliquod inconueniens.

Sed quęret aliquis primò an actio, qua verbum eiusdẽ speciei verbi gratia fieret à Deo in intellectu sine concursu illius efficientis, & actio, qua fieret ab ipso intellectu, sint diuersę speciei. Respondeo breuiter ex principijs, quę alibi tradidi, huiusmodi actiones distinguendas esse specie, in quo modò ignorandum non est.

Secundò posset aliquis quęrere; numquid, si esset possibile idem verbum fieri à solo Deo actione eiusdem speciei, cum actione ipsius intellectus constitueretur intellectus in statu vitali intelligentis: videbitur forsan alicui in hoc casu vtrumque futurum. Absolutè tamen mihi videtur probabilius iuxta allata principia, etiam in hoc casu intellectum non constituendum in statu vitaliter intelligentis, quia etiam in hoc casu verum est intellectum non influere physicè in genere causę efficientis in verbum.

Tertiò posset aliquis quęrere an posset ponere Deus entitatem, & pondus odij Dei in voluntate ipsa. Respondeo secundum principia allata cõcedendum esse, Deum posse facere huiusmodi entitatem: in nostra tamen sententia per illam non prosequeretur voluntas Deum odio, quod tamen tenetur concedere Scotus, & per se videtur valdè absurdũ: hęc vero entitas non sortitur malitiam moralem, nisi dum fit à voluntate liberè operante, & prout ab illa, sicuti omnes alij actus mali moraliter.

Quæst. VII. Vtrum sine concursu animæ possit à Deo cum intellectu fieri quidquid necessariũ est ad statum intelligendi.

EAdem difficultas habet locum in qualibet alia potentia cognoscitiua, vel appetitiua

ua: & idem proportionaliter dicendum eſt. Quærimus ergo an ſine concurſu animæ, quæ eſt prima, & ſubſtantialis vita, fieri poſsit actus vitalis: nec ſolùm quærimus, an fieri poſsit terminus actus intellectus; nam in noſtra ſententia conſtat ex dictis hoc eſſe certum: docuimus enim, terminum fieri poſſe, etiam ſine actiuo cõcurſu intellectus. Difficultas ergo eſt, an ſine concurſu animę fieri pòſsit quidquid neceſſarium eſt, vt ipſe intellectus conſtituatur in ſtatu vitaliter operantis, ſcilicet intelligentis.

Ratio dubitãdi eſſe poteſt, quia cum anima ſit vita ſubſtãtialis nõ videtur eſſe poſſe actus ſecundus vitalis ſine dependentia à prima vitæ radice. Secundò quia aliàs intellectus ſeparatus poſſet intelligere.

In hac re omnes, qui putãt ſine concurſu actiuo intellectus fieri poſſe quidquid neceſſarium eſt ad intelligendũ, faciliori negotio concedent fieri poſſe abſque concurſu animæ. Imò cum eorum multi dicant animæ potentias non diſtingui ab anima, vt docui ſecundo de anima, idem ferè eſt dicere, hoc poſſe fieri ſine concurſu intellectus, & fieri poſſe ſine concurſu animæ.

Secundus alius modus dicendi eſſe poteſt: non poſſe ſine cõcurſu animæ fieri quidquid neceſſarium eſt ad intelligendum. Primò propter rationem dubitandi. Secũdò, quia ſi vera eſt communis doctrina S. Th. & aliorum aſſerentium animam cõcurrere ad actiones vitales: hoc non poteſt eſſe, quia actiones iſtæ ex natura ſua requirunt dependentiam à prima vita, & in hoc præſertim conſiſtit ſtatus vitę, & differentia actionis vitalis à non vitali: ergo cũ ſine illa poteſt ſaluari, non eſt cur de facto dicamus animã concurrere cum potentia.

Tertia ſententia eſt eorum qui de facto affirmant, animam non concurrere efficienter ad actum vitalem, ſed tantũ per ſuam potentiam, cum quibus non eſt quæſtio, ſed tantũ cum illis, qui admittũt animam de facto concurrere efficiẽter ad actus vitæ.

De difficultate hac nihil inuenitur expreſſum, & tractatũ ab authoribus: imò apud Philoſophos huius ætatis nihil inuenio, ſcio tamen non paucis placuiſſe, non eſſe it neceſſarium ad ſtatum hunc vitæ cõcurſum animæ, vt ſin

illo non posſit ſtare ſtatus intelligendi: hoc verò probatur à posteriori; quia per ſolam actionem intellectus ſufficiéter intelligitur diſtingui ſtatus taliter operantis ab ſtatu non viuentis, & actio ipſa intelligitur pendere à principio vitæ, vt vita eſt: atq; adeò intellectio tunc procederet ab intellectu, vt ſic, vt haberet ſufficiens ſpecificatiuum vitale.

Secũdò, quia etiamſi de facto concedamus eſſe neceſſarium concurſum animæ ad actionẽ intellectus, tamen non eſt ſufficiens fundamentum, vt dicamus non poſſe intellectum niſi tali concurſu intelligere: Aliud enim eſt hoc eſſe ex natura rei ordinatum: aliud verò eſſe eſſentialiter requiſitum. Ratio à priori debet eſſe, quia natura intellectionis talis eſt, vt non poſtulet eſſentialiter concurſum animæ. Et declaratur exemplo, quia etiã ſi dicamus de facto caloré nõ calefacere, niſi cœlo concurrẽte cum calore propter ſubordinationem naturalem: tamen negandum non eſt de potentia abſoluta, poſſe caloré ſolo concurſu Dei adiutum calefacere, & in ipſo actu intellectus eſt aptiſsimum exẽplum, nam etiam ſi ex natura rei, intellectus non agat ſine ſpecie, tamen de potentia abſoluta non eſt; cum ſine ſpecie poſsit intelligere. Quę doctrina valde eſt probabilis.

Secũdò tamẽ exiſtimo probabiliùs, non poſſe intellectũ intelligere ſine concurſu animæ. Ratio verò, quæ me mouet, eſt. Primò, quia per ſe videtur contra rationem, intellectum ſeparatum poſſe intelligere, & cũ alijs loqui: quod fieret neceſſario, ſi concurſus animæ de potentia abſoluta non eſſet neceſſarius. Sed fugere poſſet aliquis vim huius inconuenientis dicendo, vel has potentias nõ diſtingui ab anima, vel etiamſi diſtinguãtur, non poſſe ſeparari: ſed vtrumque reputo minùs probabile.

Secundò, alio modo poſſet quis reſpondere, poſſe intellectum vnitum animæ ſine cõcurſu efficienti animæ producere intellectionem, qua, vel homo, vel anima diceretur intelligere; non poſſe tamẽ intellectum ſeparatum ab anima intellectionem efficere.

Sed contra hoc eſt, quòd non poteſt aſsignari ratio ob quam non poſsit intellectus ſeparatus intellectionem elicere, ſi ſine animæ concurſu poteſt receptus in anima; nã

Hoc ſuppoſito contendo talem concurſum non poſſe ita ſuppleri à Deo, vt tamẽ actus maneat vitalis, quia concurſus vitæ talis eſt, vt nõ maneat vitalis, niſi dimanet actus à principio intrinſeco vitæ: probatur antecedẽs, quia propter hanc rationem diximus actum intellectus, vel motũ localem non eſſe vitalem, quãdo fit à Deo, ideòque intellectum non efficientem nõ poſſe intelligere: ergo neq; poteſt ſuppleri cõcurſus ſuæ vitæ ſubſtantialis, ita vt actus maneat vitalis, aliàs cõcurſus vitalis intellectus poſſet ſuppleri.

Dices: cõcurſum animę nõ poſſe poni in rerum natura, quia eſt concurſus vniuerſalis cauſæ, qui non poteſt poni in rerum natura, niſi determinetur à concurſu ſpecialis põtẽtiæ vitalis; ſed concurſus intellectus eſt determinatus, & ita ſi ſic maneat actus, verè eſt intellectio, quia eſt ab intellectu, vt ſic.

Reſpondetur, verum eſſe quod dicitur concurſum animæ eſſe quaſi vniuerſalem reſpectu potẽtiarũ animæ: ideoque non poſſe poni, niſi à potentia determinatè: falſum tamen eſt quòd dicitur poſſe poni concurſum intellectus, vt ſic, ſine concurſu animæ; quia hic concurſus vitæ modificat eſſentialiter concurſũ vitæ ſubſtãtialis, vt dixi, & ita ſine illo nequit poni in rerum natura: cõditionalis autẽ vera eſt; q; ſi poneretur eſſet determinatæ ſpeciei.

Et declarari poteſt exemplo actionis creaturæ, quæ ſine concurſu Dei nequit poni in rerum natura, propter eſſentialem dependentiam: ſic ergo ſuo modo philoſophandum eſt in noſtro caſu. Et declaratur ampliùs: quia ſi concurſus intellectus poteſt modificare concurſum non vitalem: ergo cõcurſus animę poſſet etiam determinari à cõcurſu ſpeciali nõ vitali: & in hoc ſenſu intuli, poſſe ſuppleri cõcurſum vitalem intellectus: quanuis in hoc caſu, quo concurſus animę maneret ſine intellectus concurſu, non maneret intellectio. Sed neutrũ fieri poſſe conſtat ex hoc, quòd concurſus vitalis ſolũ eſt determinatiuus immediatus cõcurſus eius, quo concurrit anima, & actio animę ſolũ determinatur per actionem vitalis potentiæ.

Et ex hac ratione vlterius fit, non poſſe poni in rerũ natura concurſum vitalem intellectus, niſi ſimul anima con-

rãt ad has actiones, nõ solũ per physicam efficientiam potentiæ, sed simul etiã per se ipsã. In qua re, qui existimãt vniuersaliter substantiã non esse actiuam, cõsequẽter affirmabũt animã nõ cõcurrere immediatè per se ipsã ad has actiones.

Caietan. 1. p. q. 54. art. 3. §. *Ad illud quod obijcitur*, loquẽs de substantia Angeli, videtur negare substantiã Angeli concurrere efficienter ad intellectionem: eadem verò ratio videtur de anima rationali. Ex his verò, qui rem hanc in particulari tractarunt, nullus est, quem viderim, qui ex parte neget animam rationalem cõcurrere ad actionem vitalem.

Existimare tamen posset aliquis, non esse necessarium huiusmodi concursum. Probatur, quia ex nobilitate termini probari non potest hæc necessitas, quia potentia ipsa intellectiua nobilior est, verbi gratia, verbo mentis albedinis: ergo sicut verius est ad calefaciendum non esse necessariam substantiam ignis, quia calor sufficienter potest reduci in calorem, ita ad producendũ verbũ mẽtis nõ videtur necessarius cõcursus animæ, quia tale verbum sufficienter potest reduci in intellectum.

Secunda sententia videtur cõmunis authorũ asserentium animam concurrere ad has actiones: supponit aperte S. Th. 1. p. q. 76. ar. 3. in corpore, dũ probat in homine esse tantũ vnam animã, quia aliàs non posset assignari ratio ob quã in extensione vnius operationis sequeretur remissio alterius: idem habet quæst. de anima art. 11. in fine corporis, & 2. contra Gent. cap. 58. quæst. 7. & 1. par. quæst. 102. art. 1. ad 3. & Thomistæ communiter his locis; quã conclusionẽ ex Auicen. 6. natural. refert, & recipit Palat. 2. de anima fol. 62. tractans, an in viuenti sint plures animæ, Cardin. Tolet. 2. de anim. q. 7. Bañez. 1. generat. cap. 4. quæst. 8. art. 3. & hanc sententiam sequitur Fonsec. 5. Meta. c. 4. q. 2. sect. 3. & supponit 4. Meta. cap. 2. q. 1. sect. 2. Et probant Iuniores ratione allata, quia nisi intelligatur idem principium intellectionis, v. g. nutritionis, nõ potest assignari sufficiens ratio, propter quam ex assidua operatione intellectus, malè fiat nutritio, quòd si quælibet potẽtia sufficiens est ad suã operationem, quænam posset assignari causa, propter quam crescente concursu intellectus, vel sensus, minueretur concursus potẽtiæ nutritiuæ? in

In naturalibus enim ex magno concursu frigoris, verbi gratia, non minuitur cõcursus caloris, quia cuilibet potentię in suo genere debetur propri' concursus.

Et declaratur ampliùs ex doctrina specialium virorum asserentium minorem locũ dãdum esse speculationi intellectus, quia tepescit effectus, qui in oratione præcipuè intenditur, eam verò assignãt rationem huius, quia anima, dũ maiorem veluti deriuat cum intellectu concursum, necesse est minorem deriuet cũ voluntate, quia eiusdem animæ partitus concursus minor reddetur ad operationem vnius potentię, quo maior est in operatione alterius.

Verùm hęc ratiocinatio, vt minùs sapiens aliquibus appareat. Et declarant, quia si de operatione potentiarum materialium sit sermo, probãt hac ratione, animam concurrere ad actionem operationũ materialium: nam quòd vehemens sensatio interna fiat cum detrimento concoctionis, oriri potest, ex eo quod ex vehemẽti, vel potius cum vehementi attentione recurrũt ad caput spiritus calidi, vt constat ex calore vehementi, quem experitur caput: huiusmodi autem spiritus calidi iuuant, quã maximè ad concoctionem rectè efficiendam, & quia operatio sensus interni coniuncta est cum operatione intellectus, fit, vt multùm, & assiduè speculantes patiantur huiusmodi detrimentum.

Si verò de spiritualibus potentijs sit sermo, omninò videtur falsum, affirmare ex sola perfectissima perfectione obiecti, minui affectũ, vt experientia cõstat: imò fieret ex opposita doctrina, minui affectum voluntatis, non solũ ex intensiori intellectione, sed ex cognitione plurium rationum bonitatis in obiecto per plures actus intellectus, quod prorsus est contra experientiam, quia quando intellectus plures considerat rationes bonitatis in obiecto, eo magis, veluti à dulcedine bonitatis obiecti, allicitur grata voluntas, vt poterit vnusquisq; experiri in se ipso. Quòd si aliquando ratione speculationis minuitur affectus, non est præcisse ex eò, quia intellectus speculetur, & consideret rationẽ bonitatis in obiecto amando, sed quia aliquando cognoscẽs actu reflexo suam speculationem, in voluntate resultat affectus circa ipsam speculationem distinctus ab affectu antè elici-

elicitò circa obiectum ſpeculationis: vnde in ipſa voluntate partitur concurſus, aliàs niſi hoc contingat: exiſtimant verũ, affectũ diminui ex perfectione intellectionis, quę ratiocinatio ſatis oſtendere docet incertam eſſe rationem, qua citati autores vtuntur, vt probent animam concurrere ad has actiones, quod amplius conſtabit ex dicendis.

Sed cum. 2. lib. de anima diſp. 1. q. 4. ex eò probauim⁹, vnam tantùm eſſe animam in homine; quia operationes plures, non ita æqualiter perfectè procedunt ab illa, ſicut vna tantùm operatio: non eſt cur rationem hãc reijciamus, quę communis eſt, imò & negari non poteſt, ſi rectè experientia perpẽdatur. Sicut enim doctiſsimè, & ſatis de omnibus literis benè meritus Pater Vazquez. 1. 2. diſp. 34. c. 2. docet quòd potentię animę mutuò ſe impediunt: quod ipſe explicauit diſp. ſequenti ex illo cõmuni axiomate. *Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*, dicens, quòd cum virtus animę ſit finita, quò magis in plura diſtrahitur, minùs circa ſingula operatur. Vnde experiẽtia tam manifeſta de impedimento potentiarum animę, rectè cõuincit, ab anima has operationes procedere: neque alia poteſt eſſe cauſa præcipua, cur homo, quando maximè attendit circa aliqua, non æque attendat circa aliud, ac ſi tantùm circa illud attenderet; niſi quia pluribus intẽtus minor eſt ad ſingula ſenſus. Dixi, *Præcipua*, quia ego non negarem adhoc iuuare id, ad quod impugnatores noſtrę rationis paruam attentionẽ, ſeu nullam circa aliqua, quando quis attẽdit circa alia, tribuebant: nam certum eſt ſpiritus, qui aſcendunt ad caput iuuare ad alias operationes, & ſic illis ablatis, vel nullo modo fieri illas, vel ſi fiunt, non facilè. (Quo poteſt ſolui ratio facta contra noſtram, ſi aliquid probare videatur.) Sed dico, hoc præcipuè debere reducĩ adhoc, quòd cum virtus cauſę cuiuslibet creatę ſit finita, eo ipſo, quòd ad plura diſtrahitur, maiori conatu circa illa tendit: quæ ratio per ſe ſe mihi videtur manifeſtiſsima; nã meo videri, negari nõ poteſt, quòd ſi ignis ageret per eandem partem in duo paſſa, adhùc æquè approximata, min⁹ ageret, quam in vnum; quod ſuadeo, quia virtus ignis eſt finita, ſicque, ſi anima diſtrahitur ad vnam operationem, nõ ita rectè circa aliam operatur,

ac

ac si tantùm circa vnam operaretur.

Notandum tamen est cum sapientissimo Patre Vazquez, cuius discessus à vita animis doctissimorum non parũ męroris, ac tristitiæ intulit. 12. disp. 35. c. 2. cognitionem non esse impedimentum voluntati, vt ardentiùs amet, sed potiùs iuuare, quia quanuis, quo magis ad plura distrahitur, minus circa singula operatur, tamen cum hæ operationes intellectus, & voluntatis suapte natura ordinatæ sint, & connexæ, vna alteri non tantùm non nocet, sed eam mirabiliter iuuat: vt quò perfectior fuerit cognitio, & quo plures rationes bonitatis in obiecto cognoscãtur, perfectior sit dilectio: secus verò contingit in operationibus non connexis, nec subordinatis. Quo respondetur ad rationem contrariorum, qua nostra ratio eneruari videbatur. Imò adderem, quòd adhuc in his potentijs subordinatis, si maxima attentione intellectus circa vnum obiectum tendat circa aliud obiectum, voluntas non æquè tẽdit, licèt in illud, circa quod est cognitio ex perfectiori cognitione perfectè tendat: q manifestè indicat potẽtias nõ æque operari circa plura, ac operaretur vna circa vnũ propter rationem dictam, & liquet manifestè, ex eo quòd potentiæ impediantur ab inuicem in suis operationibus, hoc fieri, quia ab vno principio, scilicet ab anima tales operationes procedunt.

Probant alij eandem sentẽtiam ab inconuenienti, quia si solus intellectus esset principium physicũ intellectionis, separatus posset intelligere. Verùm si quis consideret animam non concurrere efficiẽter, & intellectum posse separari sine incõuenienti, posset concedere, intellectum posse causare efficienter, & recipere intellectionem, imò, etsi de potentia absoluta posset intellectus poni in lapide, existens in illo, posset efficere, & recipere intellectionem, qui tamẽ poni non potest.

Illud verò videtur certum animam esse principium physicum nutritionis substantialis, quia potentia accidentalis superaddita non potest esse causa principalis effectus substantialis, vt constat ex sæpe dictis de causa principali, & instrumentali, & ideò absolutè verum non est, quod affirmat prima sententia.

Dubium esse potest de alijs operationibus vitalibus,

&

& in his etiam mihi videtur probabilior secunda sententia, & propter authoritatẽ D. Thomæ, cuius mens videtur communis, & omnibus authoribus placet, vt probabilior.

Et probari potest primò ex eo, quòd fundamentum oppositæ sententiæ non omninò conuincat propter diuersam naturam actionis vitalis, & nõ vitalis; multa enim singulariter concedũtur de actione vitali, quæ de actione naturali neganda sunt.

Et declaratur secũdò, quia si actio vitalis, vt probauimus, est principium, vnde ratio perfecta actionis vitalis dicit dependentiam à prima, & substantiali vita, quæ est prima radix operationis vitalis: & secundum hoc intelligitur, actionem intellectus agentis non esse vitalem, quia ex natura rei nihil est in hac productione, quod videatur requirere concursum vitæ substantialis. Neque inuenio in hac re maiorem probabilitatem pro hac sententia: & quoniam ad hoc eodẽ modo philosophandum est de substantia Angeli: & ideò Caiet. non videtur loqui consequenter, dum hoc negat de substantia Angeli: & tamen doctrina D. Thomæ loquens de anima locis citatis, videtur sine exceptione recipi: neque potest assignari aliquod speciale fundamẽtum ad affirmãdum hoc de substantia animę, quod negat de substantia Angeli.

Quòd si quis obijciat ex doctrina diui Thomæ substantiam non esse principium immediatum operatiuum, diximus iam; negari enim non potest, vt de nutritione probaui, animam concurrere ad operationem simul cum potentia, & in rigore immediatè cõcurrit, quia actio per se ipsam immediatè pendet à potentia, & ab ipsa anima: dicitur ergo substantiã non operari immediatè, quia non operatur per se solùm, sed simul cum potentia sibi subordinata. Et idem dicendum est de anima sensitiua, & vegetatiua plantæ, & brutorum, quòd scilicet concurrant efficienter ad suas actiones, in quibus, cùm diuisibiles sint, & extensæ, posset habere locum fundamentum authoris: quomodò enim potest probari, parti animæ existenti in pede negari concursum ad suas operationes, ex hoc præcisè, quòd pars aliqua existens in capite intensè eliciat aliquam operationem, cùm sint diuersę partes existentes in diuersis locis

cis, & partibus materiæ.

Sed quæret aliquis primò, an verum sit, concursum animæ minui, dum concurrit cum diuersis potentijs. Ratio dubij est, quia quidquid sit de experientia, qua vtuntur authores, videtur dicendum, concursum animæ minui, sicut concursus potentiæ minuitur, dum simul elicit plures actus; & authores oppositæ sententiæ hoc videntur affirmare, & suppone re vt certum: existimo tamen non minui huiusmodi cõcursum, ex eo quòd anima concurrat cũ diuersis potentijs: quod probatum est contra fundamentum oppositæ sententiæ.

Et declarari potest, quia cõcursus animę respectu suarum potentiarum est veluti cõcursus causę vniuersalis determinandus à suis potẽtijs, & ideo præcisè, ex eo quòd determineturad intelligendum, non minuitur ad nutriendum.

Et declarari potest in opinione asserentiũ, cœlum concurrere cum his inferioribus, ex hoc enim, quòd cum siccitate concurrat ad exiccandũ, nõ intelligitur cõcursus caloris diminutus ad calefaciẽdũ, quia potẽtijs proportionatur: & hæc est ratio à priori cõtra fundamẽtũ secũdæ sentẽtiæ.

Tunc autem minuitur concursus animæ, quando concursus vnius potentiæ diminuitur, diuiditurve in plures actus; tunc enim concursus animæ diuidendus ad diuisionem concursus potentiæ, simul cum concursu potentiæ diuiditur.

Secũdò posset quęrere aliquis, an terminus actionis vitalis possit fieri sine concursu animæ. In quo possent esse varij modi dicendi, sicut in simili de potentia ipsa vitali; & idẽ existimo in hoc dubio, & in illo: semper enim mihi placet, quòd ex authoribus citatis ibi specialiter tradit Gregorius, omnem effectũ in genere causæ efficientis posse fieri à solo Deo, quando sine imperfectione fieri potest, pro quo adducit Greg. articulum Parisiensem oppositum damnantem vt erroneum.

Tertiò quærere posset aliquis, an si solus Deus cum intellectu produceret terminũ intellectionis sine cõcursu animæ, quẽ dicimus habere de facto, constitueret intellectus in statu intelligẽtis vitaliter, quę dubitatio solũ habet locũ in doctrina eorũ, qui affirmant de facto animam concurrere, in quibus de hoc nec vestigium inuenies.

Posset

Possent quidē esse varij modi dicendi, breuiter tamē mihi videtur probabilius, per talem concursum constitui intellectum in esse intelligentis vitaliter, quia etiamsi in eo casu intelligamus actionem intellectus non pendere à prima radice vitæ, scilicet à substantia animæ, tamen negari non potest, quin sufficienter intelligatur pendere à potentia vitali efficienter, & materialiter, ita vt sufficienter possit concursus ille distingui à concursu non vitali, vt constare potest ex his, quæ fusè diximus de actu, & potentia vitali suprà. Ex quibus facile est soluere aliquas obiectiūculas, quę contrà doctrinā huius hypothesis fieri possunt.

Quartò quęrere posset aliquis, an si anima concursu Dei sine concursu intellectus, efficeret, & in se immediatè reciperet terminū intellectionis, cōstitueretur in statu intelligētis. Suppono ex dictis probabiliùs esse terminū intellectionis nulla virtute posse recipi in anima immediate: vnde præsens dubitatio solùm potest habere locum ex hypothesi, si reciperetur, nā q posset illum efficere cum cōcursu Dei, videtur certum ex dictis.

Hic etiam fingi possent varij modi dicendi: arbitror tamen probabilius, animam nō constitui in statu intelligentis vitaliter, quia ex modo receptionis distingui non posset à modo receptionis rerum non vitalium, vt constare potest ex dictis de actu vitali suprà. Sed neque ex modo efficiendi, quia anima ipsa nequit efficere ad modum quo potentia ipsa vitalis efficit, neque efficeret in eo casu concursu, quo efficit simul cum potentia vitali, dum ab illa quasi determinatur ad agendum: vnde in rigore non agit concursu proportionato potentiæ vitali, nec sibi, vt vitæ substantiali, & sic non videtur vitaliter operari, vt rem subtiliùs contemplanti constabit. Plura, quæ in vtramque partem dici poterāt, colligi possunt proportione seruata ex dictis de actu & potentia vitali.

Disputatio Quinta. De natura habituum naturalium.

AD completā cognitionē potentiæ vitalis, oportet, vt in genere saltem disputemus de habitibus intelle

tus potentiæ cognoſcitiuæ animæ, quę iuuant animam ad ſuas operationes. Ex qua diſputatione intelligetur, quomodo habitus diſtinguantur ab ſpecie impreſſa, quę etiam concurrit cum potentijs animæ ad ſuas operationes. De hac materia diſputant Theologi in 3.d.23. D. Th. & illius diſcipuli.1. 2. q. 49. vſque ad quartam incluſiuè.

Quæſt.I. An ſit habitus cauſatus ab actu.

NOmen habitus varias habet ſignificationes, vt docuit D.Th.q.citata ar. 1. Durandus.d.citata.q.1. quas retuli capite de qualitate: in præſenti ergo nomine habitus intelligunt authores qualitatẽ quandam ſuperadditam potẽtiæ, quæ pertinet ad primam ſpeciem qualitatis, vt dictũ eſt capite de qualitate, & docet D.Th.q.49.art.1.& 2.qui art.3.diſputat, an huiuſmodi qualitas dicat ordinem ad obiectum: in quo obſeruandę ſunt generales doctrinæ de relatione tranſcendentali.

Primò ergo cõſtitutum eſt apud authores, habitus eſſe in rerum natura, & probant nõnulli ex Thomiſtis, colligi, vt Durandus loco citato, & D. Th.art.4. & alij, ex indeterminatione potentiæ: quia oportet, inquiunt, vt potentia, indeterminata ad plura, determinetur ad hoc, vel ad illud obiectum per habitum: Hæc tamẽ ratio inefficax eſt: quia potentiæ cognoſcitiuæ, ſufficiẽter determinãtur per ſpeciem obiecti, vt conſtat ex his, quæ fuſſè hactenùs dixi.

Et probatur euidenter de primo actu potentiæ cognoſcitiuæ, ante quem nondũ eſt genitus habitus: ex communi enim ſentẽtia ſcholaſticorum habitus acquiſiti ſupponunt ſaltem aliquem vnũ actũ: potẽtię verò appetitiuę ſufficiẽter determinantur ex cognitione obiecti, vt ſuprà docui, & manifeſtè conſtat in primo actu potentię appetituę, ante quem nõ eſt aliquis actus acquiſitus in voluntate reſpectu illius obiecti: ergo ſimpliciter ad determinationem potentię non eſt neceſſarius habitus. Probanda ergo eſt hęc doctrina ab experientia, quia aliquę potentię ex aſsiduitate operandi reddũtur faciliores ad ſubſequentes actus, vt experientia docet: ergo ex illis actibus relinquitur in potentia aliqua qualitas, quę iuuat ad faciliorem operationem: hanc verò, vt dixi, nomine ha-

habitus intelligunt authores.

Sed dicet aliquis, in intellectu verbi gratia posse saluari huiusmodi facilitates ex noua productione speciei circa idem obiectum, vel saltem ex intensione prę existentis speciei. Respondeo, de intellectu dicam infrà: de potentia verò appetitiua certum est non habere locum hanc doctrinam, quia in potentia appetitiua, vt dixi disputatione de appetitu, nõ datur principium aliquod inhęrens tenens se ex parte obiecti.

Secundò cõstitutum est apud authores, id quod cõuincit experientia, huiusmodi habitus adquiri medijs actibus iuxta doctrinam Aristotelis: difficultas tamen est de modo, quo cõcurrat actus ad productionem habitus.

Durandus distinctione citata indicat actum non concurrere efficienter: & aliquis posset existimare concurrere, vt materialem dispositionem, vt nonnulli philosophantur de specieb' impressis, ex eo quia sufficienter hoc modo explicatur necessitas actus ad productionem habitus. Hanc sententiam impugnant nonnulli ex Iunioribus, ex eo, quia actus non ponitur, vt principiũ efficiens habitus, & ponitur intellectus: in auditum enim est potentiam vitalem agere actione immanenti non appetitiua, nec cognoscitiua, aut producere effectum non dependentem in conseruari ab actione immanenti. Hæc tamen refutatio nõ est efficax, quia vt constat ex dictis intellectus possibilis producit in se ipso speciem obiecti: ergo ex hoc capite non implicat produci habitum ab intellectu.

Communis, & vera Theologorum sententia est actum concurrere ad habitum efficienter. Sic ferè scholastici in 3. dist. citata, D. Tho. q. 12. & eius discipuli, cum quibus dico secundo: actus efficienter causare habitum. Probatur, quia positis actibus, ponũtur habitus: ergo actus concurrũt efficienter. Probatur ex refutatione oppositę sententię; quia actus non sic concurrit in genere causę materialis, vt recipiat immediatè habitum. Quod probatur, quia habitus perseuerat deficiente actu: ergo naturalis causa materialis habitus nõ est actus, vt cõstat ex principijs Physicis: eodem modo probatur non benè intelligi, actum esse materialem dispositionem tenẽtem se ex parte materię & subiecti, quia defi-

deficiente actu connaturaliter recipitur habitus : aliter verò non posset assignari philosophica ratio propter quam in hac materia esset requisitus actus, vt dispositio materialis ad solam productionem habitus.

Secũdò probatur, quia hoc modo melius intelligitur, qua ratione ex actu sequatur habitus, & declaratur à simili de specie impressa, & de phantasmate respectu speciei intelligibilis. Et cõfirmatur ex proportione actus, cum habitu, & generica similitudine vtriusque respectu eiusdem obiecti: vnde excluditur modus, quo posset aliquis fingere actum esse requisitum, veluti conditionem ex parte agentis: hoc, inquam, excluditur, quia multo melius intelligitur, vt dixi, si in actu ipso ponamus concursum efficientis, & vbicumque hoc potest, & licitum est explicari per dependentiam à re, nobilior ac præstantior omnibus philosophis philosophia sine aliquo dubio apparere debet.

Posset tamen aliquis dubitare de modo, quo actus concurrat ad productionem habitus; in quo varij possunt esse modi dicẽdi, sicut in simili de specie impressa respectu actus: & specialiter hîc posset aliquis existimare, actus agere concursu speciei impressæ ad productionem habitus: hęc tamen doctrina vniuersaliter vera esse non potest, quia actus voluntatis non potest agere simili concursu, vt constat ex dictis.

De potentia ipsa posset aliquis existimare, quòd concurrat efficienter ad productionem habitus; quod videntur supponere nõnulli authores, qui, vt dicemus quæstio. 3. existimant actum esse causam principalẽ habitus, & ratio esse potest, quia hoc modo optimè assignatur causa habitus, & nullũ videtur incõueniens, absolutè tamẽ veriùs videtur, actum esse solam causam habitus. Probatur primò à simili, quia actus ponitur causa sola speciei impressæ, quando potest causare illam, vt constat de actu sensus externi respectu speciei sensus interni, & de actu intellectus respectu propriæ speciei.

Et secũdo probatur, quia sufficiẽter potest reduci habitus in solũ actũ: ergo non est cur reducatur in ipsam potentiã. Probatur & declaratur, quia habit' est qualitas quędã speciei maximè similis, licèt abil

la

la distinguatur, vt infrà dicemus: neq; apparet in illo aliqua perfectio, quæ nõ possit, reduci in actũ, propter quam necessariũ sit fingere concursum potẽtiæ, respectu habit', hactenus inauditũ: & hãc sententiã, licèt obscurè, videtur supponere cõmuniter authores, ita verò intelligenda est hęc doctrina, vt dicamus terminũ ipsius actus vitalis esse principium efficiens ipsius habitus: vnde non placet Burida. qui 2. Ethicor. quæstione tertia videtur indicare actum ipsum esse fieri habitus, constat enim ex dictis in his actibus esse, fieri, & terminum distinctum. Addendum est, hanc efficientiam esse per actionem mediam iuxta vniuersalem doctrinam traditam 5. physicorum.

Sed quæret aliquis, quomodo Aristoteles dixit septimo physicorũ ad habitum nõ esse per se motum. Non desunt qui existiment, vt dixi septimo libro Physicorum, illum non esse Aristotelis: alij existimant multa in eo libro dici ab Aristotele disputatiuè in vtramque partem: & Scotus quodlibeto. 13. putat Aristotelem locutum esse ex sententia aliorũ Diuus Thomas quæstione de virtutibus art. 9. ad. 20. apertè concedit mutationem ad habitum, solùmque negat alterationẽ corruptiuam, & materialem; & sic videtur intelligere locum citatum Aristotelis: & 1. 2. q. 50. artic. 1. ad tertium locum de habitibus corporalibus, dicit non esse per se primò alterationem ad illos, & ex consequenti. Legatur Capreolus in 3. dist. 23. ad argumenta Durandi. Toletus 7. physicorum quæst. 3. Saxonia ibi, Valles. in Physicis controuersijs. q. 4. Sed quidquid sit de mẽte Aristotelis hæc vltima sententia probabilior videtur. Restat explicemus an vnus tantũ actus causet habitum.

Prima sententia est asserentium aliquem habitũ non generari ex vno actu: sic videtur sentire D. Thomas, 1. 2. q. 51. art. 3. & Thomistæ indicãt eo loco. Secunda sentẽtia est asserentium nõ quemlibet actum producere habitũ, nisi forsan sit productũ. Est communis Scholasticor. in 3. d. citata: eam docet Héric. quodlibeto quinto. q. 16. de qua cõtrouersia.

Dico secundò principaliter actum esse productiuum habitus in latitudine suę speciei. Indicat Diuus Thom. q. 22. de veritate & q. 24. ar. 6. ad 2.

&

& in 1.d. 17.q.2.art. 5. ad. 4. Et probatur, quia si aliquis actus ex ſpecie ſua eſt factiuus habitus: ergo producit habitū, niſi inueniat productum. Probatur efficaciter, quia quòd in latitudine eiuſdem ſpeciei cauſet, ſic minus, vel maius ſecundum intenſionem, non arguit cauſam illam non eſſe actiuam, ſed ſolùm quòd poſſit facere maiorem, vel minorem effectum, vt conſtat in calore, & alijs naturalibus qualitatibus, & ita contingit in præſenti cauſa.

Et declaratur, quia ſi aliquis actus, verbi gratia primus, nihil produceret in potentia: ergo omnes ſubſequentes æquales nihil efficiunt. Probatur conſequentia, quia omnes ſunt, vt ſuppono, æqualis actiuitatis: neque ad efficientiā vltimi aliquid referūt priores præceſiſſe, ſi in ipſa potētia nihil omninò effecere; vt aperte conſtat: nulla enim intelligitur in potentia ipſa maior diſpoſitio, vel cauſa reſpectu vltimi actus, quàm reſpectu primi. Et exemplum guttullarum aquæ ſenſim cadentium, quo ſolent vti, authores oppoſitę ſententiæ re vera cō firmat hanc doctrinam, quia gutta prima nihil omninò effeciſſet, neque æqualis poſterior aliqui efficeret, vt cōcludit ratio facta. Addendum verò eſt iuxta communē modum loquendi, aliquando nō dici habitum quamcumq; imperfectam facilitatē, videtur enim nomen habitus importare diuturnitatem quandam, & firmitatem. Legatur D. Th. 1.2.q. 49. art. 2. ad 3. & 2.2.q. 26. ar. 6. ad 2. de virtutibus ar. 9. ad 11. Ariſt. capite de qualitate, & capite de oppoſitis, & hic cap. 8. lib. 2. cap. 1.

Ex dictis verò colligitur, habitum cauſari ab actibus ſibi proportionatis, vt docet experientia, quia habitus acquiſitus ad ſimiles omninò actus inclinat.

Quæſt. II. In quibus potentijs ſint habitus.

DIctum eſt de cauſa efficiēti habitus: dicendum modò eſt de cauſa materiali; nā, cū huiuſmodi facilitates ſint accidentia, neceſſe eſt cauſam materialem eſſe, de cuius potentia educantur. De qua egit D. Th. 1.2.2.q. 50. & Scholaſtici loco citato, & quidem D. Tho. ar. 2. dubitat, an habitus ſit immediatè in anima, vel in potentia, quod nos ſuo loco diſputauimus de ſpecie impreſſa, & D. Tho. & alij affirmant hu-

huiusmodi habitus esse immediatè in potentijs, dum de naturalibus loquuntur. Dubium enim est inter alios de supernaturalibus, an aliquis sit in anima, quòd non est huius loci.

Contra doctrinā verò istā potest esse difficultas, quam proposui in simili de specie impressa, quia ad rationē causæ sufficientem simultatem potest habere habitus, etiam si sit immediatè in anima. Secundò potest esse dubium, an huiusmodi habitus sint immediatè in ipsis speciebus.

Absolutè tamen placet cō munis sententia, quia quælibet forma, & principiū agēdi est in subiecto sini suo accōmodato: habitus accommodatus ad eliciendum actū intellectus connaturaliter ponitur in ipso intellectu, sicut potentiæ animæ rationalis, intellectus, & voluntas ponuntur in ipsa anima.

Et declarari potest ex proportione, quæ est inter habitum, & actum, videntur enim ita esse eiusdem ordinis, vt habeant eandem causam materialem, sicut primæ, & secundæ qualitates, ita sunt eiusdē ordinis, vt habeant eandē causam materialem: vnde habitus immediatè debent esse in potentia non in specie. Probatur quia habitus voluntatis immediatè est in ipsa potētia, in illa enim, vt sæpe dixi, non est species, neque aliquid simile: ergo habit' intellectus immediatè etiam est in ipso intellectu, quia eadem est proportio huius habitus cum sua potentia, quæ est habitus voluntatis cum volūtate: ex quo etiā excluditur alius modus, quo posset aliquis fingere speciem esse veluti materialē dispositionem ex parte potētiæ, vt recipiat habitum, vt omittam communem Theologorum sententiam asserentiū lumen gloriæ recipi immediatè in intellectu beati: supponūt ergo, neque esse in specie, neque illam requirere connaturaliter in eodem ordine.

Prima autem ratio dubitandi soluenda est ex dictis in simili de specie impressa. Secūda verò iam est soluta. Restat specialiter explicemus, in quibus potētijs sint habitus. In quo primò supponendum est, in potentijs naturalibus determinatis ad vnum, verbi gratia in calore, vel grauitate non poni huiusmodi facilitates, neque in sensibus externis. Cuius rationem reddunt aliqui, quia huiusmodi potentiæ, quoad modum operandi

determinatæ sunt: amplectuntur enim hi authores doctrinam illam de necessitate habitus propter indifferentiam, quæ tamẽ suprà refutata est: vnde in his omnibus ratio petenda est ab experientia; à priori verò sumẽda est ex natura actus, qui non est factiuus habitus.

De intellectu verò affirmat Diuus Thomas quæstione citata ar. 4. Scholast. loco citato distinction. 23. Et ratio debet sumi ab experientia non ab indifferentia, vt constat ex dictis. Quòd si aliquis velit facilitatẽ intellectus solũ reduci in productionem speciei ab ipsis actibus. Contra hoc est primò communis ferè cõsensus Scholasticorum, & præsertim D. Th. qui eo sensu in intellectu ponit habitum, quo negat in sensu externo, & in sensu, in quo solùm negat habitum, prout condistinctum aliquid ab specie, & eodẽ modo ponit habitum in intellectu, sicut in voluntate, & tamen in voluntate D. Th. non agnoscit speciem, neque aliquid simile. Multa similia affirmat D. Th. quæ satis explicant mentem eius. Et ratio à simili est satis efficax, quia si actus voluntatis potest producere in ipsa voluntate facilitatem aliquam tenentem se ex parte potentiæ: ergo actus intellectus potest producere huiusmodi facilitatem in potentia, quæ est capax habituum.

Dices, licèt actus voluntatis producat in voluntate habitum, non valet: ergo actus potentiæ visiuæ producit habitum in visu: ergo neque valet similis consequentia in intellectu.

Secundò licèt actus intellectus producat in intellectu speciem, nõ valet à simili: ergo actus voluntatis producit speciem in voluntate: ergo licèt actus voluntatis producat habitum in voluntate, nõ valet à simili, ergo actus intellectus producit habitum intellectu.

Ad primum respondeo illam obiectionem iam esse excluſam in forma colligendi per illam particulam *In potentia*, quæ est capax habitus cõstat enim ex habitibus supernaturalibus intellectum esse capacem habitus.

Ad secundum facilè etiam respondetur, voluntatem nõ esse potentiam operatiuam simul cum specie, vel cum aliquo illi simili, & ideo actus eius non est productiuus talis principij, secus tamen se res ha-

habet in intellectu, vt constat ex dictis.

Posset tamen quærere aliquis, an per actum apprehensionis in ipso intellectu producatur aliquis habitus. Suppono id, quod videtur constitutum apud authores, iuditiũ relinquere habitum; de apprehensione verò non ita clarè loquũtur, imò nonnulli ex Iunioribus negant, actum apprehensionis generare habitum, quia ad apprehensionem existimant intellectum sufficienter determinari per species. Vnus est Fonseca, qui 1. Meta. c. 5. q. 4. sect. 3. concedit in apprehensione habitũ, tamẽ non ita clarè loquitur, vt possimus affirmare mentẽ illius esse concedere habitum omninò distinctũ ab speciebus: ego tamẽ existimo per actum apprehensionis generari habitũ. Quod probari potest primo ex facilitate, quã quis experitur in apprehensione ex assiduitate actuum; in hoc enim nullam agnosco maiorẽ certitudinem, quam in facilitate iudicij.

Secundò probatur efficater. In actu apprehẽsionis sensus interni datur habitus, vt infrà dicemus, & facilitas quędam etiam in sensu brutorum iuxta D. Th. in quo tamẽ sensu iudicium nõ est: ergo actus apprehensionis intellectus in potentia, quæ capax est habitus, generat habitum. Argumentum est à simili, & à minori ad maius, cęteris paribus ex parte potentiæ, & ex parte actus, vtraque enim potentia est capax habitus, & vterque actus est apprehensionis. ratio verò illa de indeterminatione iam refutata est. De actu primo iudicij certum est apud authores relinquere habitũ, quod probandum est ex dictis: sed circa actum intellectus quærere posset aliquis, an actus primorum principiorum generent habitũ, de quo in libris de posteriori resolutione dicemus.

Existimo enim iuxta allatã doctrinam, hos actus generare habitum, & probari potest ex facilitate, quam experimur ex assiduitate actuũ circa hęc obiecta. Ratio vero à priori petenda est, ex ipsa natura actus, estque mens D. Thom. q. 51. art. 1. ad 3. 2. contra Gentes cap. 58. & videtur mẽs Aristot. 2. de posteriori resolutione capite vltimo: quam plures Iuniores amplectũtur hoc tempore: vnde displicet oppositа sententia Durandi in 1. dist. 3. & Soti. 1. de iustitia. q. 9. art. 1. existimantium habitũ

primorum principiorum non distingui à potentia intellectiua. Nec placet quod alij etiam indicant, hunc habitum esse infussum, non acquisitũ: quibus fauet Diuus Thomas. 1. 2. quæst. 74. art. 1. ad quartum quod dicitur sine fundamento, & cõtra rationem factam. Legatur Fonseca loco citato.

Secũdò posset aliquis quærere an apprehensiones repetitę circa rationem cõmunem entis, vel alterius prædicati communis efficiãt habitũ. Et respondetur huiusmodi cognitiones generare habitum, qꝑ probandum est ex facilitate, quam experimur post frequẽtem repetitionem actuũ circa huiusmodi rationes: an vero in voluntate ex volitionibus, circa bonum in communi, aut circa honestũ in cõmuni generetur aliquis habitus, controuersia est, non huius loci, pertinet enim ad materiã de virtutibus in particulari.

Secundò principaliter de voluntate docet D. Thomas articul. 5. & Scholastici locis citatis ponendum esse habitũ in illa, & probant multi ex determinatione voluntatis, sed hoc fundamentum supra refutatum est. Probanda ergo est hæc communis sententia ex facilitate, quam experimur ex repetitis volitionibus, qu ratio specialem habet effic citatem in voluntate, in q nullo modo potest huiusmc di facilitas reduci in specien quia vt diximus disputation de appetitu, hæc nõ est in v lũtate. Aduertendũ vero e nos non negare habitũ acqu situm iuuare ad facilioré qu dam determinationem pote tiæ, & quod in voluntate r quiritur, ducit ad facilioré propensionem, vt docet e perientia, quæ tamen facilic propensio potest habere l cum circa, quodlibet obi ctum, vt experiẽtia docet: sc lũ ergo negamus simpliciter esse requisitum habitũ ad d terminandam potentiam, i vt quoties, intelligit potent sufficienter determinata, no requiratur habitus, & hoc e quod suprà reiecimus.

Tertiò de sensu cognosc tiuo interno cõmunis est sen tentia cum Diuo Thoma s prà artic. 3. in intellectu es habitum: & quidem quòd s habitus probandum est pra facta ratiocinatione de facil tate, quam experimur ex r petitis actibus. Quod ver huiusmodi facilitas sit ali quid distinctum ab specie, tenens se ex parte potenti probandum est à simili, qu

act

actus appetitus sensitiui secundum probabiliorem opinionem generant habitum distinctum ab specie, vt constat ex dictis, quæ ratiocinatio declaranda est, sicut similis de actu intellectus: actus etiam sensus interni brutorum generat facilitatem iuxta Diuum Thomam suprà articulo tertio, & Thomistas ibi ex doctrina Augustini tomo quarto libro. 83. quæstionum quęstion. 36. Signum efficax est ex facilitate memorandi, quam, experimur in illis. Scio Diuum Thomam, & alios velle huiusmodi facilitates non propriè vocari habitus, de quo non contendo modo, concedantur facilitates istæ tenẽtes se ex parte potentiæ.

Quartò de appetitu sensitiuo etiam existimo in illo esse habitum. Probãdum est ex magna propensione, quã experimur circa obiecta, in quæ tendit appetitus sensitiuus, & declarari potest à simili de appetitu rationali, quod sine causa negauit Ocan quodlibe. 2. quæst. 16. & probabile putat Grabiel in. 3. dist. 23. dubio. 1. dicunt tamen facilitatem hãc posse reduci in solas materiales corporis dispositiones. Sed contra hoc sunt rationes factæ, & impugnari potest & dicitur, quia etiam perseuerante eadem dispositione corporis, ex sola repetitione actuum, experimur facilitatem in his actibus.

Sed quærere posset aliquis, an idem sit in appetitu brutorum. Nonnulli enim Iuniores videntur indicarẽ, non esse necessariũ admittere habitus in illo, quia ille sufficiẽter determinat' est in sua obiecta: Sed hoc fundamentum iam refutatum est, & oppositum reuerà apparet probabilius. Primò à simili de appetitu sensitiuo nostro, secundò efficacius à simili de sensu interno brutorum: sunt verò sensus hi, & appetitus sensitiuus, potentiæ proportionatæ in eodem ordine: sicut ergo potentia intellectiua, & appetitus rationalis habent in suo ordine facilitates has: ita sensus, & appetitus sensitiuus.

Vltimò posset quærere aliquis, an in membris corporis generentur aliqui habitus. Absolutè videtur negare Diuus Thomas suprà art. 5. ad vltimum, Almainus in tertio distinctione. 23. quæstio. 1. & tom. 2. Moral c. 17. & Thomistæ communiter. Et fundamentum est, quia huiusmodi membra sufficienter sunt de-

ter-

terminata ad motũ; ſed quidquid ſit de re ipſa, fundamentũ diſplicet. Oppoſitũ exiſtimat Scotus in 3.diſt. 23. q. 1. Gabriel.d.230.Ocam quodli. 3.q.17. & abſolutè negari nó poteſt, quin in ipſis membris reſpectu quorumdam actuũ, ex aſsiduitate actuũ generetur quædam facilitas, & experiẽtia docet in actu pulſandi. Difficilius tamẽ eſt, an hęc facilitas ſit aliqua qualitas ſecũda, quæ poſsit reduci in aliquam diſpoſitionem primarum. Iuuant hæ reverà multùm ad eliciẽdum motum, & ad faciliùs efficiendum.

Et nõnulli Inuiores, in hoc poſſe reduci, huiuſmodi facilitatem, & in re incerta hoc videtur probabilius: tum, quia, vt dixi, multùm iuuant huiuſmodi qualitates ad eliciendas has actiones, ſicut etiam impediunt, vt conſtat in frigiditate, qua interdum impedita manus, vix poteſt exercere actionem: tum etiam, quia non ſatis intelligitur, qua ratione terminus motus localis producat aliquam qualitatẽ. Primò quia vix poſſet aſsignari cauſa philoſophica, ob quam eadem omninò forma ſecundum ſpeciem non producat ſimilem qualitatem in non viuentibus.

Secundò, quia ſi huiuſmodi qualitas fiat à ſolo termino motionis localis non ſatis intelligitur, quomodo ſit qualitas natura ſua permanens cõ currens cum potentia viuentis ad motum, & non ſit perfectior ipſa potentia, & tam perfectior eſſe non poteſt, ſi ſola præſentia fit. Si verò dicat aliquis huiuſmodi qualitatem pendere, vel à primis, vel à ſecunda aliqua motione, vel præſentia habente ſe, vt conditione, iam non poteſt eſſe controuerſia de re, quia ſecũdùm hanc doctrinam facilitas refertur in ſecundam aliquam qualitatẽ, vel in diuerſam miſtionem primarum, & ſolùm aſsignatur motus vt conditio, ſicut cum motus eſt cauſa caloris, & hoc eſt loquendo de facilitate ipſa ad motu quoad ſubſtantiam vt ita dicam, vt verò ſit etiam facilis ad modum ordinatum, & artificioſum in membris ipſis nihil aliud requiritur, in potentijs verò imperantibus huiusmodi motum, & dirigentibus illum requiruntur habitus: hæc videtur mens D. Th. ſupra, dum dicit in membris capitis non eſſe habitus, ſed magis in viribus imperãtibus motum ipſarum: vnde etiamſi in his potẽtijs deficiãt habitu

qu

quęuis optima disposítio iuuat ad facilitatẽ membrorũ, sicut etiam mala disposítio solet impedire illam, licèt in potentijs imperátibus sint perfectíssimi habitus.

Quæst. III. An habitus concurrat efficienter ad actum.

PRima opinio negat habitũ concurrere efficienter. Sic Aureolus apud Capreol. in 1. q. 17. & vt probabile defendit Scotus q. 2. Durandus in 3. distin. 23. q. 3. & 4. Paludan. q. 2. Probant quia in actu solũ potest considerari intensio, facilitas, substátia, & bonitas moralis: sed substantia sufficienter fit à potentia, vt constat in primo actu, & idem est de intensione, & facilitate, vt dicemus, & idem est de bonitate transcendentali, si est aliquid reale Physicum; bonitas verò moralis non est ad rem: non ergo habitus concurrit efficienter ad actum.

Secunda opinio sentit, habitum esse causam efficientem actus non propter substantiã, sed quia requitur ad intensionem. Sic Scotus suprà: & videtur indicare S. Th, in 4. distin. 49. q. 1. ar. 2. quæstiuncul. 2. ad 2.

Tertia opinio affirmat habitum esse requisitum ad facilitatem. Ita Henricus quodlibet. 4. q. 22. estque ferè communis vox Philosophorũ huius ætatis, & ex dicendis intelligetur, quem sensum possit habere.

Dico primò non posse habitum esse principium actus quoad facilitatem, & intensionem tãtùm, & non quo ad substantiã. De intẽsione probatur efficaciter, quia intensio ex parte termini non distinguitur ab entitate termini, vt constat ex dictis de intẽsione primo de generatione. Et declarari potest in calore verbi gratia, quia nullum principium potest dici principiũ intensionis caloris, quod non faciat aliquam partem caloris, vel totum calorem. De facilitate probatur, quia facilitas operandi formaliter loquẽdo, non nominat terminum, sed actionem, solùm enim dicit faciliorem modum producendi terminum, quia velcitius fit, vel minori applicato conatu ex parte vnius causæ, quando plures applicantur: hoc autem totum non intelligitur sine influxu principij agentis Physici.

Restat explicemus, an habitus saltem sit causa necessariò requi-

requisita ad tantam intensionem, verbi gratia, ita vt sine habitu potentia non possit elicere actum ita intẽsum, hoc enim videtur indicare Capreolus in 3.dist.23.q.3.& Caietanus.1.2.q.46.art.3. sentit habitum esse requisitum, vt potentia eliciat perfectè suas operationes.

Dico secundò, habitũ non esse simpliciter requisitum ad actum potentiæ in tanta intẽsione. Hãc conclusionẽ explico varijs modis. Primò quia in primo actu potentia potest elicere habitum in aliqua intensione: ergo ad illam intensionem non est simpliciter requisitus habitus, qui possit concurrere ad solam intensionem, & tamen est aliquis habitus, qui possit concurrere, genitus scilicet ab illo actu: ergo idem est de quolibet alio habitu respectu intensionis actus sibi respondentis. Consequentia videtur efficax, quia habitus est eiusdem rationis specificæ, vt suppono, & eadem est proportio, quam dicit habitus, vt duo, ad actum, vt duo, & habitus vt quatuor, ad actum, vt quatuor. Primũ verò constat ex dictis, vnde intelligitur communis doctrina authorum asserentium, habitum naturalem non esse simpliciter necessarium ad operandum.

Secũdò declaratur, quia habitus semper inclinat in actum similem ei, à quo genitus est neque enim potest intensiorem actum efficere exvi sua quia intẽsio illius, vt ipsa experientia docet, cum ipsa in tensione actus habet propotionẽ: neq; enim quilibet habitus reddit me facilẽ ad quãcunq; intensionem actus eliciendam, vt experiẽtia docet ergo augmentum habitus, q experimur, prouenit reuerà potentia ipsa, quæ etiam cum difficultate potest elicere illam intensionem.

Tertiò declaratur ex ec quia etiamsi demus habitum esse causam partialem principalem, nihilominùs non est dicendum cõcurrere ad quãlibet intẽsionem actus vt experientia ipsa docet. Et probari potest, quia in qualitatibus naturalibus habẽtibus intensionem, non quilibet inferior gradus, etiam ex coniunctione alterius, potest quamlibet intensionem effectus producere: vnde, quò intẽsior est qualitas eò intensiorem effectum producit: ergo in habitibus non quilibet gradus inferior potest producere quamlibet intensionem actus, ex qu

fia

fiat intensior habitus: ergo maior illa intensio semper pẽ det à potentia ipsa: vnde meritò dicitant authores in materia de habitibus, habitum naturalem supponere potentiam sufficienter constitutam ad operandum.

Dico tertiò habitum concurrere cum potentia ad substantiam actus. Intelligenda est hæc conclusio, ita vt habitus concurrat secundum proportionem intensionis, & D. Th. suprà & q. 20. de veritate art. 2. sic Capreolus, Gabriel, Maior, & alij in 3. d. 23. Herueus quodli. 1. quæst. 13. Ocan quodlib. 3. q. 20. Almainus. 1. Moral. cap. 11. indicat Arist. 2. Ethicorum cap. 1. & 6. & lib. 6. c. 4. &. 5 citatur Augustinus libro de bono coniugali c. 22. Ratio sumitur ex dictis, quia habitus nõ potest concurrere efficienter, nisi concurrat ad substantiã ipsam actus. Quod verò debeat concurrere efficiẽter probatur, quia alio modo non benè intelligitur, qua ratione iuuat ad faciliùs efficiendum actum, iuuare ex accidenti, quatenus facit, vt obiectum appareat potentiæ magis connaturale. Verùm hæc doctrina Durandi nõ satis intelligitur, nisi hoc faciat habitus concurendo ad actum ipsum, in quo obiectũ apparet; loquor enim modo de actu intellectus verbi gratia.

Sed finget aliquis, habitũ concurrere ex parte potentiæ tanquam conditionem agentis, sed hoc in præsenti nõ benè intelligitur, quodnam sit munus huius cõditionis, quia potentiæ cognoscitiuę, spirituales verbi gratia, nulla alia egent conditione, nisi applicatione obiecti, hæc autẽ potiùs fit per speciem, quę tenet se ex parte obiecti.

Dicet alius, habitum esse vẽ luti conditionem requisitã in genere causæ materialis. Sed hoc primò intelligi nõ potest de conditione simpliciter requisitã, vt patet manifestè in primõ actu elicito, & recepto sine habitu. Neque potest intelligi de dispositione ad facilius recipiendũ: tum quia nos non experimur facilitatem in receptione, sed in productione ipsa actus, tum quia subiectum capax & connaturale, carens dispositione cõtraria, sine difficultate recipit connaturalem formam.

Ex hac doctrina intelligi potest, qua ratione habitus iuuet ad facilitatem, sicut faciliùs fit in naturalibus idem effectus à duabus causis, etiãsi quælibet esset sufficiens, vel,

ẽrum altera ad eundem effectum, vel etiã fit faciliùs effectus ab aliqua cauſa aſſumpto inſtrumẽto libero, quã fit a ſola cauſa: hac ergo ratione poteſt intelligi, & habitum non eſſe ſimpliciter neceſſariũ ad actum, & illo poſito faciliùs fieri effectum.

Intelligitur ſecũdo id, quod ſæpe repetũt authores, dũ aſſignãt differentiã inter naturalẽ habitũ, & ſupernaturalẽ: dicunt enim habitũ naturalẽ eſſe neceſſariũ ad faciliùs operãdũ, ſupernaturalẽ verò ad ſimpliciter operandũ. Primum illud membrũ de neceſsitate naturalis habitus ad facilitatẽ iã explicatũ eſt; alterius membri hic eſt ſenſus. Habitus ſupernaturalis requiritur ad operationẽ ſupernaturalem, tanquã primũ principiũ principale, elicitiuum actus, atq; adeò nõ ſupponens potentiã proportionatam actui ſupernaturali eliciendo: in quo differt ab habitu naturali, qui vt diximus, ſupponit potentiam ſufficientem reſpectu actus, ex cõcurſu ſibi debito.

Sed poſſet aliquis quærere, an habitus ſupernaturalis, ita ſit neceſſarius ad operationem ſupernaturalem, vt ſine illo fieri non poſsit. Diſputant de hac re Theologi multis locis præſertim in. 4. di 49. agentes de lumine glori Thomiſtę prima parte quę 22, 1. 2. in materia de Beatitu ne. Nec de ſunt Thomiſt qui exiſtiment ſine lumi gloriæ non poſſe fieri viſi nem, etiam de quacumq; p tentia, abſolutè tamen eſt f ſa ſententia, & oppoſita communior in ſcholis. Et r tio eſt, quia quilibet habit pernaturalis tantùm eſt qu dam qualitas concurrens ef cienter ad actum, hãc aute cõcurſũ poteſt Deus ſuppl re: vnde doctiores Theolc dicunt habitũ ſupernatur eſſe requiſitum ad connatu liter op[illegible]adum, ad hoc vt p tentia naturalis habeat in aliquod principium eiuſdẽ dinis cũ actu eliciẽdo, ratio cuius potentiæ debeatur c curſus ad talem operatio

Reſtat explicemus qua tione concurrat habitus na ralis ad actum, id eſt, an cc currat, vt cauſa principalis, lut inſtrumẽtum. Caietan & alij vocant habitum cauſ ſecundariam ſubordinatã p tentiæ, & authores, qui exiſ mãt ſpeciem intelligibilẽ c cauſam partialem princip intellectionis, idem dicent habitu, & multo meliùs, c exiſtimant habitum eſſe a

qu

quid principaliùs actu, vt videtur sentire Alensis 2. part. quæst. 104. memb. 3. Henric. quodlib. 13. q. 12.

Dico tamẽ primò. Habitus non est causa principalis totalis actus, quia ex natura rei nequit sine potẽtia ipse solus efficere actu. Secũdò habit⁹ nõ est causa partialis principalis iuxta dicta in simili de specie impressa, quia habitus est imperfectior actu, suprà enim probaui, actũ esse causam sufficientẽ respectu habitus, cũ tamen actus ex natura sua postulet potentiã vitalẽ, vt sic: & specialiter aduertendũ est, minùs consequẽter Philosophari quosdã Thomistas, qui speciẽ impressam dicũt cõcurrere, vt instrumentũ, habitum vero, vt causam partialẽ principalem, & simul concedunt especiem, & habitum esse imperfectiores actu; quo posito vix potest assignari ratio propter quã concurrat potiùs habitus, vt causa partialis, quã species, vt constat ex generalibus principijs traditis in simili de specie impressa. Vnde ex dictis facile constat, habitũ ad facilitatẽ actus cõcurrere, vt cõmuniter Philosophãt Philosophi, & rectè posse dici ad substantiã non cõcurrere, quia nõ cõcurrit principaliter.

Quæst. IIII. Quomodo distinguantur habitus ab specie in potentia cognoscitiua.

RAtio dubitandi sumitur ex dictis quæstione præcedenti, quia habitus etiam est quoddam instrumentum potentiæ circa idem obiectũ. Ex dictis varij possẽt esse modi distinguẽdi speciem ab habitu. Primus potest esse asserentium speciem non concurrere actiuè ad actum, habitum tamen actiuè cõcurrere, & sic facilè distinguentur. Hæc tamen doctrina, quatenus negat speciẽ actiuè cõcurrere, supra iam refutata est suo loco.

Secundus modus est, contrarium asserentium habitum non concurrere actiuè, benè tamen speciem. Quæ sententia, quatenus negat habitum actiuè concurrere, quæstione præcedenti reiecta est.

Tertius modus dicendi esse potest asserentiũ speciẽ concurrere ad substantiam actus, habitum verò tantũ ad facilitatem, vel intensionẽ. Sed secũda pars huius sententiæ impugnata est quæst. præcedẽti, licèt aliquo modo declarata in fine.

Quartus modus dicẽdi est asserentiũ in naturalibus quidẽ distingui speciẽ ab habitu

Ex quo fit, vt adhùc ſuppoſita ſpecie obiecti ſupernaturalis, & naturalis intelligimus potentiam cognoſcitiuam diuerſimodè ſe habere in ordine ad ſupernaturalem actum, & in ordine ad naturalẽ: quia in ordine ad naturalem actum intelligimus potentiam cognoſcitiuam eſſe ſufficiẽter ex ſe in eſſe principij vitalis, & potentiæ, in ordine ad ſupernaturalem actum, adhùc ſuppoſita ſupernaturali ſpecie, intelligimus potentiam ipſam inſufficientem in eſſe potentię, & egentẽ concurſu ſupernaturali tenente ſe ex parte illius: ex his verò diſtinguẽdus eſt habitus ab ſpecie, quia ſpecies concurrit efficienter ex parte obiecti: habitus verò tenet ſe ex parte cõcurſu ipſius potẽtię, & hoc ſiue in naturalib', ſiue in ſupernaturalibus.

Quod poteſt vlteriùs declarari, quia in ipſa voluntate intelligimus habitum diſtinctum ab ſpecie: ergo quod attinet ad poſsibilitatem, intelligere poſſumus in potentia cognoſcitiua qualitatem quãdã, quę teneat ſe ex parte potentiæ, ſicut habitus voluntatis: & hinc eſt, quod communiter dicunt authores, ſpeciẽ tenere ſe ex parte obiecti, habitũ verò ex parte potentiæ. Quod ampliùs declarari poteſt ex eo, quòd anima concurrit ad hunc actum, & non cõcurſu obiecti formaliter loquendo: ergo impoſsibilis eſt tunc aliquis modus concurrendi cum potentia ipſa diſtinctus à concurſu obiecti.

Et declarari poteſt, etiamſi fingamus eſſe quandã potentiam intellectiuã, v.g. ſolius albedinis præter cõcurſum potentiæ, adhùc intelligeremus illã indigere cõcurſu obiecti: ſicut de facto, etiam ſi ſit intellectiua albedinis, & aliarum rerũ indiget cõcurſu obiecti: ergo etiãſi de facto intelligamus habitũ, veluti qualitatem quandam, qua ſimul cũ intellectu poſſumus intelligere actum circa albedinem concurſu tenente ſe ex parte potentię, poſſumus intelligere adhùc egere ſimilitudine, & concurſu ex parte obiecti: & hęc eſt ſine dubio mens D. Thomę 1. part. quęſtio. 17. articulo 2. vbi ait, ad videndum Deum eſſe neceſſarium lumẽ, quod eſt ſimilitudo ex parte potentię, docuit enim expreſſẽ in eodem articulo ad videndum Deum nec dari, nec requiri lumen ex parte obiecti: per ſimilitudinem autẽ ex parte obiecti intelligit D. Thomas ſpeciem impreſſam, vt

hacte-

ibi Thomistę, Scotus in 2. dis. 3. q. 10. & in 3 dist. 23. Greg. q. 3. prologi, Ocan. q. 1. ad 4. Gabr. q. 8. & in 3. dist. 20. q. 2. Henric. quodlib. 6. q. 4.

Primò certum est apud authores, habitum augeri: an verò augeatur per additionem gradus ad gradum, vel per maiorem radicationem in subiecto, non est apud illos satis constitutum: seruanda tamen est doctrina tradita 1. de gener. disp. de alterat.

Secundò aduertendum est, quòd in habitu distingui solet communiter duplex augmentum: alterum est omninò circa idem obiectum, & propriè vocatur augmentum intensionis: alterum est augmentũ quoddam circa diuersum obiectum, quod D. Thom. & Thomistæ vocant extensionis: arbitrantur enim, eundem habitum posse extendi ad diuersa obiecta: hoc tamen tangit difficultatẽ de vnitate habituum, de quo dicemus in libris de Posteriori.

Tertiò aduertẽdum est circa obiectum habens intensionem, posse habitum habere intensionem proportionatã intensioni obiecti: ratio est, quia potest in intellectu esse actus habens huiusmodi intensionem, vt cõstat ex dictis: quod augmentum habitus pertinet ad augmentum extensionis, quia non est circa idem omninò subiectum secundũ eandem partem, & gradum, sed circa diuersam partem latitudinis secundum intensionem: an verò in hoc augmento addat aliquid reale distinctum à præexistenti, iudicandum est ex principijs traditis pro augmento intensionis propriè.

Dubium tamẽ est, per quos actus augeatur habitus. De augmento quidem extensionis dicendum est, augeri per actum circa nouũ obiectum. De augmento verò secundũ intensionem, primò certũ est, actum intensiorem habitu intendere habitũ, sicuti cõtingit in qualitatibus alijs naturalib⁹: de actu tamẽ æquali habitui secũdũ intẽsionẽ affirmãt nonnulli Thomistę nõ augere habitũ, & affirmãt esse mentẽ D. Th. q. citata. ar. 3. sed D. Tho. in eo ar. ait, habitũ augeri ab actu proportionaliter intenso, æquali, vel superexcedẽti: quod verò addit per illos actus augeri habitum dispositiuè ad augmentum, infrà explicabitur. Probari verò potest hæc sententia, quia ab æquali non fit intensio, cõstat enim apertè, calorẽ vt quatuor non intendere similẽ calorẽ.

Res-

Reſpondetur tamẽ, actũ æqualẽ in intenſione habitui, poſſe illũ intendere. Declaratur, quia in cauſis æquiuocis nõ requiritur tanta intẽſio in cauſa, quanta eſt in effectu, etiãſi hoc requiratur in cauſis vniuocis, cauſa enim vniuoca ad ſummũ poteſt producere æqualem effectum, quia cauſa numquã poteſt producere effectũ perfectiorem ſe, at cauſa æquiuoca cũ ſuperet effectũ perfectione eſſentiali, non requirit tantã intenſionẽ in ſua ſpecie, quantã effectus habiturus eſt, & ſæpe cauſa æquiuoca indiuiſibilis producit effectũ cũ intenſione, vt cõſtat in intellectu reſpectu actus intellectionis habẽtis intenſionẽ, & propter hoc exiſtimo, æqualẽ actũ in intenſione poſſe intendere habitũ, imò forſan minor aliquis actus poteſt intendere habitũ, modo exceſſus nõ ſit magnus, requiritur enim aliqua proportio: quod efficaciter probatur ex qualitatibus naturalibus, quia non quilibet calor quantũuis minimus poteſt cauſare quãcumq; raritatẽ, neq; quælibet minima mixtio primarũ qualitatũ poteſt cauſare quamcũq; intẽſionẽ ſecũdæ qualitatis requiritur ergo in his aliqua proportio. Addendũ vero eſt actũ æqualẽ ei, à quo productus eſt habitus, ſcilicèt à quo intẽſus eſt, tanta intenſione non intẽdere habitũ. Quod probatur manifeſtè, quia calor verbi gratia, vt quatuor cęteris paribus nõ poteſt intẽdere effectũ productũ à ſimili calore, vt cõſtat experientia, & ratio petẽdà eſt ex primo de generatione, ex quo fit etiã actũ minorẽ illo, à quo productus eſt habitus, nõ poſſe intẽdere habitum.

Ex dictis poteſt explicari D.Th. loco citato, dũ videtur indicare actũ æqualẽ nõ intendere habitũ: intelligendũ enim eſt de actu æquali proportionaliter reſpectu effectus, id eſt, de actu, qui omninò æqualẽ habitũ producere poteſt: ſicut ſi quis diceret calorem vt quatuor v.g. nõ poſſe intẽdere effectũ omninò ęqualẽ ei, videlicet qui ab hoc calore vel ab ęquali eſt producẽdus: & ideo diſplicet Duran. in.1.d. 17.q.18.ad ſecundum, abſolutè affirmans habitũ acquiſitũ per quẽlibet actũ ſubſequentẽ augeri, quod & ſine limite & probatione affirmat Durãdus: quo etiã modo loquendi alij Scholaſtici eadẽ ratione vtũtur, quæ doctrina de augmento extẽſionis vera eſſe poteſt iuxtà ſupra dicta: de augmen-

mento tamen propriæ intensionis vera esse non potest, vt probatum est.

Sed obijciet aliquis: ergo etiãsi quis habeat plures actus æqualiter omninò intẽsos, nullã maiorẽ facilitatẽ experitur post magnã illã multitudinẽ actuũ, quod videtur contra experientiã. Respõdetur cũ assiduitate operandi sæpe esse cõiunctã maiorẽ intensionẽ, vt ex assiduitate moralj, quã experimur non potest probari quælibet subsequentẽ actum, etiã minorẽ, intẽdere præexistentẽ habitũ, & sic ab experiẽtia nullũ sumit efficax signum: & si sermo sit specialiter de actibus potẽtiæ cognoscitiuæ, experiri quidẽ possumus facilitatẽ quãdã, etiã respectu actus memoriæ, quæ nõ reducatur in intensionẽ habitus, facta hypothesi de æqualitate actuũ, sed in nouas species ipsorũ actuũ, vt cõstat ex dictis disputatione de memoria intellectiua, in actibus verò potẽtiæ appetitiuæ, si omninò essent æquales, nullo modo ibi maior esset facilitas, vt præfacta ratiotinatio concludit: & D. Th. cum alijs sæpe docet.

Circa corruptionẽ habitus certũ est, habit⁹ naturales corrũpi: Circa modũ tamen sunt variæ sentẽtiæ. Prima est, habitũ corrũpi per nõ vsum; indicat D. Th. q. 53. ar. 3. Caiet. ar. 1 & expresse Gab. in 3. d. 23. dub. 6. dicit habitũ corrũpi, si act⁹ deficiat multo tẽpore. Hæc sentẽtia pro viribus ab aliquib⁹ excluditur ex his, quæ docent. 2. de anima, agẽtibus de corruptione soni: quia habit⁹ reuera diuturnior est sono, & perseuerat aliquo tẽpore, trãsacto actu; vnde sine causa fingi dicũt hi autores talẽ connexionẽ inter habitũ, & actum. Probabilis tamẽ est hæc sentẽtia, vt colligitur ex hijs, quæ diximus. 2. de anima. c. de auditu: tũ, quia maximè cõformis est experiẽtiæ, cũ ex priuatione exercitij habitus corrũpatur: tũ, quia Arist. lib. de lõgitudine, & breuitate vitæ. c. 2. experientia motus obliuionẽ assignat causam corruptionis scientiæ; & 8. Ethi. c. 5. *Taciturnitas quàm plures amicitias dissoluit.* Quibus locis indicat Arist. ex solo nõ vsu corrũpi habitũ. Neq; me latet aliquos dicere Arist. his locis nõ affirmare, per solã negationẽ vsus corrũpi habitũ, sed per obliuionẽ, nõ autẽ explicat quid sit obliuio. Cõtra tamẽ est, q Arist. aperte docet, quæ retuli: quibus rectè pensatis prima sententia sufficienter probatur. Si tamen quis contrariam

ſentẽtiam defendere velit, reſ poadeat id, quod impugnauimus, cũ nõ ſit omninò impro babile; vel Ariſt. locutũ fuiſſe de corruptione morali habitũ, non de phyſica, inuoluit enim amicitia humanam com municationem, qua ablata, diſ ſoluitur amicitia; id quod alij ad rarionem pro prima ſentẽ tia reſpondent.

Gregorius in 3. diſt. 13. q. 10. ar. 2. vult habitum corrũpi à ſolis contrarijs actibus formaliter loquendo. Verũtamẽ doctrina hæc refutanda eſt in libris de poſteriori reſolutione, vbi probabimus non eſſe formaliter incompoſsibilem actum habitus contrarij cũ habitu contrario, neq; improbabiliter diſputationis gratia dici poteſt habitum corrumpi formaliter ab habitu contrario: quod docent nónulli ex Scholaſticis. d. 23. Almainus tex. 3. Moral c. 18. Henricus quodlib. 5. q. 18. Pro hac verò corruptione obſeruãdæ ſunt regulæ generales de expulſione formarũ cõtrariarũ: an verò habitus expellatur in tẽpore, vel in inſtanti à cõtrario actu, alteri' eſt loci. Et hęc de corruptione habitus intellectus & voluntatis: habitus autem potentiæ materialis etiã corrumpitur ad corruptionẽ ſubiecti, & iuxta hanc doctrinam facilè intelligitur diminutio horum habituum.

Reſtabat diſputare de vnitate habitus, ſed de vnitate habitus intellectualis dicendum eſt in libris de poſteriori reſolutione: de vnitate verò habitus voluntatis commodè hic non poteſt ſuſcipi diſputatio, prærequiritur enim ſpecialis quędam cognitio actuum volũtatis, & aliarum rerum, quas Authores traddunt agentes de virtutibus in particulari.

Et hæc dicta ſufficiant de libris de anim. Si quid tamen dixerim, quod contradicat, vel contradicere videatur Sacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ, illud annullo; & reuoco, & eius piæ correctioni me ſubmitto.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN-

INDEX OMNIVM DISputationũ, & quæstionũ circa libros Arist. de anima.

Circa secundum librum.

Cap. I. & II. fol. 4. p. 1.

Disp. I. De natura, & essentia animæ. fol. 5. p. 1.

Q. 1. Vtrum anima sit actus corporis physici, & organici, potẽtia vitam habentis. 5. p. 1.

Q. 2. Vtrum secũda definitio animæ legitima sit, & quæ ratione per illam demonstretur prima definitio. 9. 1.

Q. 3. Vtrum in eodem viuenti reperiantur plures animæ. 11. 1.

Q. 4. Vtrum omnes animæ sint diuisibiles. 14. 1.

Q. 5. Vtrum anima informet omnes, & singulas partes corporis. 15. 2.

Q. 6. quot sint genera animarũ, & animatorum. 19. 2.

Q. 7. Vtrũ anima rationalis sit formaliter sensitiua, & vegetatiua. 20. 2.

Q. 8. Vtrũ omnes animæ habeãt eandem perfectionem. 22. 1.

Caput. III. fol. 24. p. 1.

Disp. II. De potentijs in communi consideratis. 25. 1.

Q. 1. Vtrum potentiæ animæ distinguantur realiter ab illa fol. 25. pag. 1.

Q. 2. Vtrum potẽtiæ animæ possint ab illa realiter separari, & an separatæ ab illa, existerent violenter. 27. 1.

Q. 3. Vtrum potentiæ procedant ab anima. 29. 2.

Q. 4. Vtrum potentiæ specificentur per actus, & actus per obiecta. 33. 1.

Cap. 4. fol. 35. p. 2.

Disp. 3. de potentijs animæ vegetatiua, & de earum actu, fol. 36. 2.

Q. 1. quid sit potentia nutritiua, & an distinguatur realiter ab augmentatiua. 36. 2.

Q. 2. quid sit potentia generatiua, & an distinguatur à nutritiua. 40. 1.

Q. 3. Vbi residant potentiæ generatiua, & nutritiua, folio. 41. p. 1.

Q. 4. Vtrum generare sibi simile sit opus naturalissimum viuentis. 42. 1.

Cap. 5. fol. 43. p. 1.

Disputat. 3. de speciebus sensibilibus. 44. 1.

INDEX.

Quæſt. I. an ſint ponendæ ſpecies ſenſibiles. 44. 1.
Quæſt. II. Quid ſint ſpecies ſenſibiles. 46. 2.
Quæſ. III. Vtrũ ſpecies ſenſibiles ſint extẽſæ, & diuiſibiles. 49. 2
Q. IIII. Quomodo, & à quo producãtur ſpecies ſenſibiles. 50. 1
Quæſt. V. Vtrũ ſpecies ſenſibiles recipiãtur in potentijs ſenſitiuis ad cauſandã ſenſationẽ. 51. 2
Quæſt. VI. Vtrũ ſpecies impreſſa concurrat ad producendã ſpeciem expreſſam. 52. 2.

Cap. 6. fol. 55. pag. 1.

Diſp. V. De obiecto ſenſibili. 55. 2
Quæſt. I. Vtrũ vt obiectum aliquod, poſsit ſenſu percipi debeat habere realem præſentiã à parte rei.
Quæſ. II. Vtrũ ſenſibile cõmune, & proprium cognoſcãtur per eandem ſpeciem.
Quæſ. III. Vtrũ ſenſibile cõmune poſsit percipi abſque proprio, & è contra. 60. 2.
Quæſt. 4. Vtrum obiectum indiuiſibiliter exiſtens poſsit ſenſu percipi. 61. 2.
Quæſt. V: Vtrũ ſenſus poſsit falli circa ſenſibile propriũ. 64. 2

Cap. 7. De viſu, fol. 64. p. 2.

Diſput. 6 De viſu.
Quæſt. I. Quid ſit lumen. 65. 1.
Quæſt. 2. Quid ſit color.
Quæſt. III. An, & quomodo requiratur lumen ad viſionem coloris. 70. 1.
Quæſt. IIII. Vtrum per eandem ſpeciem repræſentetur intenſio, & extenſio coloris, & quomodo. 73. 2.
Quæſt. V. quomodo producantur ſpecies viſibiles. 77. 1.
Q. VI. quomodo fiat viſio. 80. 1.
Quæſt. VII. quid ſit organũ potẽtiæ viſiuæ. 81. 1.

Cap. 8. De auditu. f. 82. p. 1.

Diſp. VII. De auditu. 82. 2.
Quæſt. 1. quid ſit ſonus, & à quo fiat. 82. 2.
Quæſt. II. quomodo incipiat, & deſinat ſonus, & in quo ſubiecto ſit. 84. 2.
Quæſt. III. Vtrum ſonus perueniat vſq; ad auditum ſecundum eſſe reale, vel ſecundum eſſe intentionale. 87. 1.
Q. IIII. quomodo fiat Echo. 88. 1
Quæſt. V. quid ſit organum auditus. 89. 2.

Cap. 9. De olfactu.

Diſp. VIII. De olfactu. 89. 1.
Quæſt. i. quid ſit odor. 89. 2.
Quæſt. II. Vtrum odor perueniat vſq; ad olfactum, ſecundũ eſſe reale, vel potiùs per ſpecies intentionales. 91. 2.
Quæſt. III. quod ſit medium olfactus, & quod illius organum.

Cap. 10. De guſtu. 49.

Diſp. IX. De guſtu. 49. 1.

Quæſt.

INDEX.

Quæſt. I. quid ſit ſapor, & quomodo immutet guſtum. 49. 1.
Quæſt. II. Vtrum guſtus differat ſpecie à tactu. 95. 2.
Quæſt. III. quid ſit organum guſtus. 97. 1.

Cap. 11. De tactu. fol. 97. p. 2.

Diſp. X. De tactu. 98. 1.
Quæſt. I. quod ſit obiectũ tactus. & quomodo illũ immutet. 98.
Quæſt. II. Vtrum tactus ſolum percipiat excellẽtes qualitates. 103. 2.
Quæſt. III. quod ſit obiectum tactionis dolorifice. 105. 2.
Quæſt. IIII. An tactus ſit vnus in ſpecie infima. 107. 1.
Quæſt. V. quid ſit medium per quod immutatur tactus.
Q. VI. quod ſit organum tactus.

Cap. 12. De communibus omnium ſenſuum. fol. 111. p. 1.

Diſput. XI. De communibus omnium ſenſuum. 111 112.
Quæſt. I. Vtrum ſenſibile poſitũ ſupra ſenſum cauſet ſenſationem, an verò impediat illam 111. 2.
Quæſt. II. Vtrũ excellẽs ſenſibile corrumpat ſenſum. 113. 2.
Quæſt. IIII. Vtrum in eodẽ ſenſu poſſint ſimul recipi plures ſpecies ſenſibiles numero tãtum diuerſæ. 115. 2.

Diſputationes Libri. III.

Cap. I. De pluralitate ſenſuũ externorum.

Diſp. I. Huius libri de pluralitate ſenſuũ externorũ. 119. 2.
Quæſt. I. Vtrũ tantũ ſint quinq; ſenſus externi, & an perfectiori modo reperiantur in homine, quam in alijs animalibus. 119. 2.
Quæſt. II. Vtrum externi ſenſus eam habeant perfectionem, vt poſſint ſuas ſenſationes percipere. 121. 2.

Caput. 2. 123.

Cap. 3. De ſenſu interno.

Diſ II. De ſenſu interno. 124. 2.
Quæſt. V. Vtrũ præter externos ſenſus ſit neceſſario ponendus alius internus, qui appelletur ſenſus communis, & quod ſit eius munus. 124. 2.
Q. II. Vtrum ſenſus internus ſit vnus, vel plures. 130. 2.
Q. III. Vtrũ animalia habeant ſenſum internum, & an hic ſenſus differat ſpecie in homine, & in brutis. 130. 1.
Quæſt. IIII. quomodo producantur ſpecies impreſſæ in ſenſu interno. 136. 2.
Quæſt. V. Vtrũ ſomnia pertineãt ad ſenſum internum, & quomodo fiant. 143.
Q. 6. & ſit organũ ſenſus interni.

Ca-

INDEX.

Cap. 4. De intellectu poſsibili. 146. 2.

Diſp. III. De intellectu poſsibili.

Q. I. Vtrũ intellectus ſit ſpiritualis potentia. 147. 2.

Q. II. Vtrum intellectus ſit pura potentia in genere intelligibilium. 153.

Q. 3. Vtrũ intellectus practicus, & ſpeculatiuus diſtinguantur realiter, & ſimiliter ratio ſuperior, & inferior.

Q. IIII. Vtrũ intellectus ſit potẽtia realiter diuerſa à memoria intellectiua, & volũtate. 155. 1.

Q. V. Vtrũ in intellectu poſsibili ſint neceſſario ponẽda ſpecies ad percipiẽda obiecta. 157. 2.

Queſt. VI. quid ſint huiuſmodi ſpecies 160. 1.

Q. 7. quomodo intellectus cognoſcat ſingulare materiale. 161. 2

Q. 8. quomodo intellectus cognoſcat vniuerſale. 165. 1.

Q. IX. quomodo cognoſcat intellectꝰ ſubſtãtiã, & accidẽs. 166. 2

Q. X. quomodo intellectus cognoſcat pro hoc ſtatu res ſpirituales, & ſe ipſum, ſuaſque actiones. 168 2.

Q. XI. Vtrum intellectus noſter pro hoc ſtatu neceſſario intelligat per conuerſionem ad phãtaſmata. 170. 2.

Q. XII Vtrum intellectus poſsit ſimul plura intelligere.

Cap. 5. De intellectu agenti, fol. 175. p. 2.

Diſp IIII. huius lib. de intellectu agenti. 176. 1.

Queſt. I. an ſit ponendus intellectus agens.

Q. II. quomodo intellectus agens producat ſpecies intelligibiles?

Q. III. Quomodo intellectus agens illuminet Phantaſmata 181. 1.

Diſputationes circa tractatum huius III. Lib.

Diſp. I. De immortalitate animæ 1. 1.

Q. I. Vtrum anima rationalis ſit immortalis ſecundũ Ariſt. 1. 1.

Q. II. Vtrum ratione naturali poſsit probari immortalitas animæ. 4. 2.

Q. III. Vtrum anima rationalis inceperit cum corpore. 8. 2.

Q. IIII. An anima rationalis ſit ſubſtantia compoſita ex materia, & forma. 10. 1.

Q. V. Vtrũ anima fiat à Deo. 11. 1

Diſp. II. De appetitu in cõmuni, & in particulari. 12. 1.

Q. I. De appetitu & eius obiecto in communi. 12. 1.

Q. II. quid ſit appetitus ſenſitiuus & quotuplex.

Q. III. De actu appetitus ſenſitiui & eius cauſa efficiẽti. 15. 1.

Q. IV. quid ſit appetitus rationalis, & eius obiectum. 18. 1.

Q. V. De actu appetitus rationalis, & eius principio efficienti. 19. 1.

Diſp. III. De dolore 20. 2.

Queſtio

INDEX.

Q.1. quid ſit dolor. 20.2.
Q.II. Vtrum natura doloris, & voluptatis in ſubita mutatione conſiſtat. 30.1.
Q.3. An dolor generetur ab intẽperie, aut cõtinuitatis ſolutione ſolum, aut ab vtriſq; 32.1
Q.4. Vtrum dolor ſolùm conueniat tactui, vel alijs ſenſibus contingere poſsit. 38.1.
Q.V. Vtrũ omnis intẽperies dolorem efficere poſsit. 41.1.
Diſp.3. de potentia motiua. 42.1
Q. quid ſit potẽtia motiua. 42.1
Q.2. Vtrũ potentiæ ſpirituales animæ rationalis ſint inter ſe realiter diſtinctæ. 43.1.
Q.3. De potentijs materialibus animæ inter ſe, & cum ſpiritualibus. 44.1.
Q.4. De diſtinctione potentiarũ animæ quoad perfectionẽ. 41.5
Q.5. de potentia, & actu vitali. fol. 18. pag. 1.
Q.6. Vtrum Deus poſsit efficere terminũ intellectionis ſine cõcurſu intellectus. 49.2.
Q.7. Vtrum ſine cõcurſu anima poſsit à Deo cũ intellectu fieri quid neceſſarium eſt ad ſtatum intelligendi.
Q.8. An anima ſit cauſa efficiẽs actionum vitalium. 58.1.
Diſp.V. De natura habituum naturãlium. 62.1.
Q.1. An ſit habitus cauſatus ab actu. 62.2.
Q.2. In quibus potentijs ſint habitus. 64.2.
Q.3. An habitus concurrat efficienter ad actum. 68.1.
Q.4. quomodo diſtinguantur habitus à potentia cognoſcitiua.
Q.5. De augmento, corruptione, & diminutione habitus naturalis.

FINIS.

MADRITI,

Apud Ludouicum Sanchez.

Anno. M.DC.IIII.

Google